UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# Annuae litterae Societatis Jesu

1600

urn:nbn:de:hbz:466:1-99597

Visual Library

Th 5170

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# LITTERÆ ANNVÆ SOCIETATIS IESV,

ANNI M. DC. II.

Th. 5170,




Th
5170

TVERPIÆ
ædes Martini Nutij,
M. DC. XVIII.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*Patribus Fratribusq; Societatis* IESV *pax & gratia Christi Domini, &c.*

ALIENIS proloquor, non meis: quinimò nec alienis, quia vestris & communis nostræ Societatis annalibus. Solent Annuæ prouinciarum Litteræ alterius genio ingenioque digestæ, ac propemodum alienum in succum sanguinemq; conuersæ prouinciis redhiberi. nunc aliter Superioribus est visum: vt nimirum eodem ordine ac stylo in lucem prodeant, quo fuerint in prouinciis exaratæ. Fuerat hoc multorum votum, qui nonnunquā in Annuis nostris aliquid desiderabant: affirmabantque, dum elegantiam consectamur, ita subinde res gestas adscititiis coloribus aliam induere faciem; vt qui maximè gerendis interfuisset, peregrina sibi legere videretur. Et verò tametsi qui Litteras hactenus concinnarūt, fuerint veritatis studiosissimi; necessum est tamen dum conformitas mutando stylo quęritur, semper aliquid de veritate deteri. Nam & lima dum polit, carpit: & fontes tametsi defæcatissimis decurrant riuulis, tamen eo plus limi contrahunt, quo longiùs à prima scaturigine deriuantur. Quare satius visum



1603?

est autographa, quàm apographa prælo committere, ceteraque negligere, vt autographi integritati consulatur, rebusque gestis omni ex parte sua constet auctoritas. Quid si & hoc emolumenti accessurum est, vt qui remissiùs, & quasi perfunctoria opera res suas litteris consignabant (vtpote quas nouerant alieno calamo subiiciendas) eas in posterum paulo frequentiùs ad incudem reuocent, & secundis curis reddant exactiores, ac omnino tales, quæ doctorum oculos lucemque non reformident? Has interim, quamuis nonnullis locis impolitas, æqui bonique consulite. certè qui harum sunt auctores, si quæ fuerint errata, facilè sibi ipsi condonabunt: ceteri si minus ornatus, plus fortassis historicæ simplicitatis inuenient.

PRO-

# PROVINCIA ROMANA.

IN Romana prouincia Socij numerati sunt hoc anno plerumque ad sexaginta supra sexcẽtos; nempe in Professa domo centum, in Collegio Romano fermè viginti supra ducentos. Ex his sacerdotes quidem ad sexaginta, in quibus quindecim variarum disciplinarum professores, viginti auditores: magistri tamen ipsi omninò sunt quatuor ac viginti, auditores nostri quatuordecim supra centum, Adiutores in domesticis muneribus quatuor & quadraginta. Ad idem Collegium præterea pertinent nouem, qui in Tusculana residentia commorantur, quorum sacerdotes tres, duplo plures Adiutores; septem itidem in Maceratensi, quæ sancti Marci dicitur, duo scilicet sacerdotes, Adiutores reliqui: quatuor in Neapolitana, quorũ vnus est sacerdos, Adiutores tres. Porrò in domo Probationis versantur ferè centum: in quibus sacerdotes fuêre duodetriginta, & ex iis tredecim tertio anno ex nouitiorum disciplina instituuntur; Adiutores veterani quidem quindecim, tirones autem vndeuiginti, scholastici denique futuri sex & quadraginta. In Collegio Anglicano degunt ex nostris decem: ex quibus quatuor sunt sacerdotes, duo repetitionum prẹfecti, quatuor Adiutores. In Germanico quatuordecim, nempe sacerdotes septem, repetitores, quos dicimus, tres, Adiutores quatuor. Octo in Græcorum Collegio: ex his quinque sacerdotes, repetitionũ præfecti duo, Adiutor vnus. In Collegio Maronitarum quatuor, duo sacerdotes, totidem Adiutores. In Seminario Romano sex ac viginti; sex eorum sacerdotes, septem repetitores, præfecti cubiculorum nouem, quattuor Adiu-

tores. In Collegio Pœnitentiariorum ad sancti Petri Basilicam vigintitres: ex quibus quidē septemdecim sacerdotes, sex reliqui fratres. In Senensi Collegio vnus ac viginti fermè commorantur, decem sacerdotes, magistri tres, Adiutores octo. In Florentino, sex ac viginti, nempe sacerdotes duodecim, duo præceptores, scholastici tres. Adiutores nouem. In Perusino cuncti septemdecim: ex his octo quidem sacerdotes, magistri verò tres, duplo plures Adiutores. Totidem in Maceratensi, hoc est sacerdotes quidem septem, magistri autem duo, Adiutores octo. In Recinetensi quindecim: in his sacerdotes septem, duo magistri, sex Adiutores. In Anconitano decem, quorum sacerdotes quinque, magistri duo, Adiutores tres. In Lauretano quatuor ac triginta: ex quibus vnus ac viginti sacerdotes, cæteri Adiutores. In Tiburtino quatuordecim: sex in his sacerdotes, duo præceptores, Adiutores sex. In Setino denique nouem, hoc est, sacerdotes duo, magistri totidem, Adiutores quinque. Vita quidem functi omnino sexdecim: ex quibus octo sacerdotes, scholasticus vnus, sex Adiutores, nouitius vnus: in Societatem verò sex & quinquaginta, ex quibus quindecim ad munera exercenda domestica, sunt adscripti.

## *Collegium Romanum.*

OCto è nostris hoc anno partim ex Romano Collegio, partim aliunde, qui ad illud tamen pertinebant, in cælestē, vt speramus, collegium demigrarunt: ex iis tres erant sacerdotes, scholasticus vnus, Adiutores domestici quatuor. Singuli o ipso ordine, quo sunt vita functi, videntur esse recensendi. Ac primus quidem Ioan. Baptista Maglioccus, XVII. Augusti mensis die, cùm adhuc

emptoris

emptoris munus diligenter exequeretur, paucis diebus, febri acuta consumptus, cælum petiit, vt speramus, quod sibi caritatis officiis emerat. Annos erat natus fermè quadraginta, quorũ septemdecim Deo in Societate seruierat. Eum biduo pòst consecutus est Ioannes Vezettus, Pedemontanus, annos natus fermè sex & quadraginta, cùm in Societate propè triginta vixisset, ipse quoque Marthæ contentus officio. Tertius eiusdem Augusti mensis die vigesimo septimo ad beatam est euocatus vitam P. Lepidus Senensis, clara in primis & peruetusta ortus Piccolominea familia, ex qua duo Pontifices Maximi prodiere. Annum agebat septimum & quadragesimum: duodecim fermè in Societate traduxerat. Nam etsi puer olim in studiis Humanitatis ac Philosophiæ, nostris operã dederat: deinde tamẽ Iuris vtriusq; disciplinã coluerat, eamq; in patria nouem annos publicè fuerat, tanta cum laude professus, vt Romã ab Vrbano VII. tum Cardinali accersitus, & apud eũ Auditoris, vt dicimus, aliquãtisper munere functus, deinde biennio ferè antequam ille Romanæ Catholicæque Pastor Ecclesię renũciaretur, se in Societate nostra Christo Pastorũ Principi cõsecrarat. Apud nos quoad vixit magnam sibi vim inferre, vt se ipse vinceret, visus est. quippe prouecta iam vir ætate tum in domo Probationis, vt cæteri tirones, demissionem animi religiosam amplexus, nouitiorum magistro, tum in Collegio, rursus ex magistro discipulus, Theologis Doctoribus operam dedit. Deinde rationes officiorum fructuosè ad quinque annos explicauit. Postremò acuta febre correptus, etsi perpetuò fermè delirauit; admonitus tamen de instante morte, ita ad se diuino beneficio, rediit; vt, illato sacro viatico, repentè in suo lectulo sana mente consederit, atque in ea verba pio animi sensu pro

ruperit, Venimus in hanc horam. Itaque vim lacrymarum profundens, oratione pietatis pleniſſima(vt cæteri quoque,qui aderant,commoueri viderentur) Deo benigniſſimo gratias egit,qui ſe ad hoc ſanctum vitæ genus (ita enim illud appellabat) perducere voluiſſet: deinde generalis confeſſionis verbis, vt erat lacrymabundus, pronunciatis, & piè admodum in ſingula, quæ rogabatur à ſacerdote reſpondit, & ſumpto viatico, ſolus aliquamdiu multa cum Deo ſuauiſſimè collocutus; non ita multo pòſt ad priſtinam delirationem reuerſus,nullum tamen verbum protulit aliquando, quod minùs religioſum virum decere videretur. Proximè deceſſit, hoc eſt, Kalendis Octobris,Sebaſtianus Diaccetus,Florentinus,annos natus fermè triginta,vix quinque in Societate conſumptis. Dum enim Grammaticam doceret, non vulgari diligentiæ,modeſtiæ,religionis exemplo,dumque diſcipulos ad omne genus Chriſtianæ virtutis inſtrueret, in lethalem incidit morbum. Ergo cùm graui febrium æſtu iactaretur, neque ita mentem, vt cupiebat, in Deo deprecando poſſet tenere defixam, moderatores exorauit, vt aſſiduè ſibi recitandos à fratribus viciſſim pios libellos curarent; aut certè ſcripta quędā ſua de iis,quę inter precandum diuinitus acceperat. Idq; ſe eò velle dicebat, quo faciliùs beneficiorū acceptorum poſſet,renouata memoria,Deo gratias agere, atque illum vehementiùs redamare. Quare dum ea recitarentur, tum variè afficiebatur, tum anagnoſten interpellabat identidem; quò animum ſilentio cum Deo arctiùs copularet. Igitur quum duodetriginta dies (tamdiu enim ægrotauit)in hac pia commentatione perſtitiſſet; ad extremum ita ſe in lectulo ſupinum,iunctis ante pectus manibus,ſignum Chriſti tenens cruci ſuffixi, cum ſacrarum reliquiarum theca,

theca, beatæque Virginis Dei Matris corona compoſuit, vt ita ſe diceret mori velle. Itaque paucis pòſt horis Sacramentorum præſidio communitus emigrauit. Quintus eſt ſuperiores conſecutus pridie Nonas Nouembris, P. Petrus Paulus Roſſius Romanus, ſpiritualis adiutor, eruditione, ſolertia, concionandi facultate non contemnenda. quadrageſimum tum quidem agebat annum; in Societate verò quatuor ac viginti, functus etiam aliquandiu qua magiſtri, qua œconomi, qua concionatoris officio, non ſine laude poſuerat. Sextus deinceps triduo poſt hunc, Laurentius Paretanus Peruſinus, domeſticus adminiſter, ex hac vita migrauit, octo annos fermè ſupra quinquaginta natus, vndequadrageſimo poſtquam in Sociorum numerum eſſet adſcriptus. Octauus agmẽ clauſit P. Horatius Martellus Traiectenſis, ſpiritalis adiutor, annum agens quinquageſimumſextum. Is Iuris ſcientiæ inſignibus ornatus ad nos venerat. In Societate noſtra tribus ac viginti annis magna religionis & obedientiæ laude traductis, dum Collegij Romani prædiis excolendis, quæ ſunt in agro Neapolitano, præcipua fide, ſedulitate, induſtria præeſſet, venit, vt ſperare fas eſt, in agri illius cæleſtis & amœniſſimi poſſeſſionem. Inſignis profecto in hoc viro fuit animi ſubmiſſio, morumque modeſtia. Nam multos annos in Societate procuratori noſtro generali adiutor fuit in rebus minoris ponderis: quo in munere tantam alacritatem, parendique ſtudium præ ſe ferebat, vt à nonnullis etiam ex noſtris, domeſticus adiutor haberetur. Ipſe verò non modò ſui doctoratus inſignia diſſimulabat; verùm etiam nihil ſe ſcire, nihili hominem ſe eſſe dictitabat: atque adeò obiurgationes quaſcunque non æquo tantùm, ſed etiam læto animo ferre videbatur. Cæterùm quæ de Collegij

ſtatu dici poſſent, præſertim verò de auditorum nobilitate, numero, aſſiduitate, pietate: de Sodalitatibus B. Virginis, atq; aliis generis eiuſdem, partim cum proximo anno communia ſunt, partim etiam peruulgata. Pauca quædam videntur eſſe propria, nec indigna litteris annuis. Sereniſſ. Dux Parmenſis Ranuccius Farneſius, eiuſq; germanus frater Odoardus Cardinalis ampliſſimus, perhumaniter Collegium inuiſere, atque in cœnatione nobiſcum prandere voluerunt. Verſibus quamplurimis, emblematiſque pictura condecoratis excepti ſunt, & vario inter epulas genere linguarum, tum ipſi tum tota Farneſiana familia collaudata: cui profectò noſtra Societas tantum debet, quantum perſoluere ſe non ſatis vnquam poſſe profitetur Multi ex auditoribus, tum Collegiorum alumni, tum nobilium virorum liberi theſes publicè, ſiue Philoſophicas, ſiue Theologicas in magna Cardinalium ac Principum virorum corona diſſerendo defenderunt. Quæ res cæteros quoque, viros præſertim primarios, videntur allicere, vt ſuos nobis liberos inſtituendos certatim auideq; committant. Et verò plurimi prouecta iam ætate ſunt, & ad altiores honorum gradus euecti, qui ſuam omnem doctrinam & inſtitutionem ſecundum Deum Societati acceptam referre non dubitent. Et quoniam inſtituti noſtri ratio poſtulat, vt præcipuè ac maximè auditorum noſtrorũ ſaluti ſempiternæ conſulatur; data eſt diligenter opera, vt non modò multi magnos in litteris, ſed etiam in virtute non pauci proceſſus efficerent: ergo ab improba viuendi ratione alij reuocati, ad meliorem alij perfectioremq; traducti; vt iam variæ Religioſæ familiæ dictitent, ſcholas noſtras Religioſorum Ordinum videri poſſe ſeminaria. Ergo multi tum noſtrum, tum aliorum Ordinum inſtitutum ceperunt;

runt; quorum numerus iniri vix potest. Insignis certè fuit adolescentis prudentia, pari constantia iuncta. Nam cùm id illi iam certum esset ac deliberatum, vt se nostræ Societati applicaret, non tamen ei coràm nobiscum agere licebat. quippe qui in eorum esset potestate, qui alias non obscurè significassent, non placere sibi res huiusmodi tractari. Ergo rem omnem clàm per literas transigendam sibi esse decernit. Verùm quum iam ad exitum esset propè perducta, detegitur. Neque tamen vllis ipse vel minis, vel illecebris potuit de sententia dimoueri. Quocirca strenuè superatis rebus omnibus, quæ salubri consilio aduersabantur, ad nouitiatum lætus atque alacer aduolat. Magnum in primis auditores nostri specimen pietatis atque modestiæ, hoc anno sæculari, confluentibus vndique populis, præbuere. Atque vt omittantur ea, quæ singillatim de cæteris alumnorum Collegiis, quæ Romæ à nostris administrãtur, scribenda viderentur; illud vnum in hoc genere persequemur. Concesserat Clemens VIII. Pont Max. iubileum, quod appellamus, Collegij Romani tum nostris, tum externis auditoribus, magistris quoque ac cæteris è Societate, qui scholis aliquà ratione præessent: modò aliquoties quatuor constitutas vrbis basilicas cuncti simul adirent. Adeundi ratio inibatur huiusmodi: Prima luce, dato de more signo, scholæ complebantur suis quæque discipulis. Inde singulæ deinceps cum suis quæque magistris procedebant. Infima Grammaticorum classis prima præibat, penultima, ac deinceps reliquæ tum Grammaticæ, tum Humanitatis, & Rhetoricæ consequebantur; continenter verò Philosophi in suas ipsi quoque classes distributi; tum qui præcepta de officiis audiunt: agmen claudebant postremi Theologi. ita cuncti facilè plus duo millia numerabantur.

tur. Erat autem is ordo, ea modestia & pietas omnium, vt vniuersæ in se ciuitatis oculos facilè conuerterent. Ergo & Cardinales amplissimi non pauci, & alij Principes, virique clarissimi, vt eo spectaculo fruerentur, consultò alij pro ædium fenestris, in rhedis siue essedis alij præstolabãtur. Ad S. Pauli in via Ostiensi primùm veniebatur; ibique ordine (quòd sit ædes amplissima) nulla ex parte interrupto, res diuina fiebat, sacræ reliquiæ proferebantur. Supplicationem in templis, atque in ipso itinere celebriorem reddebat grauis æquè ac iucunda, qua Germanici Collegij, qua Seminarij Romani symphonia. Inde ad S. Petri procedebatur. Vbipiè sanctis Apostolis consalutatis, conspectaque sacra Christi vultus effigie, nec opinantes ad benedictionem summi Pontificis inuitantur. Quapropter è sacra S. Petri Basilica, in pontificiam descendunt, quibus ex fenestra Pontifex Max. benedictionem eo gratiorem, quo minùs exspectata fuerat, impertiuit. Inde omnes, vt se reficerent, in suas quisque domos dimissi. A prandio eadem prorsus ratione, modò litaniis, modò aliis precationibus piè decantandis, itum est ad S. Ioannis Lateranensis Basilicam: priùs tamen in templo domus nostræ Professæ, toto agmine transeunte, vbi nostri B. Patris Ignatij sepulcrum non ita pridem exornari cœptum variis tabellis ac monimentis beneficiorum, quæ alij alia eo deprecante à Domino se indies testantur accipere. in eo, inquam, templo actæ Deo optimo gratiæ: quòd ita benignè hoc opus erudiendæ iuuentutis eiusdem Ignatij famuli sui operâ institutum tueatur & prouehat. In Lateranensi Basilica primùm sacrosancta Principum Apostolorum capita, deinde cæteras reliquias, vt singulæ deinceps à linteatis Canonicis producebantur, piè venerati, ad ædem sanctæ Mariæ Maioris perrexerunt.

rexerunt. Vbi post vsitatam precationem, conspectasque reliquias, ad Augustæ cæli Reginæ simulacrum à B. Euangelista Luca depictum, sunt laudes, iucundo vocum concentu, celebratæ. Atque ita sub noctem discessum est; vt Roma nunquam se antea eiusmodi spectaculum vidisse testaretur. Neque minùs in Humanitatis, quàm in pietatis, aut Philosophiæ ac Theologiæ studiis suam omnibus industriam ac diligentiam magistri simul ac discipuli probauere. Nam præter alia vsitata, & propè quotidiana, quæ tum soluta oratione tum carmine priuatim ac publicè pronuntiantur, & parietibus affiguntur identidem; tragœdia noua data est Flauia quater, magno semper procerum nobiliumque concursu, nec minore cum plausu; quem & argumenti grauitas, & carminis dignitas, & decora actorum pronuntiatio, & modorum suauitas, & apparatus ipse propè flagitabat.

## *Missio.*

IVSSV Pontificis Max. Clementis VIII. duo sacerdotes è nostris in suburbanum agrum ac finitima oppida dimissi, vsitatis muneribus excolenda, non exiles animarum fruges, Deo benignissimo incrementum dante, retulere: eademque ferè ratio seruata, quæ biennio antè erat ab aliis inita. Permoti præterea plurimi ad Vrbem iubilei causa petendam, expiatis antea ritè confessione animis: in quibus non pauci totius vitæ maculas eluerunt. Quin etiam publicæ offensiones multæ sublatæ, à praua consuetudine alij reuocati. Curatum vt controuersiæ quædam litesque terminentur, crimina falsò obiecta diluantur, vinctis quibusdam iniuriæ ab aduersariis condonentur, ipsique vinculis exsoluantur. Simultates depositæ inter quosdam Ecclesiasti-

cleſiaſticos inueteratæ, qui etiam cum publica offenſione à mutuis colloquiis ac ſalutationibus abſtinebant, atque oppidum tenebant vniuerſum in partes factioneſque diſſectum. Pax quoque tum inter propinquos, tum inter alios complures & viros & feminas conciliata. Duo à cædibus deterriti, quas omnino perpetraſſent, niſi ſe alter è noſtris interpoſuiſſet. In cuſtodia detentis conſolandis, docendis, confeſſione expurgandis opera nauata. Vbi etiam inſcriptiones famoſæ, laſciuæque obliteratæ picturæ. Curatum vt Catechiſmus à Parochis quidem diebus feſtis in templis, ſabbatis verò à magiſtris tradatur in ſcholis: atque ad eam rem appoſiti libelli relicti. In ſingulâ oppida pagoſque ſalutaris eſt inducta conſuetudo ſacra Pœnitentiæ & Euchariſtiæ myſteria ſingulis menſibus obeundi; ſerioque Parochis denunciatum id ſummum velle Pontificem. Inter imbuendos Chriſtiana doctrina pueros ratio cunctis eſt propoſita matutinæ, pomeridianæ, veſpertinæ precationis, coronæ itidem roſariique B. Virginis recitandi, iubilei hoc anno ſæculari conſequendi: ſcita præterea faciliſque formula propoſita ita loquendi, vt ab impiis in Deum cæliteſque maledictis abſtineatur. Denique tum pecunia & fama quibuſdam, eorumdem operâ reſtituta, tum cohortationibus populi ad fidem ſuis præſtandam dominis concitati.

## *Domus Probationis.*

QVADRAGINTA circiter hoc anno ex diuerſis fere nationibus Itali, Angli, Tranſſyluani, Galli, Illyrici, Belgæ, Germani relicto ſæculo ad hanc cæleſtis tirocinij domum conuenerunt: in quibus etiam tres, qui à Societate receſſerant, Deo iam reuocante, rediere. Longum eſſet, ac fortaſſe difficilius,

difficilius, varias persequi seu vias, quibus huc à Domino singuli deducuntur, siue rationes quibus hìc ab eodem benignissimè prouehuntur. Nonnulla tamen attingentur, ex quibus liceat de reliquis facere coniecturam. Quidam etsi demortui patris loco & matrem sua præsentia atque operâ solabatur, & vnus ipse administrationis pondus domesticæ sustinebat; idem tamen non modò facultatum & pecuniarum, sed matris etiam amore superato, ita cum illa egit, vt ab ipsamet sponte, supremo omnium parenti dicaretur. Alter patrem, cui, quippe liberûm postremus, carissimus esset, cò tandem perduxit, vt & filium prosequeretur ad nos venientem, & hostiam Deo tanquam Abrahamus alter offerret. Alij duo vehementiùs à parentibus oppugnati, vt religiosæ vitæ consilium abiicerent, nullis vnquam comminationibus ab eo dimoueri potuerunt. Atque adeò eorum alter est ad Pontificis Maximi legatum, ita Deo statuente, perductus, vt eius vocatio perpenderetur. Verùm, menstruo illi tempore præstituto, quo tempore si à consuetudine nostrorum abstineret, pollicebatur pater se illi religiosæ vitæ complectendæ potestatem esse facturum. Obtemperauit filius. Extremo mensis die ad vesperam parentem adit, &, Elapsus, inquit, est mensis, pater, iamq; liberaui fidem meam: ergo tandem liceat mihi per te ad Christi vexillum euolare. Admiratus pater filij siue memoriam, siue constantiam, quod aliàs obfirmato animo denegarat, id ei non sine dolore permisit. Non minor in duobus germanis fratribus virtus eluxit. hi communicato inter se de nostra ineunda Societate consilio, cùm illam natu maior minori iam sciret esse promissam, quòd existimaret, vel ne in hoc quidem oportere minori concedere, vel ita faciliorem alteri quoque aditum paratum iri, neq; valdè

speraret

speraret ab alterutro, nedum ab vtroque parente, veniam impetrari facilè posse, statuit, fratre inscio, ad nostram Probationis domum proficisci: sed fuga cognita parens, mutatis equis, filium in eodem assequitur diuersorio, quò is fortè diuerterat. quem adolescens tum quidem frustra mitigare conatus, iterum deinde ad nos ita cautè profugit, vt eò parens quoque postea profectus, & sæpiùs filij constantia variis collocutionibus explorata, non modò discedens ipsi vltrò sit benè precatus; sed ne minori quidem natu filio, eôdem contendenti, negotium exhibere sit ausus. Quare is quoque paulò pòst maiorem consecutus, dedit operam, vt cùm hoc religiosæ vitæ spatium anno seriùs quàm frater esset ingressus, veniendi tarditatem celeritate currendi compensaret. Nec minùs fuit vnico filio cum vtroque parente & quidem sene pugnãdum. Is primò quidem piis precibus diuinisque mysteriis crebrò vsurpandis, à Deo religiosæ vitæ sectandæ consilium impetrauit. Deinde verò cùm diu de genere religiosæ familiæ deligendo deliberaret, secumq; ita confligeret, vt sæpe omnem eius rei cogitationem abiicere propè decerneret; tandem benignissimus Dominus, qui suos non deserit, hanc adolescenti mentem dedit, vt nostræ se Societati non dubitaret adiungere. Hîc verò pater adolescentis, re cognita, furere, nostrum filio gymnasium & consuetudinem ita seuerè interdicere; vt mortem, si fortè vnquam inibi amplius illum offenderet, minitaretur. Negauit adolescens posse iam se vel sine causa, inchoatis literarum studiis, prohiberi, suamque salutem se non aliis, nisi quibus censeret, velle committere. Verumtamen obfirmato pater animo filium, etiam stricto aliquãdo in eum gladio, à scholis nostris ad alias ita pertraxit, vt ad nostras redire, aut ad Sodalitatem

B. Vir-

B. Virginis venire omnino vetuerit. At is clàm ad noſtram ædem, & ad Sodalitatem ventitare pergens, noſtrum concionatorem rogat, vt pro concione inuehatur in eos, qui à religioſo viuendi inſtituto liberos conantur auertere. Matrem ipſam quoque ſuis conſiliis aduerſantem delinire conatus, ad extremum, patrem audacter aggreditur, obſecrat, ne velit ſe iam triennium in ſaluberrimo de religioſa ineunda vita conſilio perſiſtentem retardare diutiùs. tandem illud impetrat, vt ſecum ſemel in templo noſtro ineat cæleſte cõuiuium. In eo conuiuio præpotẽs Deus ita hominis animum flexit; vt non modò Deo filium vltrò dicarit, verùm etiam eundem ad conſtantiam, & coràm tum ſit, & poſtea receptũ inter noſtros per litteras cohortatus. Neque verò diuinę Maieſtatis vis minor ac benignitas cernitur in ſuperandis diuitiarum ac voluptatum illecebris, quàm in patria beneuolentia tantiſper propter Dei caritatem negligenda. Præcipua fuit in eo genere virtus adoleſcentis diuitiis circumfluentis; quibus tanquam laqueis irretitus, eo arctiùs tenebatur, quòd vtroque orbatus parente beatiùs ac liberiùs ſibi videbatur poſſe in omnium rerum copia viuere. Ergo vt pecuniarum fragilitas & vanitas diuinitus indicata ipſius animum ab eis auellere videbatur; ita contrà earundem neſcio quæ fucata dulcedo retinebat. Verùm tantam in eo vim habuit diuina ſapientia, vt iis tandem diuitiarũ vinculis exſolutus ad inopiæ voluntariæ libertatem euolarit. Quamquam communis hoſtis omnium, quem ſemel hiſce opum præſtigiis ceperit, non continuò ſolet è manibus elapſum ſpem abiicere recipiendi. Quapropter ſæpius quidem adoleſcentem in hoc tirocinij religioſi ſtadio decurrentem depellere conatus eſt, & ad relictas opes deliciaſque retrahere: ſemper ta-

men inferior, Deo propulsante discessit. Cùm aliquando ita vehementer oppugnaretur, vt propè decedere de statione cogitaret, Magistro rem aperit: à quo iubetur ad piam precationem confugere, (cuius tum fortè signum de more dabatur) ac simul de ratione abigendæ cogitationis admonetur. Post precationem redit ad Magistrũ, funiculo de collo suspenso, eumque positis genibus obsecrat, vt si quando postea suam cõstantiam vacillare sentiat, se ea ipsa reste constrictum ne cubiculo exire patiatur. Iam verò quæ artes ad virtutes inserendas, vitiorumque fibras euellendas adhibentur, etsi alioquin vsitatæ sunt, hìc tamen propter nouitiorum multitudinẽ non videntur vsquequaque vulgares. Hìc enim tirones non modò passim sine culpa plectuntur; sed etiam eorum nonnulli, data opera, quædam agunt: quæ etsi culpa omnino vacant, nonnullam tamen culpæ speciem præ se ferant, vt pœnę locus aliquis, atq; occasio prębeatur. Illud vnũ, exempli causa, satis erit adscribere. Nonnulli impetrata clàm à moderatoribus potestate, esculentum quippiam, vt pomum aut aliquid eiusmodi, apud se de industria recondunt, vt eo deinde deprehenso, pœnam subeant, & helluones à commilitonibus habeantur. Tres in primis grandes natu viri, quique in sæculo auctoritate pollebant, humillimis quibusque muneribus obeundis magno ardore animi cęteris præire contenderunt, omnemque, vt dicitur, lapidem mouerunt, vt se omnium esse minimos atque infimos profiterentur. Multi precibus vrgent vt sibi in publicis valetudinariis etiam vesci & pernoctare liceat, non modò inibi ægrotantibus deseruire diutiùs. Ita nonnulli vt easdem vestes induerent, quibus nosocomiorum famuli vtuntur, impetrarunt. Ex huiusmodi ægrotis resipuit quidam religiosi instituti

tuti deſertor,& noſtrorum ope,receptusà ſuis huc venit, vt iis gratias ageret, quibus tantum beneficium referebat acceptum.Catechiſmo,qui in plateis à nouitiis traditur diebus feſtis, adiuti permulti:qui &ad vicina deinde templa perducebantur, vbi aliquot ex noſtris Patribus eos peccata ritè confitentes exciperent. E tironibus alii pannoſis induti veſtibus ad S. Mariæ Maioris, & ad S.Ioannis in Laterano pro ianuę foribus,quæ ideo Sancta vulgò dicitur, quòd anno tantùm ſæculari & ſacroſancto pandatur, ſtipem vnà cum cæteris ab ingredientibus precabantur. Nec defuerunt ex veteranis, qui non ſecùs ac tirones denuò ad omnem religioſi officij partem inſtruuntur, qui in agrum Campanũ excurrerint, & vberes inde fructus retulerint, ſimultatibus aliiſque ſcelerum vepribus extirpandis, crebro myſteriorum vſu inſerendo, aliiſque noſtræ Societatis propriis rationibus animos excolendo.Hoc anno vno quinquaginta viri ſunt Noſtri Patris Ignatij piis commentationibus inſtituti. In quibus Epiſcopi cenſentur ac Præſules,Marchiones præterea, Comites, & ex Pontificia familia nonnulli, Melitenſes equites, aliique viri primarij. Sanctiſſimus D.N. Clemens VIII.per ęſtatem & autumnum,quo tempore ſępe valetudinis cauſa ad hortos, quos habet in monte Quirinali,diuertit; ſæpe etiam pro ſua humanitate noſtram hanc domum ſuæ vicinam interuiſit. Verùm hoc anno cunctos vltrò tirones accerſitos ad ſacrum pedum oſculum comiter admiſit,eiſque bene precatus eſt illis verbis: Dominus vos benedicat,& faxit, vt ſitis Eccleſię ſuæ ſanctę fructuoſi. Vnus hoc anno P. Ioſephus Lombardus deſideratus. Is Iuris vtriuſque peritus,qui ampliſſimo cuidam Cardinali fuerat a ſecretis, ad noſtrum Ordinem vocatus à Chriſto, non modò alacri animo

paruit; sed etiam quamdiu apud nos vixit, ita se gessit, vt vix expleto quadriennio, ex hac domo in cælestem sit, vt par est sperare, translatus, annum agens fermè tertium & quadragesimum, sexto Calend. Octobris.

## *Collegium Pœnitentiariorum ad S. Petri.*

QVONIAM hîc aliud nullum Societatis munus exequimur, præter id, quod ad confessiones pertinet audiendas, illud vnum breuissimè dici potest, cùm ex variis nationibus nostri Patres in sacrosancta B. Petri Basilica aures vndique confluentibus ad Apostolorum limina præbeant; hoc anno sæculari longè maximos, vt par erat, factos esse concursus; vt propterea necesse fuerit, (ita etiam Pontifice Max. iubente) nostrorum sacerdotum numerum ad tempus dumtaxat augeri. Quare non modò multa millia cuiusuis generis hominũ apud nostros ritè animos expiarunt, sed etiam quamplurimi totius anteactæ vitæ noxas eluerunt. Atque vt ex vno liceat de reliquis facere coniecturam; is qui extra ordinem pro Illyrica lingua sacerdos erat constitutus, septem dumtaxat mensium spatio, sexcentorum eius nationis, confessiones totius ætatis vnus excepit. In iis centum erant indigenæ simul atque incolæ, magna ex parte nobiles earum regionum, quæ Turcarum sunt potestati subiectæ: vt Præsules nonnulli, multíque e variis religiosis familiis prætereantur.

## *Collegium Germanicum.*

HOC anno ineunte vsque ad Paschatis feriat alumni ipsi in plura contubernia seu cubicul distributi, centum hîc sunt ac vigintiquinqu

commorati. Vt si iis quindecim adscribas ex nostris, qui res Collegij administrãt, & familiam, quæ circiter triginta censebat, octoginta cuncti fermè supra centum numerarentur. Multis enim, quibus fuisset alioquin Autumno proximo discedendum, potestas data est primis anni sacrosancti mensibus remanendi. Res externæ Collegij in eodem ferè loco, in quo proximis annis, perstitere. Nam etsi æs alienum haud est cõtractum nouum; vetus tamen nulla est ex parte dissolutum: quòd fuerit & maior solito numerus alumnorum sustentandus, & satis ampli templi ruina sarcienda, quod est in Abbatia S. Petri Laudi, quę ad Collegium spectat: quod quidem templum vix est decem aureorum millibus restitutum; cùm fuerit à fundamẽtis ipsis reficiendum. Huc accessit, quòd ex maxima propemodum post hominum memoriam Tyberis inundatione detrimenta, quæ cùm cætera Collegij ædificia, tum verò S. Apollinaris ædes acceperat, non nisi magno sumptu compensari potuere. Sacerdotio alumni sexdecim initiati. Quatuor & viginti, studiorum spatio confecto, in Germaniam reuersi. Vnus hoc anno Philosophiæ pronunciata, publica disputatione, defendit. qua in re tribus Cardinalibus, cæterisque qui aderant, suam operam probauit egregiè. Non pauci variis tentati morbis, Dei beneficio incolumes euasere. Sacras ædes quatuor iobelei causa constitutas, turmatim quidem crebrò alumni lustrarunt: maiore tamen pompa semel atque iterum cuncti simul. Ac prima quidem cum cæteris Romani Collegij auditoribus, vt suprà suo loco narratum est: deinde verò quum impetrato, pro Collegio Germanico, ad vnum diem iobeleo, linteati processerunt. Interfuere inprimis Cardinalis amplissimus Parauicinus, & Clarissimus Cæsareæ Maiestatis Orator, isque in S. Pauli Basilica

cum alumnis sacrosanctum Christi corpus, Cardinali rem diuinā faciente susceperit. & quamquam cantus pia eleganſque symphonia, qua tum viæ ipsæ, tum verò templa personabant, erat omnibus periucunda: insignis tamen alumnorum incedentium ordo, pietas, modestia, oculos omnium ad spectandum confluentium permouebat. Eadem est eorundem spectata religio & moderatio, non modò quum amplissimi Cardinalis Austriaci, & paulò antè Madrutij huius Collegij patroni funus longa per vrbem via prosecuti sunt, mutatis identidem per vices, qui feretrum ad constitutum sepulturæ locum deportabant: verùm etiam quum eidem patrono postea per triduum iusta funebria in Collegij templo persoluerunt: pro cuius valetudine antea fuerant (dum grauiter laboraret) publicè Deum priuatimque deprecati. Sancti Martyris & Episcopi Rauennatis Apollinaris, qui est ædis Collegio adiunctæ Patronus, natalem diem ac solnenem, deinde verò SS. Martyrum Eustratij & sociorum, quorum sacra corpora inibi religiosè asseruantur, alumni præcipua religione ac cæremonia celebrarunt. Neque solùm fuit sacræ supellectilis ornatus maior; vix vt Romæ superari ab aliis, Pontificis Max. aris exceptis, existimetur; verùm illud etiam ornamentum accesit eximium, aliud nimirum è S. Apollinaris ossibus, ex vetusto Cœnobio Seburgensi à P. Ioanne Viuario Aquensi Societatis nostræ allatum, Collegioque donatum: quod est in sacram ædem magna tum alumnorum lætitia & pompa, tum populi frequentia deportatum. Templi quidem ipsius pauimentum ita iam erat humi depressum, quod plerisque aliis ob vrbis ruinas euenit; vt multis ad illud gradibus descenderetur. Quare quum ad ea pericula & incommoda vitanda, quæ ob infestam Tyberis restagnationem,

nem, crebro superioribus annis acciderant, altiùs esset elatum, ac propterea aram quoque maximam oporteret denuo consecrare; Elfeustriæ Archiepiscopi suffraganeus, huius olim Collegij alumnus eo munere functus est, qui paucis antè diebus in eadem S. Apollinaris æde fuerat solenni ritu Episcopus consecratus. Vnus dumtaxat hoc anno ex iis, qui in Germaniam reuerterunt, nostrę se Societati dicauit. Pleriq; in Canonicorum ordinem adscripti. Præpositi alij, alij Decani delecti, atque ad alios aliarũ Ecclesiarum gradus dignitatis euecti.

## *Collegium Anglicanum.*

ALVMNI hoc anno fuere duodequadraginta: ex his Logicæ studia coluere nouem, Rhetoricæ quatuor, vndecim Physicæ, Metaphysicæ septem, Theologiæ septemdecim. In sena domi contubernia, siue conclauia, à cibo in tres veluti turmas distributi inter se colloquuntur. Sacerdotio sunt initiati hoc anno septem. Studiorum curriculum emensi quatuor. Totidem in patriam redierunt ad messem. Philosophicas theses vnus publicè disceptando defendit. Vnus in cælestem patriam, vt speramus, euocatus priùs tamen in Societatẽ nostram receptus, quam paulo antè expetierat. Duo in tironum nostrorum numerum adscripti. Quidam annos natus iam sex & quadraginta, & quidem loco in primis nobili, patrimonio diuendito, sacerdos est factus. Is dum adhuc in Anglia degeret, multa est orthodoxę religionis causa perpessus. Illud sanè commemorandum: quòd idem aliquando à Ministro Caluinista, die Dominico, ac frequenti populo est à Christianorum cœtu publicè pulsus, hoc est, vt nos loquimur, excommunicatus. Aliquã enim adhuc retinent in Anglia hæretici censuræ Eccle-

siasticæ imitationem. Quòd cùm ei esset à suo germano fratre renunciatum, esse nimirum diris publicis notatum, esse ab Ecclesia turpiter eiectum, Ego verò, inquit, in Ecclesia Catholica sum; quòd vestra prohibear, non laboro. At ecce tibi die item proximo Dominico, Minister ille ex eodem loco dum Euangelium recitat, qua hora excommunicatum octo antè diebus hominem pronunciarat, eadem repentè, graui morbo corripitur, ancillam iubet properare domum, sibique lectulum interea sternere: vixque dum execrando sacro peracto domum reuersus, biduo extinctus est. Neque tamen vir Catholicus ac pius pro inimico, quamdiu vitæ spes fuit simul ac veniæ, Deum destitit deprecari. Anglia verò etiam nunc habet in messe sacerdotem hunc, operarium sanè perutilem. Alius impij cuiusdam hominis oratione inductus, non esse ad sempiternam salutem consequendam, Catholicæ Ecclesiæ, religionisve cultum necessarium existimarat: idque amicis quibusdam persuadere conatus erat. At repugnante deinde conscientia, & à sacerdote admonitus, errorem agnouit, statimque iis ipsis, quos deceperat, errorem eripuit: iamque est præclara Martyrij corona donatus. nempe hunc Odoardum Thuringum esse suspicamur. Nam is huius Collegij alumnus post carceris ærumnas religionis Catholicæ causa necatus est. Alius itidem per iniquam suspicionem detentus in Gallia, vbi se de suspicione purgauit, in Collegio vixit, non modò magno diligentiæ exemplo Christianæque modestiæ, sed etiam in litteris progressu, quarũ huc propè rudis accesserat. Robertus Widletonus sacerdos hinc profectus, captus in Anglia, & in carcerem detrusus, anno cõsequente pro fidei Catholicę causa tuẽda Martyrij gradibus ascẽdit in cælum. Adolescens annorum fermè septem-

decim,

decim, cui nomen Odoardus Cottingonus, cùm sæpe hæreticos multa pro cõcione aduersus ignem purgantem, atque alia fidei capita disputantes audiret, neque sciret quid contrà posset afferri; hæresim tamen eo ipso auersari cœperat, quòd maledicendi studio illos cerneret ista disserere. Fortè euenit, vt Oxonij aliquando, vbi litteris operam dabat, in bibliothecam veniens incideret in Cardinalis Bellarmini cõtrouersiam de Purgatorio conscriptam. Quo euentu exhilaratus, dum ad sitim explendam multa lectitaret, Catholicam fidem sitire cœpit. Ergo ad sacerdotem adductus, & Ecclesiæ reconciliatus, clam suis, vno tantùm cognato, Catholico homine conscio, Romã ad hoc seminarium venit. Inde exacto triennio, siue studiorum labore, siue cælo Romano debilitatus, medicorum consilio discessit in Belgium. Is tamen erat ante discessum in Societatem nostram receptus, quam exoptarat. Quare cùm ingraueſcente morbo, mortem sibi cerneret imminere, facilè impetrauit, vt vota ederet, nostroque indutus more sepeliretur. Alius denique summo loco natus adolescens in eadem custodia cum patre degebat, in quam eum hæreticorum iniquitas coniecerat, quòd scilicet illorum cœtus frequentare nollet. Is parente in eo carcere demortuo, vel ad vitam potiùs veram beatamque profecto, & auctor sororifuit perpetua se virginitate Christo consecrandi, & ipse eidem Iesu Christo Domino se ac Societati nostræ simul addixit. Tantam porro aiebat eo tempore Catholicorum hominum penuriam in ea vrbe fuisse, vbi parens detinebatur in carcere, vt ciues illuc frequentes Papistam (vt ipsi appellant) spectaturi confluerent. Vanis enim Ministrorum fabulis delusi, Catholicos vix cæterorũ hominum similes aut humano more viuere suspicabantur. Verùm perspecta

deinde illius viri & ſtatura prægrandi, & pacatis moribus, & orationis ſuauitate atque prudentia; non modò rem aliter ac putarant, ſe habere mirabantur; ſed etiam veram religionem adamabant: quam tamen amplecti miſeri non audebant.

## *Collegium Tiburtinum.*

S Getulij Sodalitas, vt aliàs perſcriptum eſt, ex viris huius vrbis primariis conſtat, qui ſunt item omnes in Collegij huius Sodalitium B. Virgini dicatum adſcripti. Ea verò ſe oſtendit hoc anno ſacroſancto, ſui patroni in hoſpitij iure colendo veſtigia perſequi. Nam & ſæpe diuerſoria multis egentibus peregrinis, externis præſertim, aliaſque res neceſſarias Chriſtiana prorſus charitate ſuppeditauit, & (quod caput eſt) vniuerſis feminarum cœtibus Romam petentibus magno ſtudio curaq; ſubuenit. Neq; verò noſtra Societas deſtitit pium hoc ciuium officium fouere pro viribus. Nam & aliqui ex Patribus ſtipem ad eam rem per vrbem emendicarunt, & ex ipſa Collegij ſupellectili, culcitræ, ſtragula, linteamina, hoſpitibus vtēda tranſmiſſa. Porrò ritè confitentium concurſus hoc anno ad nos incredibiles facti ſunt; labori verò noſtrorū in iis audiendis inuſitato, inuſitati quoque vbereſque fructus reſpondiſſe, Dei beneficio, exiſtimantur. Etenim plerumque fuerunt confeſſiones ad multam noctem audiendæ, & quidem penè maxima ex parte totius vitæ ſuperioris, non ipſorum modò ciuium, ſed etiam peregrinorum: quum Sodalitia cuncta confitendi cauſa atque opida vicina confluerent. Magna vis pecuniæ, aliarumque rerum, noſtrorum operâ, dominis reſtituta. Inueterata odia, & quidē periculoſa reſtincta: ex quibus etiam cędes parentibus, liberis, coniugibus imminebat.

nebat. Multi, qui magna facinora conceperãt, duo præsertim, qui duobus item necem veneno parabant, à consilio deterriti. Mulier quædam remediis cælestibus à cæde facienda reuocata. Alia non modò è flagitiosa vita erepta: verùm etiam emendicata dote, honesto est addicta coniugio. Multorum pellices nostrorum item operâ sunt eiectæ, curatumque vt alii cum iis legitima connubia iungerent, alii dote attributa eadem honestè in matrimonium collocarent. Neq; verò hanc vrbem quibuscunque nostræ Societatis muneribus adiuuare destitimus, tum assiduis habẽdis in templo nostro concionibus, tum Catechismi explicatione, tum præsertim multarum virginum pietate tuenda, quæ in patriis ædibus pudorem suum Christo magna ciuitatis approbatione consecrarunt. Quæ profectò virgines, vitæ integritate, Christianarumque virtutum exemplo, alias quoque videntur ad se imitandas allicere. Nostri persępe & noctu & interdiu ad ęgrotorum confessiones audiendas accersuntur, eosdemque ad feliciter è vita migrandum pro viribus adiuuandos. Qua in re sæpius accidit, vt multis omni ope destitutis animabus in supremo illo tempore subueniretur: quæ alioquin sine Sacramentorum præsidio decessissent. Ad vinctos quoq; subsidia eleëmosynarum delata: quibus nimirum subsidiis & multi eorum, egentes alioquin, subleuati, & quidã ære alieno dissoluto, cuius causa constricti in custodia tenebantur, ipsi quoque sunt vinculis exsoluti. Similis est opera ægrotis in valetudinariis nauata permultis. Excursum præterea in opida finitima, vbi & religionis nostræ summa enucleanda, & confessionibus, ad quas plurimi confluebant, excipiendis, & multorum inter se dissidentium animis conciliandis, copiosi percepti sunt fructus: tanta opidanorum lætitia, vt

nostros

noſtros ægrè dimitterent, à quibus tantã ſibi opem ad beatam vitam afferri ſentirent. Triduo ante quadraginta ſolemnis ieiunii dies, Sodales, quos ſuprà ſcripſimus, B. Virginis, ſolemnem quoque horarum quadraginta ſupplicationẽ, ornatu præclaro, maiore ad cæleſte conuiuium accedentium numero, nec ſine ſymphonia celebrarunt. Hoc demùm anno diſcipulorum noſtrorum Sodalitas, quæ frequens magnam Dei Matrem colit, ad Romanam Sodalitatem primariam aggregata eſt; ac propterea ſolenni ritu, & orationes, & carmina tum latinè, tum græcè ſunt habita.

## *Collegium Florentinum.*

TVRCÆ duo, alter ab Etruriæ, à Bugiani Duce alter ad nos miſſi, vt ſumma Chriſtianæ fidei capita docerentur, ſacro deinceps fonte abluendi, acceperunt commodè diſciplinam. Nobilis quidam, ſed à Catholica religione infelix transfuga, à noſtro præcone de ſua ſalute commonitus diligenter, ad ſigna deſertæ militiæ ſe recepit. Sacerdos è noſtris Magno Etruriæ Duce poſtulante, conciones Piſis habuit per Quadrageſimæ, quam dicimus, tempus, tanto ſtudioſorum auditorum ſenſu; vt ne Dux quidem ipſe vnquam, præter paucos dies, quibus ab ea vrbe abfuit, abeſſe voluerit. In templo itidem noſtro, diuerſi temporis conciones auditorum frequentia commendauit. Per dies aduentui Chriſti dicatos Collegij Rector iterum eſt in æde primaria concionatus, idq; cum inſigni vel laude, vel fructu. Ergo multos iam annos per id tempus noſtrorum Concionatorum vocibus templũ illud, Cardinalis ampliſſimi Medices eiuſdemque Florentini Archiepiſcopi rogatu, perſonuit. Eodem tempore pomeridianis horis inſtitu-

tæ

tæ sunt sacræ in templo nostro conciones. Dum anniuersarius dies B. Ignatij nostri institutoris obitus instaret, accuratè inuestigatum quid Romæ appararetur. Sed re propè nulla comperta, hîc tamen in templo nostro eiusdem est B. Patris effigies collocata, & à prima Vespera ad alteram symphonia cantuſq; adornatus. Nostri autem Fratres priuata flagellatione domi priùs adhibita, cuncti publicè ad sacras Christi corporis epulas accessere. id quod externi quoque complures imitati sunt. Deinde verò B. quidem Patri nostro argentea sigilla septemdecim, B. verò Francisco (cuius itidem effigies in tabula depicta, in eodem fuerat templo proposita) quatuor, à reis votorum constituta sunt: quibus illi se siue recuperatæ valetudinis, siue domus à laruarum vexatione liberatæ, siue alia huiusmodi accepta referre beneficia testarentur. Nostri porrò Aloysij Gonzagæ sanctitatem testatus est Deus prodigio sanè mirabili. Sacra quædam Virgo ex iis, quæ in Angelorum Cœnobio degunt, diu multumque occulto quodam morbo laborauerat; quem deinde periti viri cancrum existimarunt, nec sine acerbo sensu doloris. Vtrumque tamen illa siue pro verecundia virginali, siue pro tolerantiæ exercitatione supprimebat, donec inter pias Patris Ignatij commentationes religioni sibi duxit id silentium. Ergo rem totam magistræ aperit: illa discipulæ suadet, vt morbi curationem à B. Aloysio deprecetur: cuius non modò breuem totius vitæ narrationem manu descriptam antea legerant, verùm etiam digitum piè asseruabant. Paret magistræ Virgo: & primò quidem, dolore leuatur; iterum autem ac tertiò quum preces nihil proficerent, medicum tandem iubetur adhibere. Quod illa vt faceret quum adduceretur inuita, pridie eius diei, quo erat imperata factura, vehementiùs precando

cando cœpit vrgere, vt ab eodem omnino exsolueretur, à quo iam cœperat relaxari. res mira. Interprecandum visa sibi est Aloysium non videre solùm præsentem, quem obsecrabat, sed etiam sentire extorquentem sibi è pectore quidquid inesset mali: qua ex re cùm ita indoluisset, vt viribus destituta langueret, prætereuntē fortè magistram conspicata; Curata sum, inquit. Illa verò accurrit: labentem discipulam sustentat: sodalibus conuocatis, reficit semiuiuam, futuram tamen ex eo tempore semper incolumem. Ea verò res ne vlla careret fide, publicis est deinde litteris consignata. Plures tum laici homines, tum Clerici, atq; in iis optimates nonnulli totius anteactæ vitæ delicta ritè confitentes auditi. Id quod non in vrbe modò, sed etiam inter peregrinandum, in quodam opido, gestum. Sacris virginibus & peccata confitentibus, aliorum rogatu, audiendis, & cohortationibus habendis, nostri præstò fuere. Accessit Collegij vectigalibus fundus; cuius æstimatio non longè abest ab aureis nummis octingentis. quamquam in aliis quoque rebus liberalitatem ciuium sumus experti: nam & calix argenteus, quem facilè centum & quinquaginta nummis aureis æstimes: & lampas item argentea aureorum centum & quadraginta vel eo amplius, & numerata pecunia, modò ducenorum, modò quinquagenorum, modò alia ad sacras ædes dona delata. Denique nobilis adolescens seipsum in Societate nostra Iesu Christo donauit. eum nempe videtur oportunè benignissimus Dominus, in locum P. Hugonis Rosletti Bituricensis, submisisse: quem hoc eodem anno Septembri mense ex itinere quod Florentia in Galliam instituerat, cùm propè iam abesset Lucerna, ad nostram omnium patriam, bonisq; omnibus cumulatam ciuitatem, idem qui eius lucer-

na est Agnus, euocauit, vt piè sperare fas est, annos natum septem ac triginta, quorum vndecim in Societate nostra traduxerat.

## *Collegium Perusinum.*

ANNO Iobelei Perusiæ septem sunt eodem die extremo affecti supplicio : ex quibus tres summo loco nati, & mulier itidem ex prima nobilitate. In his adiuuandis, & confirmandis, ita est à nostris opera posita, vt & ciuitatis Præfectus, & alij palàm affirmarent facilè futurum fuisse, vt ea ope destituti, non modò haud ita piè sancteque morerentur, vt mortuos esse perspexerant, verùm etiam vt in interitum animorum ruerent sempiternum: quum præsertim ex iis nonnulli sacra peccatorum confessione, & Eucharistia multos annos abstinuissent. Iam verò multi, inter quos graues intercedebant inimicitiæ, nostrorum industria ad concordiam pacemq; traducti. Ex his duo patruus & nepos claro genere orti P. Rectoris operâ, Cardinali amplissimo Beuilacqua iubente, inter se reconciliati. quæ res non ipsi modò Cardinali, sed etiam viris clarissimis Marchioni Corneo, Reuerendissimo Episcopo Neapolioni Comitolo, toti denique ciuitati incredibilem attulit voluptatẽ : quum ea re intelligerent, multis alioquin impendentibus malis occursum. Piarum B.P.N. Ignatij commentationũ vsus longo est interuallo reuocatus. Nam & honestissimi viri nõnulli, & in iis quidam ex religiosis Ordinibus, & ingenuarum artium studiosi iuuenes hisce meditationibus in Collegio nostro sunt diligenter exculti. Collegium verò tanto ære alieno premitur, vt fuerit ad R.P.N. Præpositi Generalis charitatem confugiendum. Qui ea re permotus, primò quidem trecentis nummis aureis,

Colle-

Collegium ſubleuauit. Deinde verò cùm eò redactum eſſet, vt vel claudendum videretur, vel noſtrorum numerus imminuendus, rem totam idem noſter omnium Pater in ſe recepit, atque vniuerſum in ſe transferri voluit æs alienum, ne ciuitas hæc noſtrorum auxilio deſtitueretur. Quam benignitatem tanto parente digniſſimam & Cardinalis Legatus, & Epiſcopus ciuitatis, & Marchio Corneus, & quicunque poſtea cognouerunt, vehementer, vt par erat, admirati ſunt. Notabilis itidem videtur, & commemorandus Legati ampliſſimi clariſſimiq́ue amor in Societatem noſtram propè ſingularis; de qua is ita ſentit magnificè, atque ita honorificè cùm priuatim tum publicè loquitur, vt dici vix queat. Ergo quum de illa, vt fit, ſermo incidit, liberè profiteri ſolet Collegia noſtra vbicunque ſint, decus eſſe ciuitatum. Neque verò verbis dumtaxat, ſed reipſa quoque, quantum nos amet, non ſemel oſtendit. Nonnullis etiam Collegij negotiis ex ſententia conficiendis mirificè fauit. Adoleſcentem ex fratre nepotem, quem apud ſe habet, ſcholis noſtris addixit inſtituendũ: etiamſi alia ab aliis proponerentur non contemnenda Gymnaſia. Neque verò illud videtur ſilentio prætereundum, eundem vbi primùm pedem domo extulit, recta ad templũ noſtrum, vt rem diuinam faceret, contendiſſe. Multa Epiſcopi quoque hoc anno argumenta non obſcura exſtitere præcipuæ in nos beneuolentiæ. Sæpe enim breuioribus quibuſdam concionibus, quæ in templo noſtro ſexta quaque feria veſperi per Quadrageſimam habentur, ſæpe longioribus matutinis interfuit. In ſacello Congregationis Maiorum aliquando, peracto antea ſacrificio, Sodales omnes cæleſtibus epulis refecit: iiſdemq́ue noſtros Fratres ſua manu impertiri voluit, antequam Romam Iobelei cauſa diſcederet:

deret: quum diceret hanc à se nobis ad suum vsque reditum benedictionem relinqui. Quin etiam vbicunque sese obtulit occasio, nostris rebus prospexit egregiè. Cuidam præsertim Magistratui nos ita diligenter commendauit; vt illo auctore potissimùm verè dici queat, molestissimum quoddam Collegij negotium felici exitu esse conclusum. Et quamquam non sunt fructus huius Episcopatus vberrimi; numquam tamen destitit sua benignitate nostram inopiam subleuare. Denique quum esset quadraginta horarum supplicatio ab ipso in cunctis ferè sacris huius vrbis ædibus toto anno sæculari in orbem instituta; vsque adeò templi nostri est ornatu & conciunculis delectatus, quæ fermè habebãtur quinæ quotidie, vt palàm dictitaret, qua ratione huiusmodi res peragendæ sint, à nostris cæteros posse perdiscere. Consuetudo diu intermissa lustrandi sacrarum virginum cœnobia, tum habẽdis cohortationibus, tum extra ordinem earum confessionibus audiendis, hoc primùm anno, Episcopo ipso flagitante, reuocata est. Vtrumque autem tanto cum ipsarum fructu lætitiaque perfectum, vt Episcopo deinde de more illarum inuisenti cœnobia gratias agerent immortales; quòd nostrorum opera ad eas res vti cœpisset, atque vt pergeret, obsecrarent. Ergo is & Romam proficiscens Collegij Rectorem orauit, vt ea virginum cœnobia se absente frequentiùs etiam obirentur: & quamdiu Romæ substitit, eidem sæpiùs per litteras gratias egit, remque diligenter, quippe sibi gratissimam, commendauit.

## *Senense Collegium.*

DATA est in distributione præmiorum tragœdia, tanto ciuitatis plausu; vt numerus discipulorum amplificatus propterea videatur. Duabus

pridem institutis virorum Sodalitatibus, quarum altera ex viris honestis constat, ex nobilioribus altera, opificum iam est addita tertia satis frequens. Hi & carceres piè obeunt & valetudinaria, & ægrotis ministrant, & se in dissidentium pacificationes interponunt; interdum quoque pedes abluunt, magna ciuitatis gratulatione, peregrinis. Id quod & cæteri ex aliis duobus cœtibus præstant. Extra vrbem itidē excursiones factæ magno animarum lucro; vt proinde aliquot è nostris denuo ad eā rem Cardinalis amplissimus Tarusius, idemq; Archiepiscopus, nostriq; studiosissimus expetierit. Equitis Agazarij morte, qui erat nostri Patris Alfonsi germanus frater, centum viginti aurei nummi, annuis Collegij vectigalibus accessere, qui ad concinnandum aliqua ratione templum conferentur, addita præsertim pecuniola, quæ aliundè speratur. Nostris auctoribus precationes horarum quadraginta sunt habitæ in ampla valetudinarij maximi æde, magnæ Dei Matri, atque vrbis huius patronæ dicata, ad eamque sanè rem in primis appositā: quo & religiosorum virorum Ordines, & laicorum sodalitia composito agmine conuenere: tota vulgò reliqua cōfluente ciuitate. Nobilis matrona quum ex graui morbo ita decumberet, vt certum interitum exspectaret, iamque sepulturæ rationem viro præscripsisset; voto à sacerdote nostro (ipsamet probante) nuncupato, de B. P. Ignatij argentea imagine ad eius sepulchrum transmittenda, & eodem die vesperi longè melius valere cœpit, & paucis deinde diebus omnino conualuit: id quod & medicus miraculo tribuit, & quum opus erit, publicè testificabitur. Alteri feminæ primariæ, mares omnes recèns nati singuli deinceps morbo quodam, quem vulgò ibi Battiginem dicunt, emoriebātur. quumque is quem postremò ediderat, ob eundem planè

morbum

morbum non procul abesset ab interitu; à sacerdote nostro impetrat, qui eius confessiones solitus erat excipere, vt B. P. Ignatio vota faciat ad illud periculum propulsandum. Ille roganti moram gerit. Extemplò filius ita incolumis à Deo redditur matri, vt si numquam ægrotasset: cuius rei mater infantis testis est locupletissima.

## *Collegium Maceratense.*

GVALDVM (id opidum est agri Piceni) profectus vnus è nostris sacerdotibus, Octauio Bandino Cardinali amplissimo eodemque Archiepiscopo rogante, vt maximi tempore ieiunij ad populum verba faceret. Is etsi vnus erat, multorum tamen locum egregiè ac munus explevit. Nam primùm quidem, quotidie manè, in conferto auditoribus templo, tanto animi ardore concionabatur; vt quum aliquando in impios atque maledicos vehementiùs inueheretur, exauditus sit ab vniuersa concione quidam, qui sibi mortem palàm imprecaretur, si Deum ampliùs maledictis nefariis lacessisset. Deinde verò pomeridianis horis Christianæ religionis capita frequentibus auditoribus exponebat: tum peccata ritè confitentibus aures dabat: discordiæ faces restinguebat: nullam denique occasionem pietatis Christianæque virtutis in eorum animos inserendæ prætermittebat. Adolescens è Sodalitio B. Virginis ad nostram se contulit Societatem. Is etsi tanto religiosæ vitæ amore erat incensus, vt paratus esset ad omnia quæ sibi à parentibus perpetienda viderentur; tamen quòd sciret fratrem natu minorem de Cappucinorum instituto complectendo cogitare, verebatur ne difficilior propterea sibi ad nostrum Ordinem redderetur accessus. Quare consilium capit Florentiam ad Prouin-

cialem Præpositum veniendi. Inde Romam ab eo dimittitur ad probationis domum. reclamant parentes, Deus vincit. Iam verò vt illa vsitata prætercamus, confessiones videlicet totius ætatis plurimas auditas, odia sedata, malè parta dominis bene restituta, allatam ægris, vinctis, egetibus opem; illud videtur inprimis, quia singulare ac miraculi instar, breuiter attingendum. Mulier nupta viro primario, vsque adeò graui morbo laborabat, vt eius iam salute à medicis desperata, vnũ illi perfugium Deus relictus esse videretur. Ergo mittitur ad sacrarum virginum B. Caterinæ cœnobium, vt ab iis diuini numinis auxilium imploretur. Illæ non modò se vigiliis ac precationibus continuò dedũt: verùm etiam vota cunctæ pro ægrotante summa animi demissione concipiunt. Denique diuturnis precibus lacrymisque profusis, virgo quæ cæteris præerat, vigilando fessa, leui somno corripitur: quo tempore videre sibi visa est Caterinam atque Vrsulam, quæ pudorem virginalem martyrij laude cumularunt, bono se animo esse iubẽtes: eam enim feminam, cui valetudinem precarentur à Deo, B. Ignatij Societatis Iesu parentis precibus mox valetudini restituendam. Ergo experrecta religiosa virgo ad ægrotam misit, qui ea quæ secũdùm quietem viderat, renunciaret. Illa verò magna propterea spe valetudinis recuperandæ concepta, B. Ignatio supplex vota facit. Neque ita multo pòst idem omnino visum ipsi quoque obiicitur dormienti. Porro verum fuisse vtriusque visum breui recuperata matronæ valetudo declarauit. Itaque pia mulier votis persolutis Deo gratias egit, qui est mirabilis in Sanctis suis. Hoc primùm anno noui templi ædificatio cœpta. Iam enim biennio antè delecti ciuitatis decreto, viri primarij, qui huic operi præessent, vt in eius anni commentario scriptum

est

est, septingentos fermè aureos nummos de piorum liberalitate corrogarant, ad proximas ædes ac reliqua structuræ templi necessaria coëmenda. Iam terra erat altiùs effossa ad noua fundamẽta iacienda, quum Cardinalis amplissimus agri Piceni Legatus, rogatus à Rectore Collegij, vt primum lapidem ritè in ædificio poneret, tametsi æger adhuc ob crus recèns ex prolapsione confractum, rem susscepit, quæ est eius humanitas, & insignis erga nos beneuolentia. Eo igitur die apud nos tum ipse, tum Quæstor Pontificis prandit. A prandio maximi ad aream concursus tum virorum, tum feminarum fiunt; fenestræ, compita, tecta complentur. Legatus clero, senatu, populo comitatus ad locum vnde lapis erat deiiciendus, progreditur: cuius in eminentiore parte crux erecta cernebatur, ex aduerso altaris, ad cuius latus tribunal Legato præparatum prominebat. Quo ille conscenso linteatus ac stola è collo appensa cum solenni precatione, cum cantu atque symphonia, primum lapidem ritè demisit. Tum perillustri comitatu venit ad veterem ædem, auditurus nostrum sacerdotem verba de sacra hac cæremonia facientem. Ad extremum orat senatum Legatus, vt hanc nouã templi ædificationem studiosè complectatur, nihil Deo gratius, nihil ciuitati salubrius, nihil sibi denique acceptius fore confirmat: multa præterea de nostri Ordinis laudibus addit, quæ vt non sine rubore potuere à nobis audiri, ita nec litteris mandari necesse fuit. Postero die nummos aureos ad nos mittit quinquaginta: quo alacriùs institutũ opus persequamur, maioremque pecuniæ summam se indies daturum pollicetur. Ad quadraginta horarum supplicationem triduo ante maximum ieiunium in templo nostro institutam ciuitas tota conuolauit: vbi quoque amplissimi Legati pietas inprimis

mis eluxit: quippe qui & sæpiùs ad illud precandi causa venerit, & plures inibi semper horas in Deo precando posuerit. Apparatus erat sanè pulcherrimus: tanta erat vis luminum, vt nox quoque cum luce diurna certare videretur. Locus ipse in theatri speciem conformatus: cuius theatri gradus ternis ordinibus dispositi, accensis cereis, floribus, argentea & aurea supellectili distinguebantur: ergo & pergratus erat aspectus intuentibus, & incitamentum ad pietatem singulare. Quòd si nullus esset alius fructus ex hac precandi ratione perceptus; eo certè vno possemus esse contenti. Sacrarum enim oblectatione concionum, suaui præsertim adiuncta symphonia, scimus epulum ad saltationes per eos dies indictum penitus fuisse sublatū. Eiusdem quoque Legati rogatu, toto Quadragesimæ tempore, diebus Dominicis vespertinæ horæ, quibus ipse cum suis semper interfuit, Deo persolutæ, frequenti populo, non sine graui iucundoq; concentu. Ad extremum eas preces excipiebat de sacra Christi perpessione conciuncula. Idem apud nos maiorem hebdomadam ita transegit, vt magnæ suæ non comitatis modò, sed pietatis etiam, cæterarumque virtutum documēta præbuerit: ad mensam ei terni ex nostris quaterníve semper assidebant, ad animum diuinis collocutionibus reficiendum. Denique solenni Paschatis die, postquam cum sua familia in templo nostro, inspectante ciuitate propè vniuersa, ad sacras Christi corporis epulas accessit, domum reuertit, diuinis pastus recreatusque deliciis. Quatuor spectatæ indolis adolescentes ad Societatem nostram Deus benignissimus conuocauit. E quibus vnus, Prouincialis Præpositi iussu, quum id parentibus denunciasset, pater primò, summa ope contendit, vt filium de suscepto consilio sententiaque depellat; adhibet propinquos,

pinquos, amicos; Cardinalis Legati auctoritatem interponit, vetat filium ad nostros accedere. Tandem quum nihil proficeret, Romam venit: & Principum virorum potentia fretus multas ab iis ad P. N. Generalem tum valetudinis causa Tusculi commorantem, hac de re supplices extorquet epistolas. Postremò ipsemet ad eum adit, orat, obsecrat, obtestatur. Addit precibus lacrymas, magnam sibi esse liberûm adhuc puerûm familiam, nubiles filias: ex propinquis fore neminem, qui filij quem vnicè diligebat, loco, rem domesticam administraret. Ad hæc, aliaque huiuscemodi permulta, ita est à Patre nostro responsum; vt vir sedato animo Maceratam reuerterit: mense sibi permisso ad filij constantiam explorandam. Ergo vt domum venit, principio blandè filium appellat, spem illum suæ dictitans atque adminiculum senectutis, obsecrationes profusis lacrymis iterat & lamenta, nullum artificij genus omittit, quo animũ adolescentis vel argumentis flectat, vel blanditiis molliat. Verùm breuiter ad omnia filius grauiterque respondet, cælesti potiùs Patri obtemperandum. Quocirca omni spe parens abiecta, fore, vt adolescens mutet aliquando consilium, dat ei liberam ad Christi vexillum euolandi potestatem. Is verò lætus atque alacer, vnumque è nostris comitem nactus itineris, ad nouitiatum extemplo contendit. Quatuor itidem alij è nostris discipulis, ex opificum verò Sodalitate sex, ad Cappucinorum Ordinem accessere. Iam verò vt multis omissis cætera paucis perstringantur; multæ quidem graueſq; discordiæ sublatæ multorum: duæ verò præcipuæ; quarum altera inter duos fratres exorta, ita ipsorum animos incenderat, vt mutuam sibi necem molirentur. Natu enim maior minori parabat insidias, quòd ferre non posset eum hæreditate potiri,

qua se spoliatum dolebat. Minor verò maioris morte vitam suam redimere, seque metu liberare conabatur. Dei tamen beneficio perfectum, vt ambo pessimam hanc abiicerent voluntatem. Duo item alij cuidam machinabãtur interitum : verùm socij nostri operâ, Deo bene iuuante, pax est inter eos conciliata. Feminæ duæ à turpi quæstu ad pudicam viuendi rationem traductæ. Adolescens itidem sceleribus omnibus coopertus, tandem ita vitam instituit; vt iam de religioso instituto complectendo cœperit cogitare. Cùm primaria mulier æream B. Ignatij nostræ Societatis parentis imaginem, filij pectori grauiter laborantis admouisset, is repentè conualuit. Id quod eo sanè mirabilius videri debet, quòd medici quidnam puero remedii adhiberent, penitus ignorabant. Iam verò in publicis quidem valetudinariis ægrotantibus, in custodiis verò detentis opera de more nauata : multæque confessiones inibi superioris vitæ totius auditæ. Nobilium virorum Sodalitati, tum Prolegatus, tum Abbas Legati frater adscribi voluere: sublatus penitus est è priuatis quorundam ædibus publicus alearum ac talorum ludus. Scholasticorum denique Vniuersitatis repressa licentia, multis apud eos rebus institutis, quæ ad pietatis doctrinæque progressionem pertinerent.

## *Recinetense Collegium & Anconitanum.*

RECINETI admonitus concionator noster ab Archipresbytero quodam, vt pro re nata, in infantium cædem inueheretur, quòd in ea vrbe tres reperti essent per summam impietatem occisi recèns nati, atque in foueam proiecti; quum de homicidio ageret aliquando, cœpit impium illud facinus

cinus infantes enecandi acriter insectari. Mulier quæ & illam cædem impiè patrarat, & nunquam antea conciones audierat, tum fortè illi concioni, Deo clementissimo eius saluti prospiciente, dum interesset, vsque adeò permota est; vt concionatorem deinde conuenerit, moresque suos corrigere omnino decreuerit. Venefica quędã ad concionem veniens non modò resipuit, verùm etiam ab honesta femina veniam per concionatorem petere voluit, cuius infantem è sinu conata erat eripere. Nam quum se illi, vmbræ specie, sub noctem obtulisset, dato salutationis Angelicæ signo, pia mulier vmbram Iesu Mariæque nomine implorato fugarat. Postridie manè ad eam veniẽs venefica quæsiuit, vtrùm pridie vesperi trepidasset: quo indicio bona mulier eius nomen ad Episcopi Vicarium detulit. Verumtamen & is deinde concionatoris operâ veneficæ pepercit, & ipsa à veneficiis, fascinis, atque ab impio mali dæmonis commercio profugit. Inoleuerat alicubi quasi ad curanda veneficia consuetudo scobis ex imagine dæmonis abrasæ propinandæ. Verùm plerosque huiusmodi epota scobe ita diabolus inuadebat, vt liberari deinde non possent. At concionatore nostro grauiter huiusmodi superstitionem obiurgante, id agi desitum est. Quidam propter propinquorum cædem, neque iniuriam condonare, neque sacerdoti ritè delicta multos per annos confiteri voluerunt: tandem concionatoris nostri oratione permoti, & inter se sunt, & cum Deo reconciliati. Pater Marius Sardus Leontinus, Messanensis Diœcesis, trium votorum professus, multos annos imbecilla ægraque valetudine conflictatus, tandem Recineti Decembris mensis die sexto ac vigesimo, ab huius vitæ molestiis liber beatam illam, vt spes est, viuere cœpit. Adolescens annorum sexdecim in Societatem re-

ceptus, quatuor in ea supra triginta piè ac fructuosè traduxit. Et quanquam ex Lauretano Collegio symbolum in huius annalis veluti cœnam, nescio quo casu non est allatum, non propterea videtur silentio prætereundus P. Clemens Fantozzius spiritalis adiutor, qui ibi quarto nonas Februarij mortuus est. Is erat Senis ex honesta familia, quæ iam est eius morte terminata, natus, proximi sæculi anno quarto & quadragesimo, primo verò & sexagesimo in Societatẽ receptus. Ergo vndequadraginta ipsos annos in ea vixit, & cùm alibi, tum in Lauretana B. Virginis æde Iesu Christo eius filio, diu confessionibus audiendis operam nauauit egregiam: vt meritò ab eodem laborum accepisse iam præmia sperari possit amplissima. Ibidem Paulus Vitalis, Brixiensis, adiutor tẽporalis v. nonas Maij, duodeseptuaginta natus annos eò (vt fas est sperare) commigrauit, vbi eius iuuentus, vt aquilæ renouetur à Christo, cui sex annos & triginta Societate nostra seruierat.

Anconæ concionator è nostris missus hoc anno Fanum (id opidi in agro Piceno nomen est) ibique in summo templo, magna populi frequentia, Quadragesimæ tempore verba fecit: vnde speratur illa ciuitas fructus vberes percepisse. Quum Anconæ in vrbis concilio de scholis publicis ageretur, summo omnium consensu decretum est, vt eas nostri retinerent, quoniam satis earum fructus apertè constaret. Deprauata ibidem adolescentium consuetudo repressa est, cum puellis palàm, amoris ergò, colloquendi. Ad Societatem nostram aggregatus vnus ex nostris discipulis è Dei Matris Virginisque perpetuæ Sodalitate. Altera quoque nobilium virorum Sodalitas instituta, cui nomina vel primo ipso die plus quadraginta dedêre, ac breui sexagenarium numerum superatura non sine læta

animo-

animorum segete sperabatur. Atque hæc tum de Anconitano hoc propè nouo Collegio, tum de tota Romana prouincia scripta sint: quæ ad Iesu Ducis ac Dei nostri gloriam referantur.

## PROVINCIA SICILIENSIS.

COLLEGIORVM numerus in Sicilienſi prouincia hoc anno auctus est. Sexdecim numerantur præter vnam residentiam. Socij versantur in iis quadringenti quadraginta tres. In domo Professa Panormitana quadraginta nouem. In Collegio Panormitano septuaginta quinque. In Messanensi Collegio quatuor & sexaginta. In Catanensi vnus & viginti. Vno plures in Syracusano. In Collegio Montis Regalis septemdecim. Octodecim in Biuonensi. Rhegij vndecim. Calataierone duo & viginti. Drepani viginti. In Collegio Minacēsi quindecim. Tredecim in Melitensi. In Marsalensi sexdecim. Calataniſettæ viginti. In domo Probationis Messanensi duodetriginta. In domo Probationis Panormitana septem & viginti. In residentia Agragentina quinque. Societati nomina dederunt tres & viginti, obierunt sex.

### *Domus Professa Panormitana.*

DOMVS Professa nouem & quadraginta complexa est, sacerdotes viginti tres, reliquos adiutores. Laborante hoc anno ciuitate grauibus morbis, tum in animis corporibusque iuuandis nostrorum sedulitas & caritas, tum de Societatis nostræ muneribus ciuium existimatio, vt cùm maximè, perspecta

perſpecta eſt. Honeſtus homo plus æquo morbum moleſtè ferens deſperauerat, crebroque dæmonem appellans ſe illi dicauerat; is tandem longo ſacerdotis noſtri hortatu obſtinatam aurem applicuit ac lacrymabundus magni ſe criminis reum pronunciauit. Mulier nobilis & grauida noſtrorum operâ geminum vitæ diſcrimen euaſit: hinc enim venenatum poculum apparatum erat, inde clanculum domi latebat, qui illam perimeret. Duarum itidem virginum vitæ conſultum eſt, ambæque in cœnobium virginum cooptatæ. Meretrices quoque melioris propoſiti exemplum cæteris vt forêt in monaſterium ſeceſſerunt. Concubina concionatoris in templo noſtro monita cùm accepiſſet & confeſſione animum expiauit, & in matrimonium collocata eſt, confecta dote ex collatitia pecunia. Domus hoſpitales huius vrbis præcipuè cùm virorum tum mulierum, noſtrorum labore ſublatis aliquot ſcandalis, iuſtiſq; ſancitis legibus, ad meliorem formam compoſitæ ſunt. In ea præſertim, quæ Hiſpanos recipit (ſancti Iacobi Xenodochium appellatur) Chriſtiana inſtitutio quàm maximè illuxit. Iacebat inibi nobilis Hiſpani cuiuſdam mancipium Maurum à Chriſtiana religione obſtinatè abhorrens (diu enim vt Mahometicam eiuraret fidem hortationes reſpuerat) illi cùm mors immineret, ſumma contentione baptiſmum efflagitauit: datus eſt ei ſacerdos è noſtris, qui catechumeno neceſſaria præberet: ſalutari luſtratus eſt fonte, moxque vltimum vitæ ſpiritum, arctè crucifixum amplectens, Chriſtianus efflauit. Ibidem quoque generales confeſſiones exceptæ non paucæ magni momenti. Carceres quoque & hoc anno noſtram opem ſenſere. Sodalitas quippe illa aliquot abhinc annis à noſtris inſtituta animorum ardore creſcit in dies. Sexta quaque feria octoginta

circiter acriter se cædunt, sabbato B.V. officium, die lunæ mortuorum concinunt; quotidie verò ad Litanias recitandas simul omnes conueniunt. procuratum præterea est, vt illis iussu Proregis singulis diebus quinque aurei nummi pro coëmendis panibus decernerentur. Prorex edicto sanxerat, vt ne cui Turcæ Mauroque libero in Sicilia esse amplius liceret. Erant huiusmodi hominum Panormi pleræque familiæ; eam ob rem discedentibus aliis, in Christianorum numerum adscripti sunt aliquot: inter quos vnus, cuius vxor obstinatè Mahometi adhærens infantem secum asportare in Mauritaniam volebat; sed nostrorum diligentia factum est, vt discedente matre infans baptismo lustrata cum parente fideli remaneret. Eam Proregis coniux nutriendam dedit; Deus verò aliquot post menses in cælestem vitam euocauit. Solenni baptismate in Christianos transiere circiter viginti quinque, pars maior pubescentes: prodiere ad fontem celebri pompa albis induti vestibus, coronati, torquatique: nostrorum partes fuere catechesi illos instruere. cætera communia sunt.

## *Collegium Panormitanum.*

COLLEGIVM Panormitanum quatuor constat ordinibus: primus continet sacerdotes nouemdecim, quorum duo Theologiæ Professores, vnus casuum conscientiæ, tres Philosophiæ, quatuor student Theologiæ. Secundus minorum classium Professores, Humanitatis vnum, Grammaticæ quatuor. Tertius discipulos, Theologiæ decem, præter sacerdotes illos quatuor; Metaphysicæ sex, Physicæ septem, Logicæ decem. Quartus Coadiutores viginti. Aucto nostrorum numero (huc enim Messana nostra studia demigrarunt) præcipua cura fuit

fuit de augenda habitatione; itaque & domus cubiculis, & gymnasium scholis auctum est. Qua re insignis fuit senatus populique Panormitani liberalitas. Habitis quippe comitiis, ac rogato populo, factum est senatusconsultum, ex quo decreta aureorum quinque millia in Collegij ædificationem ea lege, vt quinquennio pecunia soluerentur, singulis annis aureorum millia. Accessit & alius prælectionibus casuum conscientiæ explanatio, ita & discipulorum nostrorum numero, & externorum frequentia postulante. Septembribus vacationibus à tribus è sociis in vicinum opidum spirituali præsidio concursum est: quo in loco præter communia Christianæ doctrinæ, concionum confessionumque officia, illustres discordiæ compositæ, & concubinus non sine labore in saniorem intelligentiam reuocatus. Autumnales febres duos socios abstulerunt: sacerdotem alterum Antonium Ferrum Panormitanum, annorum quinque & triginta ætatis, octodecim Religionis; virum sanè Societatis. Studuit Humanitati, professus est Grammaticam & Rhetoricam annis quatuor, studuit Philosophiæ ac Theologiæ annis septem, concionatus est annum, bis Logicam exposuit, & euanescente nostrorum spe, acerbo funere absumtus est. Alterum Coadiutorem Franciscum Camala ætatis anno quinquagesimo octauo, Religionis quarto & tricesimo, natum in Calabriæ pago, Ageram vocant, qui strenuè se in domesticis seruitiis exercuit: in Societatem aggregati nouem, quorum tres adiutores.

## *Collegium Messanense.*

In Messanensi Collegio socij circiter quatuor & sexaginta fuere, sacerdotes viginti, quorum duo domi, quatuordecim è nostris, quæ ad Humanita-

tem

tem & Philosophiam spectant præcepta tradiderunt: externos docuerunt sex, Philosophiam vnus, Humanitatem alter, tertius & reliqui Grammaticam: exercitationibus domesticis operam dederunt fratres duo circiter & viginti. Ex Sodalitiis B. V. quatuor nomina dedêre Religioni: nostræ duo, totidem Benedictinæ. Ex nobilium cœtu hi fructus percepti. Vir nobilis colapho petitus ab homine deterioris ordinis tam insignem contumeliam (quæ sunt mundanæ leges) obliuiisci non poterat, nec volebat. Sed aliquot pòst annis à nostris commonefactus, insigniter non acceptam quidem iniuriam, sed præfractam suam vlciscendi libidinem vltus est. Die enim annunciatæ Virgini sacro confessione expiatus, Patre, qui Sodalitio pręest, & viro alio nobili comitatus, domum illius proficiscitur, à quo læsus fuerat, ad pedes accidit, veniam petit, paceque in perpetuum conciliata, ad sacram Eucharistiam sumendam se retulit. Vulgatum facinus ciuitatem omnem, tum admiratione, tum lætitia plausuque compleuit. Ab eodem Sodalitij Patre plures viri principes dissensione distracti in pristinam concordiam felicissimo euentu reducti sunt. Sodalis quidam Magistratus vrbis, quòd honestum hominem publico in conuentu contumeliosè læserat, iussus à Confessario veniam ab illo petere Patrem orauit, vt ad frequentem Sodalium cœtum de crimine illo verba faceret, omnibusque renunciaret hominem facti pœnitere, reumque se agnoscere, ac de iniuria planè satisfacere velle, qua daretur: deinde statim ad pedes singulorum deosculandos procumbens doloris significationem dedit: donec humo se tollere iuberetur à Patre, qui Sodalibus edixit, vt tantum pœnitentiæ specimen diuulgarent. Est & alius huius Sodalitatis præcipuè fructus. Quandoquidem ex Sodalibus plures

Equite-

Equites ac Iuris periti nobiles sunt, propè semper accidit, vt Magistratum aliquem Sodalitas complectatur. Cum his verò rectè agitur in commodum vtilitatemque pauperum, aliorúmve, qui aut litigant aut negotiantur; corrogata præterea stipe honestis personis grauiter inopia laborantibus clàm auxilium præstatur. Aprili missi duo sacerdotes in vicinum opidum; præter communia missionum id eluxit maximè. sublata est nescio quæ prauа consuetudo in connubiis coniungendis. Adhæc duo ex opidanis quoniam discedentibus nostris generalem confessionem facere non liceret, Messanam venerunt; eo tenebantur desiderio emaculandæ vitæ apud nostros. Altera præterea missio in aliud opidum hæc inter cætera in lucris posuit; conciliata pax est inter opidi Ducem & Archipresbyterum non leuis momenti. Nobilis quidam sclopo grauiter ictus de nostri consilio inimicum in ius vocari noluit, & anteactam vitam generali confessione purgauit. Alius à nobiliore insigniter offensus, quòd vlcisci non posset, à Deo iniuriarum vltore pœnas signis & prodigiis expectabat: quæ cùm non videret, ira percitus de Deo queri non verebatur, id fore affirmans vt numquam in posterum confiteretur. Sed diuinitus concionante nostro admonitus tãto se scelere obstrictum summo cum dolore confessione soluit. Quidam inani furto rubore suadente diu crimen celauerat, sed ex concione eos fructus cepit, vt celatum generali confessione aperiret. Christianæ doctrinæ rudimenta cum lacrymis excepta, æs alienum restitutum, iniuriæ condonatæ non paucæ. Is denique opidanorum animus in Societatem fuit, vt coacto cœtu de omnium sententia decretum sit, vt à Societate residentia postularetur: cui vnus domum destinabat, alter operam se daturum pollicebatur,

vt

vt singulis annis aurei centum quinquaginta soluerentur. Duo Sodalitia penè distracta, nobilium alterum, alterum discipulorum, in pristinam formam composita sunt. Mortuus est ex nostris Rhetoribus Æmilius Tuccaris Messanensis tres annos in Societate natus, adolescens egregia virtute, & à teneris annis cælo destinatus; phtisi consumtus est, eius patientiam, comitatem, charitatemque erga Societatem prudens omitto.

## *Collegium Syracusanum.*

SYRACVSIS degunt è nostris duo & viginti, sacerdotes octo, præceptores tres, Humanitatis vnus, Grammaticæ duo, reliqui Coadiutores. Non exigua hoc anno in hoc Collegio ædificationi facta est accessio: nam præter nouum gymnasium, in templo sacellum maximum denuò erigi cœptum egregio opere. augustam pręterea sibi ædem Sodales ex primaria nobilitate exædificare cœperunt. quod sanè Sodalitium & cultu crescit & numero. In eo nunc primùm institutũ est, vt singulis mensibus in templo flagellis se verberẽt vniuersi, quod quidẽ plebeij ordinis Sodalibus antiquum est. Syracusanus Magistratus in maxima inopia suam in nos patefecit liberalitatem: vectigal enim aureorum fermè centum & quinquaginta nouo senatus consulto in sex adhuc annos Collegio confirmauit. Maurus visa per somnũ Christi ad columnam deuincti effigie, quam puer apud Christianum inspexerat, nulla rei familiaris habita ratione, è Mahometanorum finibus, vt Christum inueniret, vnà cum coniuge & paruo filio Syracusas aduenit. Hic ab vno è nostris Christianis rudimentis institutus est. Non leues, nec paucæ sedatæ discordiæ, imprimisque inter coniuges: ex his quidam, qui annis

fermè quinque diuortium fecerant, in coniugalem charitatem rediere.

## *Collegium Catanense.*

CATANÆ socij viginti vnus, quorum sacerdotes octo, præceptores tres, Humanitatis vnus, Grammaticæ duo, cæteri Coadiutores. Nobilis quidam noctu ex insidiis inimico igni absumptum insanabilem attulit matri dolorem, & ingentes inter principes familias odiorum excitauit flammas, quæ vt extinguerentur, pluribus annis desudatum est. Mater quippe iniuriam erepti filij altissimè in pectus recondiderat. Sed aliquando tandem sacerdotis nostri labor id effecit, vt die quodam Veneris accersito Notario, coram sacerdote, & Christi de cruce pendentis imagine multa cum Christo pia locuta, scriptum voluerit, licere iis, qui filium sustulerant, tuto & liberè ciuitate frui : cumque à quopiam familiæ suggereretur, vt post eius mortem, vel certè post aliquot annos daretur accessus; Haudquaquam, inquit, hoc iubeo, sed vt hodie domum liberè venire liceat, volo : liberè enim pro me mortuus est Dominus. quæ vox inter illustres familias diu alta odia diremit. Par exemplum alterius matronæ fuit, quæ vetus odium in nobilem virum, qui filio eam orbauerat, ab animo amandauit post longũ nostri studium in obstinatione flectenda. Nobilis etiam ciuis superbia fracta est. Hic amplius triennio ad vlciscendam iniuriam, bonis omnibus diuenditis, quò expeditior esset ad fugam incubuerat; sed hortante nostro sacerdote verbis priùs, ac oratione supplici impellente, deinde genibus positis, & exerto crucis vexillo victoriæ certissimo argumento, peruicaciam ponit, accersitum inimicum amplectitur, triumque annorum piacu-

lis

lis confessione soluitur. Veneno infectam mulierem, mulier quæ poculum parauerat conscientiæ stimulis acta miserè deplorabat. Quæ cùm opem à nostris imploraret, vt ad B. parentis nostri Ignatij auxilium confugeret, monita est. Et sanè numinis præsentissimum sensit auxilium. veneni quippe vis imminuta vitæ moribundæ pepercit. Inter Ducem ciuitatis iam magistratu functum Patresque conscriptos oborta dissensio, & quidem grauis, extincta est. Frater noster Iosephus Viglia adolescens Catanæ ortus, Catanæ mortuus est mense Nouembri. fuerat in Societate quatuor annis, studuerat Humanitati; inuitatus à parentibus domum, vt ibi phtisim curarent, annuente quoque P. Prouinciali, inuictè recusauit. Patientiæ & humilitatis haud obscurum dedit indicium. humi enim cubans emori cupiebat.

## *Collegium Montis Regalis, Biuonense, Calataieronense.*

In Monte Regali vitam degunt è sociis septemdecim, sacerdotes nouẽ, quorum vnus de Christianis officiis quæstiones explicat, discipulos habet è nostris tres: reliqui præceptores duo, Humanitatis vnus, Grammaticæ alter, cæteri Coadiutores. Canonicus testamento legauit in templi nostri decus pateram argenteam nummûm aureorum sexaginta, præter sacerdotalia indumenta. Feminæ aliquot nobiles, quæ hîc habitant, aram maximam pluribus muneribus exornarunt, quæ haud paruo steterunt. Cæterùm in iuuandis omnibus eadem quæ annis superioribus sollertia fuit. Cessit è vita mense Decembri sacerdos noster Martinus Berrius Gallus, qui exactis nostris è Gallia in Siciliam missus fuerat.

Biuona sacerdotes habet sex, præceptores, Humanitatis vnum, Grammaticæ alterum, Coadiutores cæteri. omnes octodecim. Partes nostræ illæ fuerunt, in carcerem intrusos inuisere, eorum peccata audire, cibum afferre, pacem conciliare inter ciues; quorum duo malè dissidebant. Templum frequentatur ab omnibus, nosque vnicè amamur. Ægrotus homo triduo obmutuerat; sed applicita B. P. Ignatij imaguncula vocem recepit. Eiusdem B. Patris intimæ tunicæ pars exigua magno dolore mulierē leuauit, simul vt illam tetigit.

Calataieronæ numerauimus socios duos & viginti, sacerdotes nouem, inter quos professor est vnus Philosophiæ, Humanitatē docet vnus, Grammaticam duo, cæteri fratres sunt adiutores. Admirabilis certè quidem est omnium ciuium amor in nos, & singularis obseruantia: piaculum sit apud illos aliquid nisi de nostrorum sententia consilioq; peragere. Octo societatibus, præter Collegij Sodalitia, aures in confessionibus damus singulis fermè hebdomadis, menstruisque exhortationibus vires reficimus. Frequentia porrò in vniuersum illa est, vix vt facere satis possimus. magna eorum est multitudo, ac penè incredibilis, qui mundanis impliciti negotiis vitæ integritate cum Religiosis certent. E mulierum monasteriis nostros quoque fructus capimus. Illustris est in parochia quadam Christianæ doctrinæ institutio; eò quippe non solùm magna puerorum manus, sed hominum etiam prouectorum confluit. Communia sunt conciliationes dissidentium, & inter litigantes quæstionum solutiones. Nobilis iuuenis à patre exhæredatus eò peruenit insanię, vt gladio vitam destinaret: verùm re cognita à nostris ab immani reuocatus proposito Sacramentorum frequentiæ se dedicauit. Gener cum socero, qui iam iterum ac tertium

tium ferro se petiuerant, ac vulneraverant, nostrorum hortatione in gratiam redierunt.

## Collegium Rheginum.

RHEGII populis erudiendis inuigilarunt vndecim sacerdotes, quatuor magistri, duo Humanitatis, & Grammaticæ, cæteri Coadiutores. Præcipuum fructum nobis hic ager tulit ex missione in opidum Sicilię, quò ad conciones ieiunij maximi delegatus est sacerdos. Hic egregiè operam nauauit, quà concionibus, quà cõfessionibus audiendis mirifico populi concursu, non solùm opidanorum, verùm etiam vicinorum pagorũ: diebus omnibus festis, à prandio quoque sacra prælectione populum erudiuit. Confessionum generalium numerus ingens fuit. Sacerdos quidam opidanus ad Patrem retulit se ducentos circiter audiuisse totius vitę noxas detestantes. Plurimum iuuit ad ritè confitenda peccata geminus in hebdomada sermo de peccatis. multi enim multa necessaria ignorabant; nec sacrilega confessio, aut publicè in conuenticulis infamiam inferre tanti fiebat, quanta res est: eò illos rerum diuinarum deuexit ignorantia. Insignia homicidia quater impedita. Duo ex primariis pluribus annis mutuò se in iudicium vocauerunt; adeò vt tormentorum vim aliquando pertulerint; tantisque exarserunt odiis, vt non semel sclopis se verberauerint. Pater vt illos conciliaret, multum operæ studiique consumsit: conciliauit tamen, ea ciuium gratulatione, vt Clerus ac Magistratus agendis gratiis ad Patrem oratores miserint. erat quippe opidum, quasi ciuili bello duas in classes distributum. Insons quidam in carcerem coniectus est, reus factus quòd hominem sclopo mancum brachio feciſſet. Orauit apud actorem

rem noſter, ac veniam impetrauit: auctor verò ſceleris occultè damna omnia ac detrimenta reſarciuit. Doctrinæ Chriſtianæ explanatio bis in hebdomada inſtituta eſt: cautum itidem ne populus ampliùs extra muros de more prodiret ad feſtum bis in anno peragendum diem, quo potiùs inſigniter cæleſte numen lædebatur, quam colebatur. Nec defuit ſocio operæ pars. Familiaribus colloquiis veſperi ad confeſſionem illos inſtruebat. qua diligentia factum eſt, vt quinta feria maioris hebdomadæ omnes fermè confeſſionem, & quidem bona pars generalem fecerit. Pridie diei Paſchatis mirificam opem tulere carceri ſtipe, frumento, pane, carnibus, cæteriſque. Per Quadrageſimam interdictus eſt aleæ vſus & teſſeræ, quin geminas tabernas ludo publicè conſecratas, quæ ab ipſo Magiſtratu locabantur, occludi nouo edicto iuſſum eſt. Cæterùm Collegij res nihil noui habet præter officinas, quæ præteritis terræ motibus vitium fecerant, nunc demum refectas.

## *Collegium Drepanitanum, Minacenſe, Marſalenſe.*

DREPANVM alit è ſociis viginti ſacerdotes, nouem præceptores, duos reliquos Fratres. Frequentia diſcipulorum & confitentium multitudine gymnaſium ac templum florent. Quidam occultatum per annos triginta in confeſſionibus crimen aperuit aliquando. Proſpectum pudicitiæ puellarum. Homicidij ſtudia diſſipata: contaminata mulier cum viro ritè coniuncta: infantium cædes à matribus quæſitæ celandæ turpitudinis ergò prohibitæ: ſimultates depoſitæ: pauperes inſigniter poſt conciones adiuti, ii præſertim, qui ſoluendo non erant: ludus ſublatus, annuente maximè auctore

ctore; quamquam ipsi eo sublato, quæstus aureorum quotannis trecentorum imminuebatur. Meretrix nobilis lupanaris princeps, duos & quadraginta meruerat annos; in morbum cùm incidisset, accersitum sacerdotem è nostris scelerum sociæ aditu prohibuerunt. res ad Episcopi Vicarium defertur, coërcetur meretricularum insania: illa contractas sordes abluit, valensque è lustro in xenodochium ministratura se recipit.

Minaci quindecim versantur, sacerdotes sex, præceptores duo, reliqui Coadiutores. Ieiunij maximi, Aduentusque temporibus confluentium ad concionem multitudinem sacra ædes capere non potuit. generales confessiones innumeræ. discipulorum Sodalitas bellè se habet. Artificum verò, quæ vix triginta Sodales, hoc anno centum & decem complexa est, vt ex loci angustiis sedem mutare coacti sint. Dictus præterea Dominicus dies, quo se omnes flagello diuerberent. finitimis pagis Christianas institutiones disseminauimus, duobus præcipuè in locis: in vno sacrarum virginum erectum est monasterium; in altero plures confessiones exceptæ.

In Marsalensi Collegio sexdecim, sacerdotes septem, præceptores duo, reliqui Coadiutores. Concordia & caritas, quæ inter nostros hoc anno præcipuè viguit, causa fuit, cur externi, ac præsertim religiosi viri diuersæ familiæ institutum nostrum suspicerent atque admirarentur. nos quoque admirati sumus ciues, & quidem primarios, cùm in templum maximum itare ciuitas ad concionem solita sit, extra ordinem in nostram ædem tanta frequentia diuertisse. Christianę doctrinæ studium maximum ac summum est. Pueri simul campanæ pulsum audiunt, cateruatim conuolant, adeoque profecerunt, vt domi maiorum præceptores sint,

eosque ad templum inuitēt; ex quo fit, vt magnam hominum ac mulierum copiam secum trahant. Artificum cœtus nondum Romanæ Sodalitati aggregatus magna virtute enitet. Conueniunt ducenti trecentique, vt vix tantæ multitudini capiendæ sedes apta domi reperiatur. Sacramenta frequentant eo fructu, vt letalibus vinculis rarissimè obstringantur. eorum multi laborantes de rebus diuinis in officinis colloquuntur magno ciuium emolumento. Gymnasium numero & conditione clarius est. primarij liberos suos non committebant, rati vix promoueri pueros; at nunc remisso nuncio inanibus hisce suspicionibus, certatim suos gymnasium nostrum frequentare iubent. ea rei summa: magnam Marsalæ Societatis opinionem esse. Nobilis quidam vineę suæ, quò ad reficiendas vires itaremus, testamento nos scripsit heredes; aureis nummis trecentis staret.

## *Collegium Melitense.*

MELITENSEM agrum colunt è nostris tredecim, sacerdotes quinque, præceptores duo, adiutores quinque, scholaris vnus, qui huc ad negotia venit. Habitæ conciones diebus Dominicis; tradita Christianæ fidei rudimenta tum in ciuitate, tum in pagis. confitentium frequentia ingens, Equitū maximè, vt vix diebus festis satisfieri omnibus posset. Is autē concursus fuit maximus, cùm, antequam Melitæ, Neapolis, Siciliæque triremes inde vna soluerent in Mauritaniam, omnis ordo Equitum militumque apud nostros Sacramentis classem munierūt: dies illos diceres maiores ferias. Equites præterea secundùm paupertatis leges bonis fortunisque se exuerunt: alij verò pecuniam egenis erogandam, piisque operibus tribuendam legarunt.

legarunt. Hoc anno tandem Sodalitium ex Equitibus diu efflagitatum (res à noſtris ex induſtria differebatur) in noſtro Collegio felicibus auſpiciis erectum eſt. is dies fuit Nonis Auguſti. Magna ſpes eſt fore, quantum ex his initiis auſpicari licet, vt hæc Sodalitas numero, genere ac nobilitate multis aliis præſtet; &, quod caput eſt, vberrimos ex ea fructus capiat Societas noſtra. Præterea nonnulli, qui graues inter ſe inimicitias exercebant, noſtrorum ſuaſu odia miſerũt: pax cum coniugibus confirmata: mulierculæ certo vitæ ereptæ periculo: ad publicas cuſtodias itum: damnatis hortationes habitæ: in ædibus hoſpitalibus confeſſiones auditæ; ad ſacras virgines concionatum: catechumeni eruditi. Iuuenis quidam B. Virgini deuotus ſacrum illi recitabat Officium, ſtatiſque diebus cibo abſtinebat: ſed quamuis ſæpiùs confiteretur, à graui ſcelere non temperabat. Erat huic affinis vitę integrior, atque ob id integritatis parenti ac dominæ carior: hic ſecundùm matutinam quietem videre ſibi viſus eſt B. Virginem niueo indutam amictu (qualem geſtare ſolent ſacræ virgines in monaſteriis) vltroque dicentem vocari ſe de more ſanctimonialium, ſororem Mariam. tum illi præcipit vt affinem ſuum ſceleris commoneat, æternumque ſupplicium timere iubeat. Diu enim ipſa iratum Dominum delinierat precibus; qui iam igneum dextra fulmen ſtrinxiſſet. vno verbo, nî deſiſtat, omnino fulminandũ edicat. Monitus ille ad ſacerdotem noſtrum ſe ſiſtit, rem ordine narrat, pollicetur B. Virginis dicto obedientẽ ſe fore, generalem confeſſionem facturum diuinam miſericordiam agnoſcere. Homo haud certè propoſiti tenax diem producit. ecce tibi miſerationum mater iterum ac tertiùm ſe videndam proponit; Ito, inquit, hominem commoneface, meliorem vitæ modum ſibi conſti-

tuere iube: & quo verum esse visum credat, adiice locum & tempus & personam flagitij participem. Ille omnia ritè narrauit, quæ humanitus sciri non possent. Vicit tandem B.Virginis caritas. pœnitut illum sceleris aliquando pòst moniti,& ingrati animi vitio illacrymans, votis precationibusque cælum onerauit, beatæque Virgini magis ac magis addictus Sacramentis frequentandis, sabbatis pani & frigidæ consecratis, cæteraque gratæ mentis significatione memorem beneficij,gratumq; se præbuit.Vtque sanctissimę genitricis pietas erga mortales propagaretur,à confessario rem omnem præter nomen vulgari voluit. Adolescens mirũ quantum mollitiei erat obnoxius,libidinis quippe ardoribus æstuabat: confessarius omnem medicamentorum thecam absumserat; sed cùm aliquando B.P. Ignatij veniret in mentem,imaginem eius illi dedit,ante quam supplex procumberet. Acceptam ille propter lectum suspendit, singulisq; diebus ter Pater & Aue recitatis vitio non modò absolutus est; sed per quatuor mẽses ne minima quidem sensus titillatione tentatus. Collegio accessit nouum triclinium, templo sacella duo, Episcopi sumtibus attributa præterea nobis agri pars, in qua vineam instituamus. femina primaria vestem aureorum centum templo ad sacros vsus dedit. Alij pecunia sua nostram inopiam subleuarunt. Eques domo Gallus,qui dum hic habitaret,ex ære suo nonnihil Collegio impertiebat, nunc abusque Gallia quotannis statis diebus nummos aureos quinquaginta mittit. cæterùm in tota insula de Societate nostra mira est existimatio.

Calata-

## *Calataniſſettenſe Collegium.*

NASCENTE hoc ſæculo, naſcitur quoque Calataniſſettenſe Collegium XII. Kalend. Nouembris, ſecundiſſimis auſpiciis. P. Prouincialis ſocios viginti deſignauit, die inſequenti, pridie quàm aperiretur gymnaſium, habita eſt oratio, præſentibus Paternionis Principibus matre & filio, cæteriſq; dynaſtis, atque omni populi flore. familia in has partes diſtributa. Sacerdotes ſeptẽ, quos inter duo de Chriſtianis officiis ſcholas habent. Alij profeſſores duo, Humanitatis alter, alter Grammaticæ, tres conſcientiæ quæſtionum auditores, octo coadiutores, diſcipulorum numerus in claſſibus inferioribus ad octogiuta. Quadrageſimę tempore concionatus eſt vnus è noſtris eo concurſu, vt præ multitudine cõfluentium in area concionari neceſſe fuerit. Mulier ea mente in concionem venerat, vt cùm malè cincinnato quodam mutuo conſpectu laſciuiret: at oratio dicentis tantum valuit, vt illa erubuerit; cumque veſperi inhoneſtus homo ad ipſam nuntios aduentus ſui præmitteret, conſtanter libereque reſponderit ad caſtiores cogitationes ſe mentem reuocaſſe. Inſtitutæ B. Virginis Sodalitates quatuor, vna nobilium, altera plebeiorum, tertia diſcipulorum natu maiorum, poſtrema minorum, quæ omnes copioſæ frugis ſpem ferunt. Chriſtiana doctrina tum in templo noſtro, tum in maximo rudes inſtituuntur. audito æris campani tinnitu matres ſumma cum alacritate filios mittunt, gratias agentes Deo, quòd eò tandem Societas appulerit. Noſtri panem cæteraque de more in carcerem importarũt. quod exemplum totius populi ſtudia immanè quantum promouit. Et ſanè apud omnes Societatis nomen magnum

eſt:

est: charitas verò in nos elucet egregiè, præsertim apud ipsam fundatricem Biuonæ Ducem, & eius nurum Paternionis Principem. Illa nos liberalissimè fouet, omni officio colit, & incredibili diligentia domestica supellectili Collegium auget. xi. Kal. Nouembris munere nos donauit, cibaria diuersi generis inferri iussit, quæ vndecim mulis clitellariis comportata sunt. Nurus verò inter insignes benefactrices, vt dicimus, connumerãda, præter quotidiana munuscula, octodecim baiulos donis onustos ad nos emisit. Quin manu sua nostra lintea mina, indusia, orariaque, ipsos quoque culinæ panniculos (nobile sanè pietatis charitatisq; specimen) fuere gestit. Gaudet crebrò cum nostris de rebus diuinis miscere colloquia; confessarium ad se venire non patitur, sed vltrò venit in templum, vt reliquæ, peccata in confessionibus prolatura; ibique conciones audit, sacrosanctis epulis se reficit magno cæteris exẽplo. Duo ad ministeria Coadiutorum in Societatem recepti; alij verò recipi optant.

## *Domus Probationis Messanensis, & Panormitana.*

DOMVS Probationis Messanensis triginta fermè complexa est, sacerdotes quatuor, Rectorem vnum, senem valetudinarium alterũ, tertium & quartum ex iis, qui tertio anno specimen virtutis suę Societati prębent, totidem Coadiutores veteranos: quorum vnus domesticis ministeriis præest, alter est procurator; cæteri tirones. recepti in Societatem quatuordecim, dimissi duo; horum vnus ob valetudinem.

Domus Probationis Panormitana septem & triginta, sacerdotes quatuor, quorum vnus tertium Probationis annum expleuit, Coadiutores sex Societati

cietati olim per vota aggregatos, tirones viginti sex, octodecim scholares, octo Coadiutores, scholarem præterea vnum ex Collegio Montis Regalis ob valetudinem huc missum, de cuius obitu suo loco dicemus. Adscripti in albo tironum vndecim, ex his duo genere insignes. Nouitiorum excellens sanè perfectionis cupiditas ad omnes officij religiosi partes extitit. orationi ac mortificationi egregiam operam nauarunt, Christianam doctrinam pueris puellisq; ac natu maioribus, quà in plateis, quà in templo nostro, quaque in xenodochiis exposuerunt; rogata itidem per vrbem stipe de more, iis qui in carcerem detruduntur, cibum subministrarunt. Nouitius in id morbi incidit, quem comitialem appellant; crebro sensu oculorum destituebatur, ac ingente cordis palpitatione, totius veluti quadam corporis conuulsione adeò quatiebatur, vt vix à duobus tribúsve contineri posset. Medici propè desperauerant: at is magna concepta spe salutis suæ ex parente nostro B. Ignatio, sanitatem à Deo illius precibus impetrauit pridie Kalend. Augusti, quo die natalem tanti viri incredibili pietate celebrauit. Silicius murator ex Calataierona post religionis annos fermè quinque mortuus est. Professus Grammaticam annum, in insequenti morbo occupatus phthisi præreptus est. multam patientiæ significationem dedit, dum ægrotaret: imminente obitu Rectorē orauit, liceret sibi cũ omnibus Fratribus colloqui; illisque aduentãtibus illorum precibus commendare se primùm, quo faciliùs atque securiùs ad beatam vitam euolaret, singulos deinde rogare ecquid eorum nomine à sanctissima Virgine beatisque Patribus Ignatio Xauerioque petiturus esset. eiusmodi colloquia ad albentem diem protraxit: quo tempore faciente pro eo Rectore, Nouitioque tum primum Societatis vota nuncupante

pante ſuauiſſimè exſpirauit III. Idus Apriles. Honeſtus homo Societatis amantiſſimus ſæpiùs orabat coniugem, vt ipſum ſineret Societati nomen dare: abnuente verò illa Sacramenta frequentabat egregiè, tandem ſanctiſſimè mortuus eſt, nobiſque in ſingulos annos poſt obitum coniugis centum aureos teſtamento legauit. Miſſus eſt ſacerdos vnus ex iis, qui annum tertium probantur, ſocius alterius è domo Profeſſa in opidum Caſtellũ bonum. Inſtituta Sodalitia tum maiorum tum minorum natu; fidei rudimenta explicata ea voluptate opidanorum, vt ipſa Principis coniux puellis matronisque admiſta publicè Chriſtianæ doctrinæ partem pronunciare voluerit.

## *Reſidentia Agragentina.*

AGRAGENTI hoc anno primùm noſtri reſidére: quinque huc miſſi ſunt, qui magno Societatis nomine, magna exiſtimatione ſe exercuerunt. Ciuitas liberaliſſimè munificentiſſimeque erga nos ſe habet. Canonicus noſtri amantiſſimus omni officio ac beneuolentia partes noſtras tuetur, amamurque à nobilibus. Singulis Dominicis feſtiſque diebus, Quadrageſimæ verò ter in ſingulis hebdomadis conciones habitæ ſunt tum in templo nobis deſignato (S. Cæciliæ ſacrum eſt) tum in templo maximo, qua Epiſcopi rogatu, qua Vicarij accerſitu: à prandio item prælectum eſt, & doctrinæ Chriſtianæ præceptis diuerſis in locis rudes informati. Confitentium magna vis fuit, quamuis initio pauci accederent. Multi generalem confeſſionem inſtituerunt. Accerſuntur noſtri ad ægrotos ac moribundos, vt aures præbeant, opémve nouiſſimam præſtent. Itum eſt in carceres. damnati ad vſque ſupplicium allocutione recreati. Olim Canonici quidam,

dam, aliíque viri primarij ab Episcopo se abalienauerant; nostrorum verò industria in officium redierе. Pax itidem diu à principibus Siciliæ viris inter aliquot nobiles quæsita, à nobis aliquando conciliata est. Tres Sodalitates B. Virginis erectæ, vna nobilium, altera scholarium, tertia artificum. Mulieres autem filiis orbatas, aut viro viduatas, pluribus hebdomadis domo pedem efferre, sacrisque adesse veteri instituto nefas erat: nostrorum horratus effecit, vt praua ista consuetudo caderet. Vt ciuitas magna est, ita magna egenorum copia: plurimæ feminæ, illæque honestis ortæ familiis, amictus inopiâ in nostrum templum venire non possunt; solent quippe in Sicilia mulieres longo pallio cùm prodeunt, totæ se obnubere. Nostri in aliquot templa se conferunt, quò vicinæ mulieres vltro citroque commodatis palliis ad confessiones hortationesque illicò se recipiunt. quæ nostrorum charitas magno exemplo ciuibus est. Tria virginum cœnobia ex concionibus nostris plurimum adiumenti cepere. Ex hac residentia in finitima opida nostrorum itidem excurrit industria magno cum fœnore. Accolæ illi oratores ad nos mittunt, vt reuisantur. Alicatæ (Gelam antiqui vocauerunt) pax nobilis à nostris intra paucos dies constituta est, ex qua summa totius ciuitatis tranquillitas pendebat. Concionatum prætérea est in vno cœnobiorum ad sanctimoniales; quæ cùm priùs bona cum cæteris non communicarent, sed priuatim sua quæuis haberet, sermonis vi compulsæ ad Antistitæ pedes accidentes eius imperio sua omnia singulæ cum lacrymis multaque significatione doloris subiecerunt.

PROVIN-

# PROVINCIA NEAPOLITANA.

SVNT in hac prouincia domicilia tredecim, in quibus quadringenti quatuor & viginti versantur è nostris. In Professorum domo septuaginta; in Neapolitano Collegio centũ septem viginti. In domo Probationis tres & sexaginta, in Collegio Nolano tres & triginta, in Catacensi duodeuiginti, in Aletino octo supra viginti, in Barensi tredecim, in Barelitano quindecim, in Cosentino vndeuiginti, in Salernitano duodecim, totidem in Aquilano & Teatino, in domo Professa Beneuentana decem. Adscripti in Societatem ad septuaginta, transscripti in cælum, vt speramus, viginti.

## *Professorum domus.*

NOSTRORVM numerus ad septuaginta; sacerdotes quinque & triginta, reliqui Coadiutores domestici. Ex Patribus migrarunt è vita quatuor, & quidem eorum tres, qui erant è primatum censu, insigni mortis genere, & ad exemplum memorabili: quippe ad Nolanos vulgò pestilentia laborantes auxilio missi, pestem contraxere, obsidem cælestis præmij tam glorioso labori debitam. Quinque in hac domo Sodalitia celebrantur. Primum, idemque præcipuum, quod à Natalibus Deiparę nomen habet, nobilibus viris, Reguliſq; ac magistratibus, nonnullis etiam, vt Christiana simplicitas eluceat, opificibus constat. Eorum numerus centum circiter & viginti. Moris est apud eos honoratorum ciuium inopiam subleuare corrogatis in eum vsum mille ferè & quingentis in annum aureis. Dant etiam

iam singulis annis lautum epulum ægrotantibus in nosocomio, quod vocāt insanabilium. Discumbentibus ipsi quoque ministrant adhibita suaui symphonia. Bis præterea in hebdomada eosdem ægros familiari conuiuio reficiunt, nec animas spirituali subsidio carere permittunt: pro singulis enim, qui in eodē nosocomio moriuntur, tricenis scilicet aut quadragenis in mensem, piaculare sacrum curant faciendum ad aram priuilegio insignem. Alterum Sodalitium, quod ab annunciato Virgini partu nuncupatur, ex forensi ferè multitudine constat tabellionum, scribarum, patronorum; & qui ex eo censu numerus ad centum viginti. Tertium, cui ab assumpta Virgine appellatio, honestissimum quemque mercatorum & opificum excipit; centum ferè & quinquaginta censentur. Quartum, quod purificatæ Virgini militat, ad nonaginta clericos numerat, qui præter communia pietatis officia, mutuis etiam de casibus conscientiæ disputationibus multum sibi comparant opis ad Christianam rem adiuuandam. Quintum, quod ab Angelorum Domina appellatur, famulos tantum amplectitur, atq; assectas nobilium virorum, qui ad primum illud maximumque Sodalitium ventitant. Viget apud omnes Sodales perpetuum studium pietatis, maximè apud eos, qui ex foro & curia. argumento est frequens Sacramentorū vsus, ac Sodalitij celebrādi assiduitas. Ad ægros in nosocomio laborantes omni ope iuuandos frequentissimi conueniunt. Eorum vnus à quodam per errorem grauiter vulneratus, post septimum diem tanta animi æquitate decessit, vt suos identidem enixè rogaret, ne quid in suum interfectorem acerbius cogitarent aut agerent. Id ipsum cùm à matre cui vnicus erat, omni ratione contenderet, nec illa desineret furere, Mater, inquit, ne, quæso, mihi iter

ad cælum impedi, Christum tibi, si sapis, pro me in filij locum opta: cui ego, quòd me hoc mortis genere dignatus est, ago maximas gratias. Inter hæc, cùm nihil nisi de cælesti patria vel audire, vel loqui vellet, ad extremũ Christi crucifixi effigiem arctè complexus suauissimè expirauit. Quidam cùm ab vxore post adulterij iniuriam, præterea necem timeret, eam simul & adulterum occidere obstinauerat animo; iamque à facinore proximè aberat, cùm ab vno è nostris sublatum est vtrimque periculum; nam & à viro, vt vxorem in gratiam reciperet, & ab adultero, vt aliò discederet, impetratũ est. Quidam cùm à religione, quam octo antè annis inierat, defeciſſet, in eam salutis desperationem prolapsus erat, vt morti proximus confessionem respueret. sed is à quodam è nostris ad sanitatem perductus facta peccatorum confessione, migrauit è vita. Capuam ad excolendam Christi vineam dimissi duo: quorum opera fructuosissima fuit tum vniuersis ciuibus, tum pręsertim cuidam virginum cœnobio; in quo vna, quæ religiosa veste abiecta sæculum anhelabat, cùm vnum è nostris de diuinis rebus verba facientem audisset, ita resipuit, vt nemini de futura constantia dubitandi locum reliquerit. Quędam cùm propter libidinem commutandi nuptias suo viro venenum sæpe dedisset sine vllo effectu, vnius è nostris persuasione suum scelus pertæsa destitit ab insania, iamque hominem cuius nuptias ipsa sui viri nece redimere tentauerat, auersatur. Factum quoq; vt nuptiæ multis antè annis perperam initæ, & propter priorũ coniugum cædem, matrimonij caussâ factã, irritæ, de integro sancirentur. Auersana quoque missio à duobus è nostris obita non minùs iucunda ciuibus, quàm vtilis animorum saluti fuit. Argumento est generalium confessionũ frequentia, restitutiones male

parto-

partorum, pellicum eiectiones, cum summa turpitudinis eiuratione, atque abscissione omnium opportunitatum, quæ libidinem in posterum prouocarent. Factum Auersæ illustri sanè operâ, & apud ciues memorabili, vt in cœnobio quodam virginum religiosa conuictus societas constitueretur, quod antea vt consequeretur, Episcopus per aliquot annos adnitente vniuersa ciuitate, frustra tentauerat. Ea res confecta per nostrum, Societatis nostræ nomen apud omnes ciues mirificè commendauit. nec illud non admirandum, quòd quidam conuulnerata per summam ignominiam facie, cùm inimicum à quo tantum vulnus acceperat, atrociter odisset, nec illius intercessione ad pacificationem adduci posset; audita nostri concionatoris oratione statim ad pedes inimici inspectante multitudine accidit, mox hominem complexus neminem sibi in posterum cariorem fore professus est. Idem è nostris cùm incidisset in duos viatores, qui suas item peregrinulas eleganti forma secum ducebant, rogat homines sigillatim nescio quid: vbi illorum responsa non congruere animaduertit, dolum suspicatus, mulierculas ab eorum societate auocat, & in quoddam feminarum cœnobium recipiendas curat. Itum ad varias sacrarum virginum domos, ibique conciones habitæ, multæque confessiones auditæ magno cum fructu. Nolanis pestilentia laborantibus omni ope subuentum. ibant eò bini de nostris contempto mortis periculo, quibus post obitam certorum dierum vicem redeuntibus alij succedebant, nec pauci contagio affecti grauissimè laborarunt; tres etiam Patres, vt suprà diximus, non minùs ætate quàm existimatione graues obierunt. Ad arcendum ab vrbe Neapoli periculum quod saluti corporum imminere putabatur à perpetuis imbribus, in rem-

plo nostro, rogante ciuitate, triduanis precibus supplicatum, idque solenni apparatu, frequentissimoque concursu ciuium; numine etiam votis obsecundante. statim enim expetita cæli tranquillitas consecuta est, quæ salutarem anni cursum portenderet.

## *Collegium Neapolitanum.*

NOSTRORVM hoc anno numerus pro temporum varietate varius fuit. Primò enim vsque ad mensem Iunium amplius centum & quadraginta numerabantur, nisi eos excipias, qui extra Collegium habitant. Ex his septem & viginti sacerdotes, quorum duo Theologiam, totidem conscientiæ officia, quatuor sacras litteras, hebraica, mathematica, politica profitetur. E Fratribus quatuor latinitatis rudimenta, vnus Rhetoricam docet, cæteri ferè omnes discipuli, præter nonnullos, qui sunt ex domestico ministerio, quorũ tres Vesuuianum, duo Planuranum incolunt. Reguani in nostræ ditionis opido extructa sedes, in qua duo Fratres degunt, totidem sacerdotes, quorum alter Christianæ, alter domesticæ rei ac vectigalibus nostris præest. Ab initio verò Iunij auctus numerus Rhetorum Seminario, quod ab vrbe Nola propter imminentis pestilentiæ metum Neapolim translatum oportuit. Ex quo sexaginta supra centum alumnos habuit hoc Collegium, adiectis duobus sacerdotibus, qui domi nostros eloquentiæ præceptis erudiunt. Exercita vel inprimis intra parietes officia charitatis. etenim quadriennes nostri (sic enim eos Fratres vocamus, qui post vota Societatis quartum annum nondum habent emeritum) cùm Nola huc veniissent, affecti iam contage morborum, continuò erumpente malo grauiter laborare cœperunt

vniuersi

vniuersi eodem fermè tempore: sic vt eos valetudinarium non caperet. quam ob rem constituti sunt in aula maxima decumbentium ordines; xenodochium diceres ægris bene refertum. hic verò Fratrum charitas insigniter exercuit se in omnem partem opitulando, fraternæ calamitati ministrando, assidendo. vigilandi labor tantus ac tam assiduus fuit, vt reliquorum munerum administrationi vix locus esset. Ea nobis clades licet diuturna, & vix aliquando depulsa, ad extremũ non amplius duos fratres extinxit. Cæterùm aliis morborum generibus tres absumpti: in his duo sacerdotes; alter ex Romana prouincia, qui rusticæ procurationi prædiorum, quæ ad Neapolim habent Romani socij, præerat; vir antiquæ virtutis, & in suo munere Societati multum probatus. alter qui & ipse Romanus, Theologiam Neapoli biennium iam docebat. Is est Rutilius Ciamberlinus, cuius olim vocatio suis annalibus celebrata satis apertum dederat eius virtutis specimen: cuius nunc desiderium non solùm Neapolitanæ, sed etiam Romanæ prouinciæ acerbissimum accidit. Vir erat singulari ingenio ac probitate, nec solũ egregia charitate ad proximos iuuandos, sed mira etiam suauitate morum instructus; vt quorum saluti consulendum esset, eorum in se amorem facilè alliceret. Elucebat in eo præcipuum religiosæ demissionis atque obedientiæ studium pari erga omnes humanitati coniunctum; vt nihil tam metuere videretur, quàm ne cui ab se vllum deesset, vel officium, vel obsequium. Ob has ille virtutes satis cælo maturus, licet acerbo interitu placidissimè consopitus est, vt nullos in extremo spiritu sentiret conscientiæ stimulos, quibus tamen iuuenis molestissimè pungebatur, præsertim cùm peccatorum confessiones audiret; à quo tum labore ac munere nullis conscientiæ aculeis

abſterritus vnquã deſtitit. E Patribus miſſi aliquot per vices, qui Nolanos vulgò morbis oppreſſos omni ope leuarent; idque maximè neceſſario tempore, cùm omnes eius ciuitatis ſacerdotes vel afflicti morbo iacerent, vel morbi metu ac periculo profugiſſent. A noſtris verò diſcipulis feſtis diebus in compitis, in triremibus, in cuſtodiis multum operę nauatur proximorum ſaluti. Veſuuianum noua ædificatione auctum, vt ſatis iam tecti ſit neceſſariæ ruſticationi omnium noſtrorum autumnalibus feriis. Die Natali Domini habita eſt in templo Collegij quadraginta horarum comprecatio, idque rogatu vrbanorum magiſtratuum, ad auerruncandum vrbis exitium, quod à perpetuis imbribus cum incredibili morborum frequentia ingruebat. Res acta ſumma ope, ſummoque ſtudio vel noſtro, vel ciuium; neque enim à nobis apparatus templi, nec à populo frequentia defuit. par vtrimque diuini cultus illecebra, omnia præter communem conſuetudinem, non ſolùm ad pietatem, ſed etiam ad iucunditatem illuſtria. aulæa, carmina, imagines ex omni parte fulgebant: perſonabat interim templum aliàs opportunis concionibus, aliàs ſuaui vocum neruorumque concentu. Supplicantium multitudo per illud triduum quanta vix nunquam antea. Prodibant à Sodalitiis linteati Sodalium ordines, certo per vices numero, qui flexo genu ante aram flagris in ſe ſæuirent. Scholarum celebritas maior aliquanto, quàm antea, Sodalitatum verò non minor. In primis conceptæ Virginis ſocietas viget egregio ſtudio pietatis, cuius ſemper aliqui fructus, atque adeò maximi ac perpetui ad cuſtodias, ad noſocomia, ad cœnobitarum familias deriuantur. Ex eo genere ſociorum quinque in noſtrum Ordinem, octo in alios Religioſorum cœtus adſcripti ſunt. Nec in

minore

minore Sodalitio minùs feliciter procedit inſtitutio pietatis. Obiit ex eo numero adoleſcens, & generis & virtutum ſplendore clarus. Is (quod in homine ſtudiis dedito admirere) non ſolum quotidie omnes Chriſti Domini cruciatus ſtatis horis meditabatur, ſed etiam (quod quemuis Religioſum hominẽ pudefaciat) quinquies in ſingulas noctes eius meditationis cauſſa ſurgebat è lecto; cæterùm acer & aſſiduus in afflictando corpore, ſic vt eius rei moderatio imperanda homini fuerit à confeſſario, cuius ille præceptis non parere nefas putabat. Ex hoc Sodalitio quinque ſe in Societatem noſtram, ſex in alios Religioſorum Ordines contulerunt. Artificum Sodalitia, quæ in hoc Collegio quinque celebrantur, florent vt cùm maximè tum ſtudio pietatis, tum maximo ac lectiſſimo plebis numero. Eorum pietas aliquando in communi ciuium calamitate perſpecta eſt. nam vaſtãte vrbem cluuione morborũ, omnes propitiandi cauſſa numinis, linteis de more ſacris induti ad maximam ædem præcipuaque vrbis templa proceſſerunt illuſtri pompa, atque ordine prælatarum facium vrbem illuminante. Mirum quanto pietatis ſenſu id ſpectaculum contuentes affecerit. Ex eorum numero vnus in noſtrum Ordinem, quatuor in alias Religioſorum ſocietates adlecti ſunt.

## *Domus Probationis.*

ALVIT hoc anno hæc domus ſocios circiter ſexaginta: ex his ſacerdotes ſex, in quibus quatuor è ſecundo nouitiatu, cæteros ferè nouitios, duos ſcilicet & triginta, qui ſunt è litteraria diſciplina, cæteros ex familiari miniſterio; ſex quidem veteranos, quatuordecim nouitios. Migrarunt è vita tres ſpectatę virtutis, in primis vnus (is eſt Lu-

douicus Iappius) qui tribus Societatis noſtræ Generalibus in famulatum affixus, in ſumma eius muneris laude conſenuit. qui cùm morbo affectus Neapolim curationis cauſſà veniſſet, in hac domo diem tum obiit. Spirabat in homine animam iam agente tantus amor obedientiæ, vt nihil quod valetudinarij præfectus ſuaderet, abnueret. Monitus, vt ſacrum viaticum ſumeret, tanto eius deſiderio flagrare cœpit, vt identidē exclamaret, Sitio. Nullum denique eius factum, nullum dictum extremo illo tempore aliqua ſanctitatis ſignificatione carere videbatur. Admiſſi in Societatem nonnulli præclaræ indolis adoleſcentes: in his aliquot nobiles integerrimis moribus. horum vnus cùm ad eum mater ſalutatum veniſſet, ſuperiorem ſummis precibus, ac magna vi lacrymarum exorare conatus eſt, tantùm vt maternum vitare liceret aſpectum. Alius cùm flagraret deſiderio Societatis, à conſanguineo in cœnobium virginum ad duas ſorores perductus eſt, vt earum perſuaſione conſilium mutaret: qui cùm ſolus in templo relictus eſſet, clauſis foribus, impetrato à monialibus exitu, protinus ad nos venit Crucifixi effigiem gerens, cui ſe aiebat acceptum referre beneficium vocationis. Idem, cùm ei in prima probatione calcei obſoleti ac ruſtici dati eſſent, eos oſculatus magni muneris loco habuit. Cæterùm omnes ſummo animi ardore, ad omnium virtutum ſtudium, maximè verò obedientiæ & ſimplicitatis, incumbunt. Si quod cuiquam latinum verbum exciderit, religioni habetur, idque apud eos maximè, qui & ingenio, & aliqua litteratura conſpicui. Superioris apud eos quamuis ſimplex & rudis, ſermo pro oraculo eſt. In moribus autem nihil fictum aut inuolutum, nihil denique quod aliquo cum labore Rector exploret. In corporis afflictatiunculis tantū abeſt vt egeant ſtimulis,

stimulis, vt etiam cohibendi sint, ne modum excedant. Sæpe vt in nouitiatu diutiùs commorari liceat, votorum prorogationem efflagitant. Nec desunt è discipulis, qui vt vitam in domestico ministerio traducere liceat, vehementer etiam atque etiam postulent. multi Indicam profectionem ardenter exposcunt. Mos inductus vt in commentationibus spiritualibus per integrum mensem exerceantur; etiam ii quorum valetudini ab illo animi labore timendum aliquid esset. Quæ res tantum abfuit ab omni periculo, vt etiam infirmissimo cuique ad aliquam virium confirmationem conducere videretur.

## *Collegium Nolanum.*

ACCIDIT hic annus Nolanæ vrbi, propter ingens exitium, memorabilis. nam ex radicibus Cicalæ montis proximi, tanta in subiectam planitiem facta est aquarum eruptio, vt periculum esset ne præcipiti vndarum lapsu proruta vrbs, abiret in profluentem. Iam enim non modò circumiectos agros latè inundauerant aquæ, sed etiam tecta vrbis illabi cœperant, sic vt ima pauimentorum altè stagnarent. Ciues, ne conuulsis ædibus dilaberentur, fluctus primò in diuortia diductos auertunt ab vrbe; tum longiùs deriuatos, in vicinum flumen immittunt per medios agros ingenti opere interfossos: torrens qui se voluebat viam nactus, alueum implebat altum ad quinque pedes, latum ad nouem. Ducebatur è duodecim (vt aiunt) puteis, qui ad ima montis rudi opere defossi erant, tantùm vt ad campos irrigandos vsui forent: ex his præter morem modumque exuberantes aquæ cœperunt erumpere vsque ad quintum mensem. Adhuc circa vrbem longè lateque ad duo passuum

millia ſtagna & lacunę cernuntur. Superiecto non-
nullis locis ad octo pedum altitudinem æquore, ſi
vt lintribus tranſmittatur. qui rem viderunt, enar-
rant quæ non modò aurium, ſed oculorum etiam
fidem ſuperent. Initio illud erat in metu, quod
poſtmodum accidit, ne poſt infinitum terræ ma-
dorem atque proluuiem, cæli grauitas conſequa-
retur ſaluti corporum noxia. Eſt enim in veteribus
monumentis, idipſum eodem loco ſuperioribus
ſæculis accidere ſolitum nonageſimo quoq; anno.
præterea terrebat animos vetus inſcriptio cuius-
dam lapidis, qua teſtatum erat de quadam inſigni
clade ac peſtilentia, quę olim ſimile diluuium con-
ſecuta, ad octo millia ciuium abſumpſiſſet: adſcri-
ptum quoque erat elogium quo maiores poſteri-
tatem admonebant his verbis: *Cùm vernum dilu-
uium in agris tuis Nolane videris, mors mora, vita
fuga erit.* his rebus in ſummam ſollicitudinem ad-
ducti ciues cladem vrbis extimeſcere, omnes ad
templum noſtrum accurrere: hic ad aram caterua-
tim affuſi, afflictique ad terram cum ingenti com-
ploratione, numinis opem petiere lamentabili ei-
latu. Nos Deo propitiando ſtatim tridui compre-
cationem indiximus. Huc virgines paſſo capillo
nudiſque pedibus, longam ſupplicij pompam du-
cere; pueri longo ordine procedentes, pauimētum
templi lambere a primo ingreſſu ad ſummā aram
perpetuo linguæ tractu; viri nobiles è noſtro Soda-
litio, ſaccis induti, & ante aram in genua proclina-
ti, nudatos humeros flagro cædere, concinente in-
terim choro quinquageſimum pſalmum. Atque
hæc initia fuere futurorum malorū. Non ita multo
pòſt cælo indies magis ingraueſcente, morbi luc-
quę timebatur, concepta iam corporibus tota vrbe
vulgatur. Mox ſe in vicinos pagos effundit. quo
cum multi propter metum confugiſſent, eos con-
ſecu-

secuta pestis miserabiliter occupauit: quamquam hi non tanto curandæ valetudinis incommodo laborabant, quanto illi, quos in vrbe morabatur inopia. hi nempe omnibus auxiliis destituti passim & vi morbi, & curationis difficultate moriebantur. Nostri ad eos auxilio iuuandos ab vrbe Neapoli bini per vices submittebantur. Ea contage læsus Nolani Collegij Rector, Neapolim deportatus est, nec multis pòst diebus interiit. Nostrorum etiam operâ factum est, vt Nolanis tanto malo afflictis multum opis à Neapolitano Prorege impertiretur, missis in eam vrbem medicamentariis, medicisque, quorum summa per id tempus inopia interitum ciuitati repræsentabat. Nobilis quidam ciuis è Nolano Sodalitio cùm vita functos frequentissimis pietatis officiis iuuare consueuisset, nescio quo animarum Purgatorij viso monitum se esse dicebat, vt se ad subitam mortem quàm celerrimè compararet: qui statim apud quendam è nostris totius vitæ peccata confessus, in summa valetudinis firmitate subitò occidit.

## *Collegium Lupiense.*

FVERE in hoc Collegio hoc anno Patres quindecim, Fratres tredecim. Rei Christianæ progressus idem qui anno superiore. Exhibita extremis bacchanalibus triduanæ supplicationis solennia magnifico apparatu, maximaque frequentia. Datum à discipulis insigne drama: ab iisdem accepta de more præmia. Sacrarum reliquiarum translatio in templum nostrum celeberrima fuit vel honore pompæ, vel studio populi. nec abfuere miracula. Nam rosaria, quæ reliquias contigissent morbos abegerunt multis; inter hos mulieri veterem quartanam, viro cuidam nobili grauem corporis dolorem,

dolorem, puero periculosam anginam. Res familiaris non parum locupletata liberalitate multorum ciuium. nam vt ea quæ ad cultum victumque pertinent, quæ ciues nobis abundè suppeditant omittamus; nobilis quidam ciuis ducentos aureos nobis testamento reliquit. totidem primaria mulier dono dedit. Inprimis verò memorabilis est liberalitas cuiusdam mulieris, quæ cùm matrem haberet & cognatos, tamen Collegium nostrum heredem ex asse fecit: cumque a nostro sacerdote admoneretur, vt aliquid quoque suis relinqueret, respondit, satis esse matri suæ diuitiarum ad honestè viuendum; cognatis nihil se debere, sed omnia IESV Christo, cui se multo antè in perpetuum despondisset. Ad extremum nostri sacerdotis precibus exorata matri legitimam hereditatis partem; aliquid etiam cognatis decidit. quod ad nos peruenit, aureorum duobus ferè millibus æstimatur. Nobilis quædam virgo, cùm spiritualia nostra exercitia peregisset, sacrarum virginum cœtum iniit: quæ si aliquando susceptam vitæ rationem voto professa fuerit, mille se aureos nobis ad ornatum templi subinde erogaturã promisit. Sacrarium vario munere vestium, aulæorum, imaginum locupletatum est. E Sodalitio discipulorum tres in Societatem adscripti sunt; quinque iam designati, probatique suffragiis conscriptorum Patrum, primo quoque tempore admittentur. Plures etiam in alias Religiosorum familias cooptati. Excursationes ad opida castellaque vicina multum rei Christianæ progressum iuuant. Nec interim in vrbe cessamus in plebecula Christianis præceptis erudienda diebus festis, idque sex ferè locis dispositis per vrbem institutoribus. Huius operæ pretio redempta salus cuiusdam virginis, quæ in eam animæ desperationem adducta erat, idque a

puerilia

pueritia, vt confessionis puritatem planè contemneret, licet alioqui grauissimorum criminum conscientia premeretur. quæ cùm aliquando sacerdotem nostrum de salutari pœnitentia differentem audisset, statim ad spem salutis erecta totius vitæ confessionem apud eundem fecit, quotidieque maiores in pietate processus habet. Viget in sociis studium adiuuandi ægros ac vinctos.

## *Collegium Catanzarienſe.*

CATANZARII vndeuiginti socij habitant. Additum hoc anno ad duo latinitatis gymnasia tertium Philosophiæ, admirabili concursu discipulorum. In ea re vel inprimis ciuitas nobis fauit: quæ cùm idipsum antea expetisset, promisit, se quidquid ad structionem gymnasij opus esset, libenter erogaturam. Rei Christianæ diligenter ac strenuè vacatur tum in tribus Sodalitiis, tum in templo, maximo vtrobique confluxu non vulgarium hominum. Troptiam in vrbem non longinquam aduocamur, magno studio ciuitatis ad condendum Collegium, cuius ampla nobis facultas prædiuitis viri testamento relicta est. In ea re ciues nobis admirabili studio omnes fauent, sed inprimis Episcopus, qui tantum nobis operæ studiique pollicetur in id negotium, quantũ à viro Christianæ religionis amantissimo expectari posset. Porrò is qui hereditatem nobis ex asse reliquit, egregium Societati nostræ testimonium amantissimis verbis dedit, quod ex formula testamenti, quæ ad Patrem Generalem missa est, cognoscere licet. Iam in eam vrbem Rector Catacensis cum vno è Patribus ab Episcopo accersitus, summa ciuium gratulatione exceptus est, ibique triduanam commorationem in explorauda negotij ratione

cum

cum aliquo animarum fructu atque vtilitate consumpsit. Nec minimum operæ in animarum salute positum à duobus Patribus Neapoli redeuntibus, qui cùm in itinere ad audiendas confessiones in proxima oratoria templáve diuerterent, multos insigniter adiuuerunt; inprimis nonnullos, qui ad triennium confessione caruerant, & mulierem quæ ex corporis prostitutione in capitis periculum venerat. Duobus virginum cœnobiis sacrarum confessionum beneficio peropportunè cõsultum: quorum in altero sedata est intestina & periculosa discordia, quam primarij ciues tollere nulla ope potuerant. Iam & vinctis quoque & prodeuntibus ad patibulum non desunt à nostris Christiana subsidia, tum quæ animæ, tum quæ corporis, vel morbos, vel inopiam leuent. Quidam cum consobrina concordi flagitio ita viuebat, vt diuturnam stupri consuetudinem vulgò matrimonij famâ tegeret: qui vt nuptias ritè sancire posset, per nostros à summo Pontifice impetratum est. Sedatum etiam capitale odium inter duos, quorum alter qui erat insigni ferocia probatoque sæpiùs singulari certamine, adductus est hortatu nostrorum, vt ipse inimicum prior salutaret: quod vix ab ingenio tam feroci impetrari posse videbatur. Ad rem familiarem ex piorum hominum liberalitate nonnulla accessio facta est.

## *Collegium Barienſe.*

BARII diſſidiis odiiſque tollendis perutiliter laboratum. Nobilis quidam miles fœdiſſimi criminis à quodam inſimulatus, & eam ob rem adductus in apertum vitę diſcrimen, criminatori ſuo necem moliebatur. qui tamen à quodam è noſtris ad ſummam animi æquitatẽ adductus eſt, & præ-

ſens

sens mortis periculum vtrimque depulsum. Pacati etiam animi plurimorum ciuium, qui factionibus ciuitatem diuiserant multis ferro sublatis. nec res longè aberat à multorum præterea cæde atq; pernicie. Quę res vt difficillima videbatur, ita Societatis nostræ existimationem apud ciues plurimum auxit. Nec minus impensum operę in clericos cum reliqua ciuitate conciliandos, qui tam crudeliter dissidebant, vt præclarè secum agi vnusquisque putaret, si vitam intra parietes tueretur. Sed quod diuinum beneficium fuit, pax inter eos vnius è nostris consilio facta est. Quædam mulier in facie grauiter vulnerata, vt ab vlciscendi consilio desisteret peruicta est; quod eo difficilius fuit, quò faciliùs sicarium, à quo id vulnus acceperat, coniectum iam in vincula opprimere iudicio poterat. Alius accepto lethali vulnere morti proximus cùm propter vlciscendi libidinem vltimam peccatorum confessionem cum periculo prorogaret, ad salutarem pœnitentiam maturè perductus. Vnus veterem pellicatum, cui nescio quam coniugij speciem verbo prætenderat, matrimonio commutauit.

## *Collegium Salernitanum.*

VNVS pellicem suadente quodam è nostris, in vxorem duxit. Adiuti Christianis auxiliis vel ægri, vel ij qui ad supplicium ducerentur; quorum vnus, raro sanè exemplo, cuiusdā è nostris monitu ad detestationem anteactæ vitæ tantum profecit, vt acerbius aliquod suppliciū quàm quo erat afficiendus, sibi per nostrum impetrari vellet à iudice, idque etiam atque etiam ab eo contenderet. Datum de more populo iucundum drama, nec minùs ad pietatem accommodatum, quàm ad discendi studium in adolescentibus excitandum. Accessere

ad

ad sacram supellectilem munera non pauca, inter hæc argenteæ quędam lampades. ad extructionem templi octingenti aurei dono dati. Sodalitium discipulorum non mediocriter auctum, vel pietatis vel multitudinis incremento. Viget in eo frequentissimus Sacramentorum vsus, & quorundam insignis vitæ mutatio apud omnes ciues Sodalium institutum facilè commendat ac probat: ex his nonnulli magno Societatis nostræ desiderio tenentur alij varios religiosorum Ordines inire contendunt. Itum ad vicina opida, in quibus conciones multæ habitæ, cõfessiones auditæ, tradita in vulgus Christianæ fidei elementa, superstitiones euulsæ, odia restincta, cum filiis pacificati parentes, nonnulli rei alienæ restitutionem, bonamque frugem addicti. In duobus opidis instituta sunt duo Sodalitia & quidem in altero statim a Sodalibus erecta ædes, Sodalitatis vsibus oportuna: vtrobique pietatis cultus egregiè promouetur.

## *Collegium Consentinum.*

CONSENTIÆ vndeuiginti ferè socij habitant nouem sacerdotes, quorum vnus Philosophiam, alter casus conscientiæ docet. Inferiorum classium tres magistri. Societatis munera domi foriſque pares habent progressus. Adita frequenter Christianæ rei causa tum vicina opida, tum vrbana pauperum hospitia, publicæque custodiæ. ne animis solùm, sed multorum etiam, vbi opus fuit, corporibus pro nostra facultate subuentum. Apud vinctos multum operæ collocatum in cultu pietatis augendo. Institutum est enim vt sacra inter eos mysteria celebrẽtur, extructo ad id sacello nostrorum operâ. Mos etiam inductus, vt Sanctorum Litanias ante imaginem Deiparæ quotidie omnes reciten-

recitent. Nec minor extitit in vicinis pagis diuini cultus amplificatio, eaque quotidiana. Iam enim quocumque nostri perueniunt, summa paganorum lætitia excipiũtur, pari cum desiderio ac mœrore dimitti solent. In opido quodam instituta erat nostrorum operâ, quædã Sodalitas hominum, qui præcipuum colendæ pietatis institutum profiterentur. Fortè vnus eorũ minùs probatis moribus, & quòd graues inimicitias gereret, in officio adeundi Sodalitij nimis infrequens, cùm sæpe admonitus esset, vt resipisceret, nec ille remitteret contumaciam; ad extremum præcisè denunciatum est homini, fore vt nisi Sodalitium frequentaret, Sodales illum expungerent. Adhæc ille indignabundus, Ego verò, inquit, ad Sodalitium tunc scilicet veniam, cùm hoc mihi caput abscissum fuerit, & hæc crura membraque simul. & hæc dicens corporis sui partes signans, certum sibi interitum portendebat. Paulo enim pòst cùm incidisset in manus inimicorum, miserabiliter interfectus est, dissectusq; ea prorsus concisione membrorum, quam sibi ipse ominatus antea fuerat. Res apud vulgus in miraculis fuit. consecuta statim opinio celebris eademque salutaris, Deiparam sui Sodalitij desertorem diuinitus mulctasse tanto supplicio, vt alios à tantæ defectionis periculo deterreret. Iam vnius exitio docti multi ex Sodalibus diligentiùs ad institutum incumbunt. In primis verò ipse eius, qui necatus est germanus frater, qui omnem Christo facilè donauit iniuriam, ratus diuina potiùs vltione fratrem esse mulctatum, quàm humana crudelitate interemtum; quin & hanc fratris calamitatem pro documento habuit pietatis studiosiùs amplectendæ. In eodem opido quædam mulier honestis natalibus, moribusque, nec vulgari existimatione pietatis, cùm dixisset cuidam è nostris se à dæmo-

ne miseraudum in modum afflictari solere, idq
tum maximè, cùm Symbolum Apostolicum a
Salutationem angelicam recitaret, composita
deuotionem manibus, ac supplici positu corpo
quòd si easdem precationes dissoluto corpore
citaret, id verò sibi impunè solitum licere per
monem. Iubet eam noster se inspectante rem exp
riri. illa statim dicto audiens supplicabundo corp
re Salutationem angelicam exorditur; cùm ec
tibi præsens à dæmone vltio. mulieri repentè gut
inflari, anima intercludi, vox impediri atque int
mori, oculorum orbes præter humanam form
intumescentes horrendum in modum contorqu
ri, ac propemodum dissilire: nec antè vexari de
quàm iussa est à precatione desistere. Eade
aliàs cùm ab eodem sacerdote ad simile exper
mentum eliceretur, simili etiam ac magis porte
tosa vultus commutatione sacerdotem absterru
affirmat mulier fauces sibi quas semper amatu
dine aliqua habet affectas, sumto cælesti pane in
credibili suauitate solere affici. Porrò dæmonem
quo die ad sacram ipsam mensam accedit, à fauc
bus discedere in alias partes corporis. Iam de sub
latis vbique inimicitiis odiisque nihil attinet di
cere, si dicendi quærendus est modus. Ereptæ quo
que mulieres, & in his aliquot nobiles, à periculo
mortis, sæuiente propter suspicionem zelotypia.
Parochi multis locis instituti ad plebem Christia
nis præceptis erudiendam, ac sacris mysteriis im
buendam. Itum ad Silam (sylua est celeberrimi no
minis) à duobus è nostris. ibi pastores atque bu
bulci in tanta Christianæ disciplinæ insolentia vi
uunt, vt eorum nonnulli salutare signum crucis
ignorent. ab vrbibus, à templis, à Christiano con
uictu perpetuò absunt. multi ante nostrorum ad
uentum Symbolum Apostolicum ne inaudierant
quidem,

quidem, nec pauci vicesimum iam annum, aut tricesimum confessionis Sacramento carebant. In eo genere hominum Christianis moribus imbuendo sanè quàm vtiliter laboratum est. nonnulli quoque latrones, quorum infinitum numerum in eam syluam allicit copia pecoris, quæ victum abundè suppeditat, inter occultissimas latebras ad bonam frugem perducti animos expiarũt. Sed illud inprimis mirum ac memorabile. dum in castello prope Silam nostri Christianam rem gerunt, hominem offendunt vultu barbaro ac sanguinario, qui alterum è nostris ad se vocatum rogat, vt copiam sibi faciat confitendi peccata: ob id enim iam iter sibi esse Cõsentiam, nisi eius rei repræsentatam sibi diuinitus facultatem occursu sacerdotum agnosceret. Annuit noster, auditq; libenter hominem nulla interposita mora: vbi ille profusa vi lacrymarum cum summa doloris significatione peccata confessus est, cùm rogaretur à nostro ecquid ei accidisset, quod animum adeò commouisset; Pater, inquit, ego ante hunc diem sceleratissimus ac teterrimus omnium, aliam nunc diuino beneficio vitæ rationem ingredior. testis est improbitatis meæ, quisquis me bene nouit ex opidanis: verè omnes dicent me à templo, à re diuina, à crucis signo, ab omni denique Christiani hominis officio semper abhorruisse. vel nouissimè, cùm ita iam ad nequitiam obduruissem, nihil vt dies noctesque, nisi cædes inimicorum, ac turpissima quæque flagitia cogitarem, quosdam, qui oblatam mihi cuiusdam flagitij opportunitatem ademerant, vlcisci cæde statueram. Iamq; in cubiculo dum sclopum solus expurgo atque præmunio, ecce tibi iuuenem conspicio ante me insigni pulchritudine, ac iucundissima oris venustate conspicuum; vestis infinito fulgore cubiculum illuminabat. Dum ergo ad eius

aſpectum inter venerationem ac ſtuporem ſilenti
defixus teneor: ille interim blandis vocibus me a
pellans, Ecquid, inquit, negotij eſt in manibus
Ego verò nihil, inquam, negotij. cumque iterum
ac tertiò idem interrogatus, idem reſpondiſſem
Méne, inquit ille, putas ignorare quid agas? an eg
non penitus inſpicio omnes animi tui latebras? ill
die, illo loco, illo te ſcelere obſtrinxiſti. Hæc dicen
certa mihi ac vera flagitia diuinabat, indicatis lo-
cis atque temporibus. Mox ea me narratione pe-
defactum atque perterritum mitiùs affari, multa-
que de Chriſti Domini cruciatibus mea cauſſa ſu-
ceptis commemorare, idque tanta oris elegantia
tantaque ſermonis venuſtate, vt præ audiendi ſua-
uitate in lacrymas pænè totus diffluerem. Cùm in-
ter lacrymandum ingenti peccatorum dolore per-
culſus horruiſſem, ille facto dicendi fine, meque
adhuc lacrymantem afflictumque ad terram, tac-
tus aliquantiſper intuitus, ſtare iubet, monet vt fa-
cta totius vitæ confeſſione mutem viuendi mo-
dum: in mea enim manu eſſe ſalutem meam, nec
diuinam mihi clementiam defuturam. Hæc cùm
dixiſſet, ſentio pulſari ianuam domus. ego ne ocu-
los à ſuauiſſimo conſpectu iuuenis auerterem, ad
feneſtram non curabam accedere. Admonet me
ille, vt pulſanti omnino de feneſtra reſpondeam.
Facio. mox eo qui pulſarat dimiſſo, dum me ite-
rum conuerto ad iuuenem, nuſquam illum repe-
rio. Ex illo die tantus animo meo ex peccatorum
recordatione dolor inceſſit, vt me ipſe vix ferre
poſſim. Hęc ille cùm dixiſſet manantibus lacrymis,
à noſtro ſacerdote opem flagitare piarum precum,
ſibi eſſe iam in animo in Cappucinorum familiam
ſe recipere: quem noſter bono animo eſſe iuſſum
conſiliiſque ad ſalutem idoneis inſtitutum dimiſit.

Colle-

## *Collegium Barolitanum.*

LIBERALITER omninò ac benignè à ciuibus tractatur in hac vrbe Societas. Perspectum ex eo quòd ædes nobis imbrium tempestate semirutas tum publica ciuitatis, tum priuata nonnullorum ciuium liberalitas instaurauit. In eam rem ciuitas nobis regio permissu ducentos aureos, quadringentos verò priuati quidam ciues erogauerunt, amplius omnino quàm quantum ad domum reparandam satis esset; vt ex ea pecunia etiam quidquid erat Collegio contractum æris alieni, commodè dissolutum sit. Emta est hoc anno perampla vinea, nec ea quidem minùs ad vtilitatem fructuum, quàm ad necessarium relaxationis vsum idonea. Supplicationum solennitati semper mirum in modum fautum à populo, vel frequentia, vel pietate, vel communi significatione lætitiæ. Prodeuntibus ad patibulum nostri adfuere solatio, magno tum labore, tum fructu, cùm eius rei causa præter diurnam assiduitatem esset præterea sæpiùs pernoctandum in carcere. Traduntur Christianæ disciplinæ rudimenta pluribus per vrbem locis, maximè vbi pauperculæ habitant; quas vestitus inopia & corporis nuditas à conspectu hominum, & à sacris ædibus prohibet: quæ etiam omni Sacramentorum vsu carent, non solùm eas identidem piarum confessionum ope iuuamus, verùm etiam, vt communicandi facultatem habeant, actum à nostris cum sacrorum vicario, vt in proximis sacellis rem diuinam fieri iubeat.

## *Collegium Teatinum.*

RES litterariæ maiores quotidie progressus habent. è Sodalitio discipulorum duo in Religiosorum familias cooptati, multi à veneficiis abducti, datis in potestatem nostram maleficiorum libellis. graues discordiæ tum inter ciues, tum inter primos Prouinciæ magistratus compositę sunt. duabus in familiis dissidia coniugum sublata, quæ ad diuortium cædémve spectabant. multi in extremo supplicio adiuti salutari ope piarum exhortationum. Cœptum hoc anno ad vicinos pagos adire magno cum fructu paganorum. Aucta res familiaris accessione quorundam oliuetorum, quæ nostro Collegio à duobus ciuibus attributa sunt. Adstructionem templi coëmta continens domus quingentis circiter aureis.

## *Collegium Aquilanum.*

AQVILÆ tredecim commorantur è nostris. nonnulli sacrum Aduentus tempus perpetuo singulorum dierum ieiunio obierunt. Numerus discipulorum crescit in dies, præsertim seminarij alumnis, qui plurimi sunt, adiunctis. Artificum Sodalitas erecta, & ad Romanam aggregata. Sodalium numerus ad septuaginta. explicationi Catechismi in templo datur opera, vexillo per vrbem pueros conuocante. Auctus maiorem in modum confitentium, & ad sacram mensam accedentium numerus. sublata inter primarios viros dissidia cædi proxima.

Colle-

## *Collegium Beneuentanum.*

BENEVENTI quæ antea fuerat Professorum domus, facta est hoc anno Collegium. in eam rem ducentorum aureorum prouentus à summo Pontifice Clemente VIII. attributus est. Duobus iam gymnasiis institutis docere cœptum, tanta discipulorum frequẽtia, vt nisi ea remittat, tertium aperiri ludum oporteat: qua de re actum iam diligenter à ciuibus, & ad Patrem Generalem relatum. Optimè de nobis meretur Illustrissimus vrbis Archiepiscopus Maximilianus Palumbarius, cuius liberalitate ædes nobis coëmtæ, ac bibliotheca optimis plurimisq; libris instructa est Cæterùm proximorum saluti egregiè vel in templo, vel in Sodalitate nauatur opera. Sodalium vnus post acceptum publicè colaphum in summa vlciscendi facultate æquissimo animo eam iniuriam amico donauit: mox iterum rogatus ab alio, vt parceret inimico, ille vt animi sui æquitatem testificaretur, ad pedes inimici multis inspectantibus accidit, eosque cum lacrymis osculatus est. Extincta multorum odia, eaque non leuia. duo viri primarij, qui se mutuo prouocauerant ad singulare certamen, cùm ad locum pugnæ destinatum maximè properarent, vnius è nostris interuentu conciliati sunt. Cùm sæuiret annonæ caritas, & vniuersa ciuitas eam ob rem morbis afflictaretur, corrogata per nostros ostiatim stipe subuentum laboranti plebeculæ. nec in animis confessione expiandis à labore cessatum.

VERSATI sunt in prouincia socij ducenti supra octoginta duos, locis tredecim diuisi. Mediolani in domo Professa triginta sex, in Collegio Breidensi octoginta tres, in Genuensi Collegio vndequadraginta, in domo Probationis viginti quatuor, Taurini nouem, Nouocomi duodecim, totidem Vercellis, in Monte regali viginti duo, in domo Probationis Aronensi triginta duo, in missione Cremonensi ante institutum Collegium sex, in Alexandrina tres, in Lucernensi duo, in Nicensi duo. octo migrarunt è vita: quindecim Societate donati.

## *Domus Professa Mediolanensis.*

IN Professorum domo data opera est, ne in officiis cùm domesticis, tum externis quidquam de superiorum annorum diligentia studioque decederet. Adolescens quidam sub dominatu hæreticorum ortus in Italiæ finibus, turpibus amoribus irretitus, huc illuc diu fuerat, perturbationibus animi, exagitatus per Italiam. Hunc grauissimorum scelerum conscium, & summa rerum inopia laborantem dæmon humana specie sese illi obiiciens mira arte ad desperationẽ adegerat: suaserat enim misero per religionis simulationem, quo melius incautum falleret, vt Sacramentis Ecclesiæ ritè munitus sibi necem aperta vena conscisceret; fore hac ratione vt in cælum sine sensu doloris reciperetur. Fluctuans ergo, & pendens animi cùm in nostrum

strum sacerdotem incidisset, ab eoq; monitis salutaribus opportunè instructus esset; tandem gratia diuina mentem eius cæcam illustrante ad saniora consilia reuocatus est. Comes Fontium pro Catholico Rege Mediolanensis ditionis Gubernator est Societatis nostræ amantissimus. cùm virorum nobilium congregationem, quæ apud nos diebus festis cogitur, inuiseret, peramanter nõ modò studia Sodalium pietatemq; laudauit, sed etiam in eorum numerum se adscribi voluit. Solennitas sacrosanctæ Eucharistiæ populo ad adorandum expositæ cum extraordinario templi apparatu, symphonia, concionibus crebris, quo triduo multi mortalium licentiùs bacchantur, quæ superiore anno in experimentum instituta & iucunda & fructuosa fuit, hoc anno cum eadem, & verò etiam maiore celebritate, approbatione ciuium, atque operæ pretio repetita est: vt iam nemo dubitet de ea, tanquam stato ac certo ritu, nec non vtilissimo, Christianis in posterum retinenda. Obiit Franciscus Grimaldus Genuensis claris ortus natalibus, & bonæ indolis ac spei adolescens, qui medicorum suasu mutandi cæli caussa huc Genua profectus, etsi nonnihil æstate releuari visus est, vertente tamen autumno consumptus est tabe. Hic quindecimum ætatis suæ annum agens Societatem ingressus, cùm à matre conquesta deceptum fuisse adolescentulum, & filium charissimum immatura ætate & deliberatione sibi propemodum abreptum, validissimè oppugnaretur, per virum eloquentissimum ac vehementissimum, & à Religione reuocaretur; stetit in illa ætatula ac pugna inuictus, & eandem præstitit in perseuerando constantiam, quam præ se tulerat in ingrediendo. Triennio pòst in morbo diuturno patientia eius eluxit singularis cum animi magnitudine coniuncta; qua minimè querulus

vim ingraueſcentis morbi diſſimulabat, & cruciatus aduentantis mortis æquo ferebat animo vſque ad admirationem omnium. dulci demum quaſi ſomno conſopitus, qua tranquillitate animi vixerat, eadem abiit, vt ſperamus, in cælum.

## *Collegium Breidenſe.*

DVO vitam eodem ferè tempore finierunt, qui pariter venerant in Societatem Ferrandus Berga, tum Matthæus Sandilianus. hic illo animam agente, quaſi in communionẽ gloriæ cum eo euocaretur, cum quo fuerat ad vitæ religioſæ diſciplinam vocatus; cùm iam dudum conſtitutione corporis eſſet affecta, cœpit decumbere, nec exſiliit è lectulo, donec lenta ſenſim tabe conſumtus interiit. Nullum abire diem eſt paſſus, quo non vocaret confeſſarium ad expianda peccata: neque confeſſarium rogabat modò vt ad ſe venire ne grauaretur, ſed certos etiam Patres ac Fratres, qui de diuinis rebus ſermones haberent, aut aliquid ex pio libello recitarent. Dictitabat interdum eas ſe iam voluptates in terris delibare, quibus paulo pòſt, Deo iuuante, abundè perfrueretur in cælo. cùm de proxima defectione Solis inaudiſſet, mirificè lętatus eſt, quòd ſperaret eum diem ſibi clariſſimum fore, qui cæteris mortalibus futurus erat obſcurior. animam exhalanti adfuit P. Rector, qui cùm ſciſcitaretur an ipſum peccatorũ pœniteret, annuit ille toto capite, quia lingua non poterat. extendit ſtatim Pater manum ad abſolutionem, ac vix ſacroſancta verba peregerat, cùm ille & noxarum & corporis contagione liberatus eſt. Obiit item diem ſuum Ioannes Baptiſta Vallius Coadiutor ſpectatæ virtutis & laboris, præſertim tolerantiæ ſtudioque orationis eximius. Hic dum operam ſuam in rebus ruſticis egregiè

egregiè probat, quo diuinæ prouidentiæ lethi genere maximè placuit, ex hoc ergastulo corporis in cælum euolauit. Sodales Parthenij tribus domesticis distributi congregationibus, & vna externa ad Collegium nobilium, quò rogatu primariorum ciuium nostri diebus festis adeunt, ad omne genus virtutis exardescunt. Nosocomia summa cum alacritate petunt, sternunt lectos, sordes expurgant. Singularis porrò vnius se virtus prodidit in egregia, quam de se retulit, victoria. Perhorrescebat bonus adolescens nomen, nedum aspectum loci; cùm diuino tandem impulsu animum agitante Patrem adit, de imbecillitate sua fatetur, sibi esse in animo confirmat se ipsum vincere. constituitur dies, adest bene mane, itur ad infirmos: ecce tibi ad loci adspectum expallescere, horrere, titubare, sudore madere; sed obfirmato Christi amore animo cubiculum ingreditur, terram osculatur, cælestè numen implorat. nec mora, strenuè sese ad opus accingit, pallium abiicit, sternit lectos, tractat culcitras tanta animi alacritate, vt cæteris omnibus esset incitamento. Huius & sociorum exemplo motus adolescens quidam vocantem se Deum ad Societatem audire decreuit. Nec in discruciando corpore ardor defuit: nonnulli cùm flagro carerent, cingulo se ferro præfixo diuerberarunt. Iidem Sodales doctrinæ Christianæ rudimenta docent, pueros in templum cogunt non sine munusculis in hunc vsum comparatis. Illud verò & visu pulcherrimum, & iucundissimum auditu, cùm pedes inter se deosculantur, cùm mutuò errata palàm aperiunt, cùm sibi delatos respuunt honores, cùm lectissimi quique bis intra hebdomadam conueniunt, vt de rebus diuinis & piis commentationibus aliquid audiant. Ceterùm insignis vnius vocatio extitit, est is è primaria nobilitate natus annum

num sextumdecimum, qui ita se cum parentibus gessit, vt sexagenarium putes; cum iis enim Dei fauore conatus & piam voluntatem prosequẽte tres totos menses cum singulari constantia luctatus, nunquam adduci potuit, vt susceptum vitæ religiosæ consilium in aliud tempus differret. tandem cùm suorum extorquere nequiret assensum, absente per eos dies P. Prouinciali clanculum sese Aronam proripuit. Id verò Virginis in suos præsentissimum declarauit auxilium, cùm obequitantem edito cliuo è Sodalibus vnum, equus fallente vestigio non solùm excussit, sed etiam ad imum sine vlla prorsus defensione deuoluit. Cùm Rhetoricorum numerus magis magisque indies crescceret, vt omnes ægrè caperet locus, placuit P. Prouinciali, aliud ad laxandas angustias Rhetoricæ docendæ gymnasium assignare: quo tempore magnam scholastici dederunt voluptatis suæ significationẽ. nam præter varia epigrammata in eam sententiam conscripta, orationem quoque, & aliquot poëmata pro concione pronunciarunt; atque adeò magnam partem symbolis & argumentis pictura varia, breuique sententia expressis, & palàm de pariete suspensis toto deinceps anno pro suis insignibus vsi sunt. Patri verò ipsi Prouinciali gymnasium de more visenti oratiuncula, & epigrammatis gratias egerunt. Bacchanaliorũ tempore non frustra itum in compita concionandi gratia. multi ad generales confessiones adducti. Sacerdos noster cùm de extremo iudicio verba faceret; ita reorum, qui detinebantur in vinculis, nuditatem defixit in animis, vt tantum vestium corrogaret, quantum satis esset ad homines senos denos, multiq; in præsentia suis se indumentis exuerunt, multi domũ reuersi abundè miserunt, vnde egentium leuaretur inopia. bis item hieme perfrigida coacta stips, quæ vinctis

omnibus

omnibus vestimenta abundè suppeditaret. ex quo illud inauditum omnibus, & custodibus nouum accidit; vt singuli ad vnum peccata expiarint. Virgo in scelus prolapsa, quo minus veniret ad confessionem pudore detinebatur; annum tamen pane & aqua vitam tolerauerat. cùm ei per noctem sese obiecit Dei mater, Et quin meo, inquit, te aperis sacerdoti, à quo sanitatem animi potes capere? Nesciebat illa quis designaretur sacerdos, cùm vni è nostris illac missionis caussa iter facienti sese suppliciter obtulit, & scelus confessa salutari manuum impositione liberata est. Vallis est Magia non procul à Germanorum finibus, præruptis vndique obsessa rupibus, Episcopo Comensi subiecta, non curribus modò, sed etiam equis inaccessa; frumentum & vinum non agnoscit, pecore dumtaxat & lacte vescuntur indigenæ. Hanc vallem è nostris vnus sacerdos anniuersariis vacationibus vniuersam obiit. ad confessiones tantus sępenumero concursus extitit, vt Parochi interdum delectum habere cogerentur. Multi sese viæ comites nostris dabant consilij capiendi gratiâ. In sacris ædibus non maior festis diebus frequentia quàm profestis. Patris arbitrio lites diremtæ, compositæ discordiæ, mali mores correcti, boni vel confirmati, vel longo interuallo relati, pellicatus dissoluti, Parochorum sublata scandala. idem sacerdos à plurimis aliò enixè vocatus, quòd temporis angustiis premeretur, piis illorum voluntatibus, ac suo desiderio morem gerere non potuit.

## *Collegium Genuense.*

ERECTA est hoc anno à fundatore tertia altera pars templi cum nonnullis in vsum nostrum domiciliis, impensis penè quinquies millibus aureorum.

reorum. Definita est controuersia, quæ nobis cum aliquibus patriciis nobilibus erat pro annuo reditu quingentorum aureorum huic Collegio, & quadringentorum in Corsica insula erigendo ex testamento Thomæ Raggij. in qua re singularis emicuit sereniſſimi Senatus in ordinem nostrum voluntas, dum pro voto nostro omnium omnino calculis causa est adiudicata. Permultus ex solitis Societatis nostræ ministeriis, quæ magno populi concursu atque frequentia in hac vrbe exercentur, collectus est fructus. Multi perfectioris vitæ viam edocti: ex iis in varios religiosos Ordines ingressi, in Societatem quinque. nonnulli ad malè parta restituenda impulsi, præcipuè alter 25. M. aureorum, quingentorum alter. mulierum aliæ è publico libidinũ cœno erutæ, aliæ ab imminenti periculo ereptæ, aliæ è concubinatu ad honestũ matrimonium traductæ. odia extincta, dissensiones compositæ. Illud singulare, vt aliquid attingam: quòd cùm duo affines in publico iam cum vitæ discrimine manus conſererent, vnius è nostris hortatu, qui tum illac fortè, sed opportunè iter agebat, in gratiam statim rediere; & post mutuos amplexus totam discordiæ causſam Patris arbitrio ac iudicio dirimendam deposuere. Nec minùs opportunè vir quidam nobilis, dum in balneis corporis sanitati intenderet, perfectam animi sospitatem est adeptus. obduxerat is animo ob non leues de coniugis pudicitia prostituta suspiciones eam de medio tollere, & iræ iam ac mœroris impatiens, relictis balneis, spreta corporis animique salute, ad facinus properabat; cùm vnius è nostris, qui in eisdem balneis aduersæ valetudinis causa morabatur, suaui primùm ac familiari colloquio nonnihil delinitus; deinde acrioribus monitis ad mentem reuocatus, resipuit tandem, & facta peccatorum expiatione, obfirmato animo

animo deuouit, & noxam vxori condonare, & in priſtinam cum ea familiaritatem & ſinceram coniugij pacem redire. Doctrinæ Chriſtianæ inſtitutio magna fecit incrementa, tum in ciuitate, vbi viginti numerantur ſcholæ ſub noſtrorum diſciplina, perampla puerorum ac puellarum corona, tum in opido quodam, cui S. Petri ab Arena nomen eſt, ſecundo ab vrbe lapide: ibi recenſentur catalogo inſcriptæ 250. vt cætera taceam, in fidei noſtræ fundamentis ſic inſtructæ, vt quamuis litterarũ prorſus ſint ignaræ, mirum ſit, quàm enucleatè ſingula explicent, & propoſitis quæſtiunculis ſatisfaciant; certè Archiepiſcopum fortè præſentem magno cum animi ſui gaudio in admirationem rapuere. Non defuit etiam noſtris ſuus ex monialibus fructus. ſublatus ex monaſterio vno nouus quidam, qui furtim irrepſerat, veſtium abuſus, & inuectus nonnullus religioſæ paupertatis, & cõmunis menſæ amor. Viſum eſt Deo optimo maximo nonnullis indiciis B.P.N. Ignatij ſanctimoniam comprobare. Agebat animam depoſitus iam à medicis & parentibus puer infans Iulij, & Magdalenæ Spinolæ filius vnicus, cui nomen Philippino. accerſitur è Collegio ſacerdos, qui cùm ſacras reliquias ad moribundi corpus admouiſſet; viſus eſt repentè puer reuiuiſcere, nec ita multo pòſt planè conualuit: ac ne intercidat tanti beneficij memoria, pater conflatilem puerum eadem qua Philippinus ſtatura & pondere, mater pollubrum, vtrumque ex argento, Romam ad ſepulchrum B.P. Ignatij voto concepto tranſmittere decreuerunt. Alter è B. Virginis Sodalitate iam aliquot dies perenni laborabat profluuio alui, ſomni penitus & quietis expers. inuiſitur à noſtris, recitantur Litaniæ, ter B. P. Ignatij reliquiis ſuper ægrotum crucis efformatur ſignum. eadem nocte leniter conſopitur æger, tum duas horas

horas arctissimo somno deuincitur: quo somno & morbum expulit. Adest postridie medicus, miratur adeò repentè constitisse fluxum, eumq; grauioris mali dubius prouocare conatur; verum ægroto sensim ad perfectam redeunte sanitatem, intellexit medicus, & apertè confessus est, non humanæ id opis, sed diuinæ fuisse. Ex quo quantopere sit affectus erga B. Patrem, facilis coniectura est. Earundem reliquiarum præsens auxilium experta est Clementia Arcica femina primaria, quæ cùm medicorũ iudicio priùs de vita periclitaretur, post admota B. Patris ossa abesse iam morbum à periculo medici confirmarunt, & illa paulatim pristinam valetudinem assecuta est. P. Fabricius Pallauicinus ex N. P. Generalis mandato inspectionis causa nonnulla Collegia lustrauerat. is obito diligenter munere, cùm primùm Genuam appulit, ex itineris laboribus in morbum decidit, vti videbatur minimè periculosum, vt euentus docuit, haud satis à medicis cognitum. Itaque cùm paucos decubuisset dies, nobis triste sui desiderium reliquit. Vir vel paupertatis, vel indifferentiæ, vel perfectionis religiosæ studio sanè eximius. de hac religiosa perfectione iam penè iustum volumen absoluerat, nisi præclara cogitantem oppressisset mors.

## *Domus Probationis Genuensis.*

FERVNT in hac domo vsque ad mensem Octobrem è nostris ferè vigintiquatuor: septem sacerdotes, quorum tres annum tirocinij tertium expleuerunt, Coadiutores veterani quinque, reliqui tirones. Quæ à nostris gesta sunt, fermè non differunt ab iis, quæ perscripsimus superioribus annis. In animi sui victoriam, quæ optima victoria est, omnes incubuerunt. Festis diebus in vicinis parochiis

chiis & pagis teneræ ætati & rudi, etiam adultæ Christiana præcepta explicata sunt. Itum ad nosocomium, quo in loco ita sedulò nostri infirmis ministrarunt, vt suę charitatis ardorem tum ipsis, tum totius nosocomij præfecto maximè probauerint. Emendicata sæpiùs stips ostiatim in vrbe, non sine ciuium ædificatione, & eorum qui emendicabant spirituali profectu, indigenarum præsertim aliquorum, quorum satis notæ erant ciuitati nobilitas & opes. Suscepta etiam peregrinatio ad aliquot templa in circumiacentibus opidis ac vrbibus, vel Sanctorum reliquiis, vel antiqua populi religione nobilia, & obita cum nostrorum fructu & externorum ædificatione. Cùm primùm nouus Prouincialis hanc domum inuisit (contigit hoc ineunte mense Octobri, quod diu desideratum fuerat) nouitios qui antea in duobus huius prouinciæ domiciliis instituebantur, ob tenues vtriusque domicilii redditus, auctoritate, quam à N.P. acceperat, iussis iis qui hic tirocinium agebant, ad Aronensem Probationis domum commigrare, omnes simul coniunxit; ad quos alendos partẽ etiam reddituum huius domus attribuit. Hoc eo consilio factum est primùm, vt auctus numerus nouitiorum, quæ natura iuuenum est, vt mutuis exemplis mirè excitentur, augeat virtutis ardorem: deinde, vt ex reliquis redditibus aureis circiter mille tecta huius domus nimia iam vetustate fatiscentia instaurentur, & angusta laxentur; quibus instaurandis laxandisque, ac simul alendæ familiæ, sumptus antea non suppetebant. His perfectis, auctis, vt speramus, etiam redditibus, ex Aronensi domo iterum in hanc Genuensem ob cæli bonitatem multo salubriorem vniuersi commigrabunt nouitij. Cùm vicinus quidam fontis, qui in nostram piscinam per subterraneum aquæductum influit, aquam aliò per iniu-

riam deriuaret, P. Rector Sereniſſimo Senatui ſupplicem obtulit libellum: is ſtatim, quæ illius eſt in noſtrum Ordinem propenſa voluntas, omnium calculis cõmiſſario Biſamnis (nomen eſt huius tractus) cauſſa commiſſa diligenterque commendata, omni nos iniqua moleſtia & damno liberauit.

## *Collegium Taurinenſe.*

NVMERVS noſtrorum hoc anno vſque ad inſtaurationem ſtudiorũ maximè incertus fuit. vrbs ſiquidem peſtilẽtia biennium afflictata, licet bene purgata initio quadragenarij ieiunij, ſubditis huic ditioni patuerit, non tamen patuit externis. auxit porrò terrorem vicinis perditorum hominum nefaria conſpiratio, qui funeribus aliorum locupletati, vt ditiores fierent, peſtiferum vnguentum ad eundem morbum reuehendum compoſuerant; quo reſcito perditi comprehenſi oſſifragio torti in inflexis radiis rotarum, meritas pœnas dederunt. tandem omnibus luſtratis conterminæ ditionis Principes liberum commeatum tribuerunt. Appetente verò tempore ſtudia intermiſſa reuocandi, ad viginti ſex numerus noſtrorum excreuit. A paucis pauca hoc anno, eaque conſueta in paucos, raro quippe ob peſtilentiam habitatore: ſed vbi numero aucta eſt ciuitas, auctumque Collegium, & omnia Societatis munera repetita, nec auditorum eccleſiaſtes, nec pœnitentium confeſſarius, nec præceptor diſcipulorum frequentiam deſiderauit. Ad patibulum deductos ſalutis ergô comitati ſunt noſtri, & ſiue dum ignita forcipe carperentur artus, ſeu dum frangerentur oſſa, adſtiterunt, & labantes in extremo illo conflictu confirmarunt. duodecim hoc modo vellicato corpore in rotam acti; tribus aliis ſimiliter ferro aduſtum eſt corpus, & reſte fracta

cta gula; omnibus impensum auxilium. Emicuit in nos singulare studium Illustrissimi Cardinalis Petri Aldobrandini Legati Apostolici ad Galliarum Regem. Is primo die cùm ingressus est vrbem, apud P. Rectorem huius Collegij se ritè expiauit; & suam nobis omnem operam, si qua in re Societati opus esset, amplissimis verbis pollicitus est. Tertio die, quo & discessit, manè venit ad Collegium, fecit sacrum in templo, cælesti pabulo ipse nobilis minister refecit plures. quo peracto à professore Rhetoricæ pereleganti receptus est oratione: dicentem oratorem auditoris comitabatur admiratio, & deinceps ingens est commendatio consecuta. In templo reliquias Sanctorum piè contemplari voluit, quæ propalam in pulcherrima lipsanotheca collocatæ erant. Auditæ sunt confessiones annorum viginti, & triginta, & verò etiam quadraginta, eorum, qui toto eo tempore nunquam se ad sacerdotis pedes expiaturi animum abiecerant. conciliata pax inter multos, extincta odia, illiciti contractus rescissi, ac fœnoritia pecunia ad veros dominos redire iussa. Vitam cum morte commutauit Horatius Prouana, qui Grammaticam in vltimo gymnasio profitebatur. singulare omnibus reliquit obedientiæ, modestiæ, & aliarum virtutum exemplum. non erat quod in eo desiderares. iam maturus cælo, cuius & cupidissimus erat, sexto pòst die, quo in morbum inciderat, è terris abiit.

## *Collegium Comense.*

AVCTVM superiori anno Collegium cubiculis; hoc cœpit augeri etiam numero sociorum. à Patre siquidē Prouinciali Seminarium nostrorum Rhetorum huc Genua translatum est, additusque præterea ad sex sacerdotes septimus, qui idem

Rhetoricam doceat, isque iussus scholam denuo aperire ciuitati : quæ sicut antea clausam doluerat, nimirum se contemni rata ; ita nunc reserata lætatur, & hoc officio, quasi nouo beneficio se à nobis affectam maximè gaudet. Hic igitur alentur socij viginti quatuor, nimirũ præter sacerdotes septem, duo magistri Humanitatis & Grammaticæ, decem scholastici (quorum quatuor tantùm desiderantur, mox è domo probationis peracto tirocinij biennio, & ipsi adfuturi) & quinque Coadiutores. Quem numerum vulgò nobis congratulantur Comenses, cùm nunquam antè plures octodecim è nostris hîc egisse meminerint: & verò sibi etiam gaudent, inde ciuitati non exiguum emolumentum pollicentes; & iure. nam cùm nostrorum adolescentum exemplo excitabuntur externi ad studia eloquentiæ, & pristinum illum statum accipient, quem cùm hac in vrbe antè habuerint eximium, iam penitus amiserant: tum verò diebus festis puerorum institutio in doctrinæ Christianę rudimentis, quæ alicubi institutorum inopiâ languescebat, iam in singulis vrbis suburbiorumque templis eorumdem nostrorum operâ feruebit maximè, &, vt pollicentur initia, magna sumet incremẽta. equiore etiam tempore fient excursiones in vicina oppida, quę ad lacum Larium sunt frequentissima. Cæterùm eorum industriæ, qui hactenus qua Catholicis, qua propinquis hæreticis excolendis in hac vinea elaborauerunt, suus extitit fructus. nam vbi illi catecheseos præcepta tradiderunt, ea & variis dialogis recitandis, & habendis solennibus disputationibus & præmiis largiendis, aduentu etiam Præsulis à nostris inuitati facta est celebrior. Compositæ dissensiones, odia deposita, pudentiũ inopia subleuata, & eius generis plura. Illud tamen, quod nouitatis aliquid habet non prætermittendum videtur.

detur. Moniales adhortationibus, confessionibus extraordinariis, & appositis meditationibus per externos sacerdotes adiutæ; & Episcopo, cum quo aliquæ videbantur obscuriùs exercere simultates, reconciliatæ variis in cœnobiis. quorum vnum, quòd iussu Pontificis Maximi, sicut & alia, Episcopo se traditum in administrationem grauiter accepisset, aliquot menses se à diuinis mysteriis abstinuerat; ne in iis videlicet aliis, quàm suis vteretur sacerdotibus. sed optione tandem accepta eligendi quos vellet confessarios, nullos nisi nostros admisit; itaque iis virginibus audiendis sacerdos vnus multos dies consumpsit, tantaque cum prudentia earum omnium confessiones excepit, vt illæ sibi optent eum in perpetuum, si fas sit, salutis animorum curatorem Instituta in Collegio Sodalitas eorum adolescentum, qui cùm totam hebdomadam in artificum officinis posuerunt, dies festos ad quadraginta in spirituali vtilitate consumunt. Homo plectendus adeò in atrocitate supplicij & infamia exhorruerat, vt desperata salute corporis animi quoque salutem proiiceret; verùm ad extremum confessione peccatorum eluit conscientiam apud vnum è nostris: atque inde adeò mutatus est, vt atrocius multo & ignominiosius etiam supplicium sibi irrogari postularet, cùm ad pœnas peccatorum compensandas, tum ad excitandos maleficij socios, vt mortem patienter exciperent. Exculti commentationibus B. P. Ignatij Parochi, & Religiosi plures tam ex vrbe quàm ex vicinis locis. Ad eas peragẽdas è Vulturena valle in Collegium nostrum se contulit Archipresbyter: in quibus tanto cum studio & fructu operam posuit, vt plenus magnæ spei & animi ad iuuandos suos cùm orthodoxos, tum prauis dogmatibus imbutos abierit. & sanè ab eo rei Catholicæ conseruatio, & augmen-

tum in illis terris magnopere pendet. Iuerat in eandem vallem sacerdos è nostris ad curandam valetudinem aquis thermalibus, quæ ibi scatent saluberrimæ. agebat in iis locis vir primarius, qui è nobilissima Italiæ vrbe iam pridem eò familiam transtulerat, & fide abiurata hæresin hauserat. hic ergo cùm aduerteret nostrum sacerdotem recitantem preces horarias, rogauit vocem vt attolleret: quod cùm ille faceret, summa attentione excipiebat is, quæ ab illo enunciabantur, & ea re mirificè delectari videbatur. hinc sub illas preces instituit noster humanitate & officiis hominem demereri, suaui alloquio permulcere, Christianæque modestiæ specimen præbere: quibus ille rebus primùm delinitus sese dedidit Patri, in familiarem consuetudinem; deinceps de æterna salute animi sermonem iectũ arripere, sciscitari de fidei nostræ mysteriis, differenti vultu assentiri, & tandem sanioris mentis argumenta dare: in quibus illud fuit non exiguum, quòd toto opido admirantibus hæreticis, qui ibi erant frequentissimi, Patrem comitatus est assiduè, aliasque præbuit futuræ conuersionis significationes, si haberet adiutorem.

## *Collegium Vercellense.*

De rebus ad Dei gloriam & ad rem proximorum, nostrorum ope consilioque perfectis, de confessionibus etiam generalibus auditis, de adiutis multis in lectulo siue in carcere, de aliis ab inueteratis flagitiis ad meliorem vitam reuocatis, de progressu Cõgregationis, de aucto eiusdem serico ornatu, de doctrina Christiana, quoniam sunt locis ferè omnibus, annisque communia, nihil dicendum videtur. Magna est Episcopi erga nostros, quorum consilio & opera multas ad res vtitur, beneuolen-

neuolentia. Ex iis, qui noſtras ſcholas frequentabant, vnus eſt in Societatem cooptatus. Cùm adoleſcentuli multi ambirent Sodalitium B. Virginis, ſed excluderentur ætate; inſtitutum eſt hoc anno oratorium, vt inſtituantur interea; mox vbi adoleuerint, in ſuperiorem ordinem inſerendi.

## *Collegium Montis Regalis.*

CVM Illuſtriſſimus Nuncius Apoſtolicus, Taurini graſſante peſtilentia, in hanc vrbem ſeceſſiſſet; eximia illius in noſtros perſpecta beneuolentia eſt, dum ad nos quotidie ventitaret, noſtroque in templo ſacra celebraret myſteria. Aliqui è noſtris diſcipulis religiosè viuendi rationem amplexi ſunt, vnus in Societate, duo iique nobiliſſimi in Cappucinorum familia. Nec defuit noſtrorum ſedulitas iis, qui vel in noſocomiis agebant, vel in vinculis detinebantur, quorum plerique noſtrorum humanitate, & piis cohortationibus adducti ad crimina deteſtanda, & confitenda. Eos qui ob ſcelera plectendi erant, noſtri neceſſariis officiis proſecuti ſunt, factumque vt maxima cum pietate poſtremum vitæ diem clauderent. Poſtulante huius vrbis Epiſcopo, qui noſtrorum operâ libentiſſimè vtitur, varia diœceſis opida perluſtrata, ibiq; conciones habitæ. Alio item in loco paulò remotiore, intercedente Nuncij auctoritate, noſtri populis, quo maximè indigebant, verbum diuinum ſumma cum vtilitate miniſtrarunt. Catechiſmus plurimis in locis, & Chriſtianæ legis præcepta publicè explicata.

## *Domus B. Virginis Montis Regalis.*

Ad hanc B. Virginis ædem accesserunt viri primarij, plerique Comites, Marchiones, atque adeò Serenissimus ipse Dux Sabaudiæ: qui suorum ingenti stipatus frequentia, postquam de more templum nouies circumiisset, sacra confessione expiatus augustissimum Christi corpus ritè sumpsit. Permulti quo tempore pestis Taurini grassabatur, vt imminentem perniciem effugerent, vota huic sanctissimæ Virgini nuncuparunt, atque non sine peculiari Dei beneficio, præsenti periculo liberati vota sua religiosissimè reddiderunt. Quidam nautæ ex Sardinia ægrotum in lembo habebant, qui doloris, quo tum acerbissimè torquebatur, impatiens sese demisit in mare. illi itaque desperatis rebus omnibus B. Virginis auxilium implorantes, vt miserum hominem saluum & incolumem acciperent, voti compotes facti huc aduenerunt, vbi nostris confessi postmodum sacram Eucharistiam susceperunt. Alius quidam ex morbo surdus, votum B. Virgini nuncupauit, ad quod exsoluendum vbi primùm accessit, morbo liberatus est: qui etiam nostro sacerdoti confessus sacrosancta mysteria percepit. Sacerdos noster, cum ferialibus, tum festis diebus assiduè partim peregrinis, partim indigenis peccata confitentibus operam dedit: in his non pauci generalem totius vitæ confessionem instituerunt. alij quàm plurimi, tam vitæ mutandæ studio, quàm liberiùs conscientiam suam aperiendi desiderio huc profecti multorum annorum sacrilegas confessiones ob crimina de industria celata integrarunt. Aliquot viri ac mulieres ab inueteratis quibusdam flagitiis frequentanda confessione liberati. Denique nonnulli aut propter criminum

num infamiam, aut propter calamitatum acerbitatem de salute desperantes, ac instinctu cacodæmonis restim & exitium cogitantes, salutaribus consiliis confirmati, & in meliorem spem erecti; vt videatur in tam opportuno loco miseris & peccatoribus quoddam quasi asylum diuina prouidentia constitutum, vt ope & patrocinio Matris misericordiæ salutem consequantur.

## *Collegium Cremonense.*

COLLEGIVM Cremonense septimo Idus Nouembris aperuimus hoc anno. Est hæc ciuitas vel nobilitate, vel ciuium frequentia, si vnum excipias Mediolanum, princeps Insubriæ vniuersæ: quippe quæ censetur capitibus amplius quinquaginta millibus. In hac igitur vrbe Margarita Turris Ferraria femina generis nobilitate & pietate insignis, annuos quosdam redditus, ædesque suas Societati dono dederat. Eam nos domum, quia optimo sita loco, hoc est media in vrbe, in Collegium conuertimus, propediem proximæ domus accessione latius facturi. Hoc initio duodecim è nostris fuêre, in his sacerdotes septem, magistri tres, si duos qui sacerdotes sunt numeres; nam totidem sunt gymnasia, Rhetoricæ, Humanitatis & Grammaticæ. reliqui Coadiutores. Habita est oratio in summo templo. orator frequentissima concione auditus, & egregiè probatus. de optima ratione ornandæ iuuandæque ciuitatis disputatum. Postridie eius diei gymnasiorum atrium patefactum, peristromate contectum, carminibus, symbolis, emblematibus ornatum gratissimũ oculis spectaculum fuit, animis pabulum iucundissimũ. Fuit ornatus vniuersi quadripartita distributio. Prima pars, vrbis laudes complectebatur lyrico potissimùm carmi-

ne, cùm Latino, tum Græco. nam vnus omnes Horatij & Pindari odas imitatus, vnam minimùm ex quolibet genere exhibuit. altera Episcopi, cui multis nominibus plurimum debemus. tertia Pauli Fossæ, Christophori Funduli, Margaritę Turris, quorum præcipuum fuit studium nostræ Societatis in hac vrbe pro viribus ornandæ. nam primus bona sua omnia; secundus fundum, ex quo quingẽti nummi aurei quotannis proueniunt, Societati decedens legauit. Vltima nostros primùm in hac vrbe domo excepit, in qua nunc est Collegium. Quarta tandem studiosæ iuuentutis virtutes, gymnasia, litterarum studia laudabat. Discipuli porro veniunt ad gymnasia (sic enim visum est vrbis moderatoribus) signo ex celebertima, quæ in hac vrbe est turri, eaque campana, quam olim ante annos tercentum Academiis, quæ per id tempus hac in vrbe floruerunt, dicatam ferunt. Quo die magistri in suis quique classibus præfati sunt, Episcopus adesse voluit primariis viris comitatus. præfationes attentè auditæ sunt, nec caruerunt laude. Discipuli supra centum fuere, in his nobiles permulti. quod parum videri nõ debet in hac vrbe, quæ magistris maximè abundat. Nec desunt qui affirment fore aliquando in hoc Collegio grauiores etiam disciplinas, vel saltem erga nos ita animatam esse ciuitatẽ. Concionibus in templo habitis interfuerunt frequentissimi. In nostra pariter æde casus, quos vocant cõscientię, ab vno è nostris cœpti explicari: ad quem audiendum Parochi ad septuaginta, ex Religiosis familiis aliqui, alij præterea multi viri docti confluunt. Duplex institutum Sodalitium, nobilium virorum alterum, alterum scholasticorum: ex quo fructus vberrimi percipientur, si ex initiis facere licet coniecturam. nam solito frequentius ex Sodalitij legibus peccata expiant,

piant, cæleſtiſque pane reficiuntur: quæ omnia cum voluptate ſpectantur à ciuibus, qui ſolutos adoleſcentium mores meritò dolebant. Propria Societatis munera exerceri cœpta ſunt, Chriſtianæ religionis fundamenta explicari, carceres & noſocomia, piorum virorum ſodalitia, religioſarum feminarum monaſteria adiri, adhortationibuſque aut piis ſermonibus excitari. Et quamquam multa in nos iactata ſunt falſa nimirum & commentitia; tamen nullis videlicet nixa fundamentis ſponte corruunt, indieſque Collegij exiſtimatio augetur. quod apertius id quod ſequitur indicabit. Duæ præcipuæ vrbis familiæ capitales inter ſe inimicitias exercebant, animiſq; grauiter exulceratis non verbis tantùm, ſed vulneribus etiam ſæuierant. amicitiam igitur inter eos recõciliari vix poſſe dum credunt omnes; ſuſpenſis expectatione animis noſtrorum operâ, Deo iuuante, res eum ſortita eſt exitum, quem omnes gratularentur. Vulneribus debilitatus iacebat adhuc in lecto is, cuius ex voluntate res pendebat vniuerſa; accedentem tamen ad ſe inimicum amplexatus oſculatur, plurimiſque confirmatæ amicitiæ ſignis ſe placatum omnino oſtendit. Hoc verò, quia res coram Epiſcopo viriſque nobilibus plurimis acta eſt, multorum beneuolentiam nobis cõciliauit, opinionemque Ordinis noſtri auxit. Nobilis alius vir alteri cuidam, à quo fuerat vulneratus, ita erat infenſus, vt nihil aliud quàm vltionem cogitaret. obſtinatum tamen eius animum molliuit Pater vnus è noſtris: cuius etiam ſuaſu pœnitentia ſordes animi cùm eluiſſet, ſe nobis hoc nomine plurimum debere profitetur. Alius quidam venenum necandis quibuſdam parauerat; quod ſacerdos è noſtris odoratus hominem à tanto ſcelere deterruit. Alij qui ſeſe impiis cædibus, aliiſve criminibus contami-

nauerant,

nauerant, noſtrorum operâ, non modò ſcelus deteſtati ſunt, ſed etiam pietatem peculiari ſtudio colere inſtituerunt.

## *Domus Probationis Aronenſis.*

MILLESIMVS hic annus & ſexcenteſimus verè inſignis accidit cœtui noſtro Aronenſi. Primùm quidem propter inauditum ante hoc tempus nouitiorum ſociorumque incrementum: etenim quinque & quadraginta numerantur, ſacerdotes nouem, vnus in primo tirocinio verſatur, quatuor verò tertio probantur anno; Fratres Coadiutores tredecim, horum quinque tirones ſunt; nouitij demum ſcholaſtici ætate atque ingenio florentes reliquum explent numerum. Auctus verò adeò eſt numerus nouitiorum, & quia plures admiſſi ſunt in noſtram Societatem, & quia qui duobus erant locis diuiſi nouitij vnam in domum conuenere. quare varij variè affecti, qui miſſi fiebant, dolore; qui maiori numero, cumulabantur lætitia. Ex hoc cœtu noſtrorum in Beatorum cœtum euolauit Bartholomeus Mantica Coadiutor, cuius & in Deiparam Virginem, & in Societatem magna ſemper fuit obſeruantia; extremo verò vitæ articulo, adeò præter morem enituit, vt meritus ſit animi ſui exceſſum è corpore præſentire, atque ad Virginis colloquium adduci, & ſuauiſſimum exaudire beatarum mentium concentum, quantum coniectura aſſequi poſſe videmur. nam bis térve, iis qui aderant eo die, qui fuit illi poſtremus, inſcio planè medico, pronunciauit ſe nocte ſequenti obiturum, recenti licet affectus morbo à diebus non amplius quatuor. Quare ſub noctem primùm quæſiuit à P. Rectore, vt faceret ſibi poteſtatem duobus corporis ſui cuſtodibus duo munera partiendi; alteri quidem

quidem sacrarum reliquiarum carissimum pignus, alteri verò B.Virginis rosarium. deinde petiit dari sibi sanctissimæ Eucharistiæ viaticum, oleique sacram vnctionem: tum post multam noctem cùm videretur efflare animam, voluit socius, qui moribundo aderat, accersere sacerdotem. vetuit ille, cùm diceret opportunum tempus nondum aduenisse. paulo pòst verò iussit accersiri, quòd tunc certa immineret mors. adhæc suggerebat Frater pias meditationes; audiuit ille aliquamdiu perlibenter, tum, Sat est, inquit, sat est, Frater: statimque clausis oculis hęsit diu quasi somno suaui consopitus. mox repentè expergefactus hilari vultu, blandis luminibus, manibus, totiusque corporis gestu plaudens, in hunc erupit sermonem: Hem quale beneficium, Virgo sanctissima, hem quantum beneficium mori in Societate, & mori in hac domo Societatis! Demum interiecto iterum quietis spatio conuertitur placido ac sereno vultu ad Fratrem corporis sui custodem, sic percunctatus. Excipísne tuis auribus, Frater, inquit, suauem concentum? atque hæc fuere postrema verba. tum compressis ad pectus manibus, non multo pòst suauissimè excessit è vita. Tironibus nostris aliud accidit mirum ac planè diuinum. Consueuere nouitij quotannis Christianæ humilitatis exercendæ caussa, operam suam atque industriam in vindemia collocare; post diurnum laborem, cùm accederent omnes ad cymbam magna vuarum copia onustam, tentant, an ob pondus cymba transuehi possint. videtur periculosa nauigatio; quare statuunt tutius esse alios cymba, alios pedibus iter facere. Dum hæc deliberant, stabat in altera cymba nostræ proxima vnus in littus descensurus: is ad alios conuersus, vt itineris sui comites exciperet, repentè in aquas agitur præceps. hærent, quid faciant

ciant socij cogitatione vix explicant, tum subitò casu planè perculsi, tum desperata fermè re. prosilit in medium vnus nandi peritus, atque in Fratris magis quàm in sui commiserationem diuino inflammatus amore, iisdem prorsus vestibus, quibus induebatur, implicitus sese ad Fratrem demisit. Ille verò qui diutius iam spiritum continere non poterat, statim atque socij sensit auxilium, apertis brachiis eum medium comprehendit, atque ad se propè demersum traxit; sed hic tantum perfecit nando, vt mersum extulerit, donec è cymba demissis manibus potuerit comprehendi. Tantum apud Deum parentem optimum fratris in fratrem charitas valuit.

## PROVINCIA VENETA.

NVMERAT prouincia Veneta domiciliis quindecim, socios trecentos & sexaginta. Degunt in domo Professa Veneta triginta nouem, in Collegio Patauino duo & quinquaginta, in Brixiensi trigintatres, in Bononiensi nouem & viginti, in Parmensi trigintaocto, in Veronensi tres & viginti, in Mantuano viginti vno demto, totidem in Ferrariensi, in domo Probationis Nouellariensi quadragintasceptem, in Placentino Collegio vigintiquatuor, in Mutinensi ac Foroliuiensi quindecim. tres aluit Forocornelienſis Residentia, Vicentina quatuor, Cretensis duos. è vita migrarunt decem; in Societatem adscripti septemdecim.

Domus

## *Domus Professa Veneta.*

IN doctrina Christiana docenda diligentem operam enauarunt nostri. Labori par fructus extitit. nobiles enim matronæ quamplurimæ vltro sese tam pio muneri exequēdo alacriter obtulere. idem quoque docendi mos finitimis in locis receptus vberrimos pietatis fructus peperit ac parit. Populus ad audiendas conciones ita frequens confluxit, vt necesse fuerit effringere tēpli lacunaria ad viam halitui multitudinis faciendam. Æs quod in pauperum eleëmosynas corrogatum est, aureorum mille supra quingentos summam explet. Pax inter familias, quæ domesticis seditionibus laborabant, constituta; virginum pudor ex insidiis flagitiosorum vindicatus. Eorum qui se generali confessione expiarunt, plusquam centena capita censentur. Cæterùm hoc anno extincti tres P. Flaminius Beringuuius Senensis, Professus. hic multos annos summa cum laude concionandi munus exegerat: P. Ioan. Baptista Grittius, vir è Veneto nobilitatis flore: P. Ioannes Antonius Beneduccius, cuius opera diu emolumento fuit.

## *Collegium Patauinum.*

ANGELI Corrarij Veneti Patricij mors, quàm sint inanes mortalium cogitationes, liquidò demonstrauit; vnà siquidem cum illo spes plurimorum tumulatæ. Hic è Philosophiæ carceribus vix exierat, cùm vitę curriculum absoluit. Eximius planè vir, & ad magna natus, qui etsi paucos annos in Societate vixerat, tamē eousque progressus erat in animo virtutibus excolendo, vt multos longo post se relinqueret interuallo. Insignis eius enituit alacritas

alacritas in morbo ferendo. Modestia verò animique demissio tanta, vt qui domi fuę in deliciis enutritus erat, in Societate vilissima quæque ministeria obire minimè recusaret. Sodalitia B. Virginis ita florent, vt tribus anni superioris addendum omnino fuerit quartum. Aliud item inchoatum felicibus auspiciis, quod externarum nationum iuuenes Angli, Belgæ, Germani frequentant. Ex horum numero quidam cùm à nostrorum consuetudine non parum abhorreret, vbi spiritualibus exercitiis imbutus est, adeò profecit, vt iam sacerdotij dignitate insignitus in Angliam cogitet, ibique si opus sit, pro fide vsque ad extremum spiritum decertare decreuerit. Religiosæ familiæ desertor confessarij monitis induxit in animum, vt pœnis vel grauissimis propositis ad signa reuertatur. Peregrinationem susceperat vnus è nostris ad Virginem Lauretanam. Occurrit in via puer Germanus elapsus è manibus hæreticorum. Interrogatus quonam iret, Romam, respondit. cùm varij vltro citroque sermones haberentur, ingenuè fassus est puer, reiecta se Cappucinorum familia, ad quam animum applicauerat, aliam ingredi statuisse laxioris, imò collapsæ disciplinæ, quò sibi latior ad contumelias pateret campus. Persuasum illi, vt abiecto posteriori consilio priori adhæreat. Idem sacerdos in alium incidit natu grandiorem, qui religionis votum emiserat. Is Romam pergebat, vt voti relaxatione à Pōtifice maximo impetrata, religioni nomē daret. scilicet vir simplex obsequium suum Deo longè gratius fore existimabat, si nullo voti vinculo astringeretur. Edoctus à nostro rei veritatem consilium mutauit.

Colle-

## Collegium Brixianum.

FVNESTVS hic annus fuit. erepti tres, Cæsar Capellus.is Grammaticæ præceptis rudiores informabat: Marcus Antonius Ripa, qui tum Philosophiæ operam nauabat, eximiæ indolis adolescēs, cuius ingenium si suam assequi maturitatē potuisset, quas, Deus bone! doctrinarū fruges attulisset? Martinus Brocchius adiutor veteranus. cetera feliciter euenere. Dæmonem quidam orabat, vt se molestiis, quas ab eo patiebatur, liberaret. vix preces inchoarat, cùm dolor omnis hominem illico deserebat; absoluta precatione, nihilo melius habebat, quàm antè. edoctus à nostris, vt ab huiusmodi precationibus in posterum abstineret; salubri consilio malum pepulit. Alter, vno è nostris in familiari sermone de rebus diuinis differente, hæresim quam diu celarat, non modò detexit, verùm etiam palàm detestatus est, prolata in medium ingenti librorum copia, in quibus venenum latebat. Gymnasia frequentantur. veteri Sodalitio additum nouum. Societatem exoptant nouem, alij ad alias Religiosorum familias transmissi.

## Collegium Bononiense.

A Re scholastica initium sumamus. hæc adeò prosperè succedit, vt vix de feliciori euentu sperandum sit. gymnasia plena iuuenum è prima nobilitate: progressus eorum in litteris auget quotidie bonam, quam ciues de nobis imbiberunt opinionem. porrò ita nobilitatis habetur ratio, vt ingenium minimè negligatur, semperque, vt par est, morum honestati primæ concedantur. Ex quo fit, vt oblatrantibus plerisque obstruantur ora, iamq;

non nemini sit persuasum optimo cuique, atque ingenioſiſſimo adoleſcenti ad ſcholas noſtras acceſſum vel maximè patere. Erectum nuper ad ædes noſtras nobilium, quos vocant conuictores, Collegium: in cauſſa eſt, vt diſcipulorum numerus & maior ſit, & fructus vberior. In maiore gymnaſio quæſtiones morales explicatæ inuſitata auditorum frequentia. Quatuor in Societatem adſcripti, vnus Iuris vtriuſque peritus, reliqui tres egregiæ indolis ac ſpei adoleſcentes. Ex his qui natu minimus, cum ſummopere vereretur, ne patruus inſigni vir auctoritate conſilia ſua retardaret, ſaluti ſuæ antelucana fuga conſuluit. Antemeridianæ conciones, lectioneſque pomeridianæ ſingulis diebus feſtis in templo noſtro habitæ in multitudine frequentiſſima. Inter optimates conſtituta pax, quorum odii radices adeò firmas egerant, vt obnitente vel ipſa nobilitatis flore, antea extirpari nõ poſſent. Totius vitæ maculas abſterſere quàm plurimi. feminæ aliquot ad honeſtiorem vitam conuerſæ. Miniſter hæreticus eiurato ſcelere anathematis catena, qua ſtrictè ligabatur, ſolutus eſt, facta nobis ab Inquiſitore poteſtate. Matrimonium, quod coniugum affinitas irritum fecerat, ratum vt eſſet, noſtrorum operâ effectum. Sacrarum virginum cœnobium ad communem viuendi normam redactũ. Profectus in vrbem vicinam ſacerdos ad præſidiarios milites immaniſſimum peccati hoſtem, qui iam multorum animas inuaſerat, noxarum expiatione profligauit, nec non plurimos in fide nutantes accommodata oratione confirmauit. Vt multa paucis complectar, ciuitas amat nos ac veneratur. Inter eos qui Societati maximè fauent, principem locum iure ſibi vindicat Archiepiſcopus ac Prolegatus: quorum vterque noſtrorum operâ grauiſſimis in rebus vtitur: hic etiam vnum ſibi è noſtris ab aure

delegit.

delegit. Quod ad sacram supellectilem attinet, aucta hoc anno candelabris duobus ex argento purissimo affabrè factis, aureorum circiter centum & quinquaginta.

## *Collegium Parmense.*

THEOLOGIÆ ac Philosophiæ gymnasium, quod anno superiore vertente institutum est, lætis successibus adeò floruit, vt siue numerum spectes, siue modestiam auditorum, nihil in eis desiderari posse videretur; quamquam adiunctæ Doctorum sæcularium scholæ, nostrarum quietem nonnihil interturbarunt: ex quo apparet, si suum docendi morem liberè sequi Societas possit, quantum in eo momenti sit ac virium ad iuuenũ licentiam coërcendam. Initio studiorum, habita est à Theologo nostro perquàm elegans oratio magna Ducis ac nobilium approbatione. Quidam ex nostris ad ipsos viginti dies è febricula iacebat in lecto, neq; spes erat valetudinis ita citò recuperandæ; cùm & febris in autumnum incidisset, & iam hiems ingrueret pellendo morbo parum opportuna. Ægrotus nocte quadam Collegij Rectorem accersiri iubet, B.P. Ignatij syngrapham etiam atque etiam efflagitat. affertur à Patre, qui vbi paululùm in eius orasset cubiculo, sacram supra decumbentis pectus pagellam relinquit. Mirum dictu. vix Pater abierat, cùm æger sudore totus perfunditur, quo absterso somnum quietissimè capit; inde expergefactus omnino se febri haud citra miraculum liberatum videt. Eiusdem subscriptionis attactus febrim pepulit è venis matronæ decumbentis, vt incolumis è lectulo repentè surrexerit. In publicum nosocomium itum est, operaque nostra consolandis ac iuuandis ægrotis, vtiliter collocata: ex quo fa-

ctum est, vt externi nostrorum exemplo prouocati pietatis officia minimè intermittant.

## *Collegium Veronense.*

COLLEGIVM funere non caruit; Bonauenturæ Bergomo nouitio parentandum fuit magnarum virtutum adolescenti. Is in patriam missus ad curandum morbum, paucis pòst diebus lenta tabe consumtus est. Admirationi fuit inprimis eximia iuuenis in morbo tolerando constantia, vt cæteras virtutes taceam, quæ tot in illo extiterunt tantæque, vt iis vel ipsimet veterani facilè possent inuidere. Decentiani (opidum est ad Benaci lacum) vnus è nostris per Quadragesimam concionatus auditus est perlibenter, & cum opidanorum vtilitate Mons inibi pietatis erectus ad vsuras euellendas. detectæ fraudes, ac sublatæ quæ familiares esse solent in emporiis ac nundinis celebrandis. Per idem tempus præter concionem, quæ quotidie in nostro templo habebatur, ter in hebdomada sanctissimum Christi corpus expositum cum symphonia & apparatu. Interim selecta quædam rerum diuinarum capita populo piè proposita ad meditandum. Restincta inter viros nobiles simultatum incendia, quæ ni maturè obuiàm itum esset, vniuersam ciuitatem depopulatura videbantur. Persuasum vetulę vt viueret, quę se in profluentem Athesim præcipitem dederat. femina quæ caput suum dæmoni deuouerat, ad saniora consilia traducta. Adultera multorum annorum, meretrices quàm plurimæ ad pudicitiæ portum appulere. mulier ex pellice amatoris vxor effecta. Integræ familiæ in virtutis semitam, à qua longè aberrabant, reductæ

Colle-

## *Collegium Mantuanum.*

QVÆ de nostrorum industria in nosocomiis & custodiis inuisendis, audiendis confitentibus, pueris doctrina sacra informandis commemorari possent, ea quoniam millies narrata, ad effugiendam satietatem reticentur. Episcopus de Societate nostra bene merendi nullum locum prætermittit. Principum eandem erga nos ac antea benignitatem experimur. In templo conciones habitæ frequẽtissimo populo. Distulerat quidã confessionem ad multos annos, ea peracta paulo pòst ab inimicis trucidatus est. Alter priusquam migraret è vita, concubinam abegit. Mater & filius in concordiam reuocati. odia inter optimates compressa. Matronę nobilis paupertati ac pudicitiæ eodem tẽpore consultũ. Ex iis qui Societatis commentationibus exculti, duo in Cappucinorum Ordinem adlecti. Hebræus sacra catechesi instructus, qui ex Germania aduenerat, vt salutaribus vndis ablueretur. inflammatus alter ad suscipiendum baptismum, cuius flagrans erga Christianam religionem amor nonnihil deferbuerat. Aufugerat ex Bohemia Minister hæreticus ea mente, vt mortiferũ nequitiæ suæ virus euomeret. Ceterùm metus hominem retardabat, quo minùs ea quæ diu in animo habebat perficeret: timebat namque, ne, si se proderet, in carcerem truderetur, ibiq; vitam concluderet. Resciuit rem vnus è nostris, litteras ad eum dat humanitatis ac beneuolentiæ pleniſſimas, bono animo esse iubet, nihil imminere periculi, modò hæresim verè detestetur. Nulla re tam piis votis sese defuturum pollicetur; quin etiam, si secum Romam ire velit, itineris comitem libenter habiturum. Rescribit hæreticus tantam se Patris humanitatem satis mi-

rari non posse, perbellè secum actum iri, si huiusmodi ducem atque itineris comitem nanciscatur. Romam igitur vnà profectus obtulit se Minister Pontifici; à quo perblandè comiterque susceptus est. quod ad scholas attinet, erecta Partheniorum Academia.

## *Domus Probationis Nouellaria.*

TIRONES de more nauiter excoluntur: ex vnius virtute de reliquis coniectura capietur. Is priusquam Societatem intraret, vt in virtutis curriculo expeditior esset ad currendum, graui sese bonorum suorum sarcina exonerarat. Propinqui, quibus omnia donarat, iuuenem adire in tirocinio versantem, vt donationem ratam esse iubeat hortari, atque obsecrare, ex eo identidem molesti homines atque importuni percunctari quid cogitet? vtrùm sua sibi restitui cupiat, nec ne. ad eam rem nihil vtilius fore, quàm si domum reuertatur. Enimuero respondit adolescēs, Oculos effodi mihi libentiùs patiar, pellemque detrahi, quàm hinc vel pedem efferre. faceſſat procul insana diuitiarum libido. Equidem si mihi detur optio, modò diuino numini nulla fiat iniuria, malim in Auernum detrudi, quàm Christo cui nuper frontem ostēdi, terga vertere. Infractum animi robur propinquis admirationi iuxtà fuit ac pudori. Magnus ex hoc opido, finitimisque locis ad nos concursus factus. Plerique vitæ sordes eluere. Sacerdos è nostris in opido vicino, quò se Principis euocatu cōtulerat, insigni cum opidanorum fructu versabatur. Venit ad eum vespere nobilis quidam adolescens, consilia sua cum Patre communicat. Peracta re, quam tractabat, secunda ferè noctis hora dimittitur. Non ita multo pòst sentit Pater impetu quodam se ad orandum ante cubicularem

cularem sanctissimæ Dei Matris imaginem pro iuuene illo, totoque opido concitari. Procumbit in genua, preces producit ad horam. vix absoluerat, ecce tibi defertur ad Principem, adolescentem cum duobus famulis domum redeuntem a septem armatis hominibus ex improuiso circumuentum, atque eductis gladiis vtrimque fortiter dimicatum; nonnullos etiam ex iis, qui hominem adorti fuerant, vulneratos. à nemine dubitatum est, quin sacerdotis precibus è summo vitæ discrimine intactus euaserit. Eadem quippe hora, qua noster orabat, secuta rixa est. porrò crepidatus erat adolescens, & præter pugionem & ensem, nihil secum tulerat armorum, cum interim aduersarij & loricati venissent, & ad conserendas manus bene parati. Premebatur domus hoc anno mirum in modum rei familiaris inopia, nec vltra tres quatuórve menses, quo se aleret habebat. Experti sumus miram erga nos Dei Opt. Max. liberalitatem: siquidem quantum ad totius anni sumtus satis erat, tantumdem nobis domestici commeatus erogatum est.

## *Collegium Placentinum.*

INSTITVTA superiori anno quadraginta horarum sub cineralia supplicatio, magna nunc populi frequentia celebrata est. Illustrissimus huiusce ciuitatis Episcopus sacerdotem è nostris munus obire voluit quæstiones morales statutis diebus vrbanis Parochis explicandi. Optimus idemque religionis nostræ amantissimus arcis Placentinæ Præfectus aureorum amplius bis mille in Collegij nostri exędificationem liberaliter erogauit. Grauissima lis ac difficillima nonum iam vsq; ad annum producta, pari dissidentium consensu atque approbatione diremta est. Auditæ diligenter nostro-

rum conciones haud paucis nouam vitæ rationem ineundi ansam præbuere.

## *Collegium Mutinense.*

BEATI P. Ignatij preces quàm Deo sint caræ, expertæ feminæ quinque sorores per annos aliquot à dæmone crudeliter vexatæ: qui cùm exorcismis frequenter adiuratus, abiturum se pertinaciter negaret; vbi ad sanctissimi Patris reliquias ventum est, immaniter furere, stridorem ingentem emittere, inuitum eiici se diris clamoribus vociferari. neque tum sanè mentitus est mendacij faber. admota crebrò eiusdem imagine victus fugam arripuit. Huius miraculi fidem, ne qua dubitatio oriri posset, Episcopus luculento testimonio litterisque patentibus confirmauit. Non minus admirationis attulit ac lætitiæ, quod dicam. matrona grauis atque illustris filiolam grauiter ægrotantem lugebat: conclamatum iam erat à medicis de puella, parumque aberat, quin animam efflaret. In tanta rerum humanarũ desperatione ad opem diuinam accurritur tempestiuè. Vouet mater, si filia valetudinem impetret, puellam se ex argento effectam ad sacrũ Beati Patris corpus missuram. Haud irritum cessit votũ. eadẽ ipsa die qua vouerat, sole ad occasum vergẽte, febris æstus magna ex parte deferbuit; postera luce tota vis morbi medicis obstupescentibus euanuit. A rebus sacris ad non sacra veniamus. Amœno prędiolo Collegium auctũ est, ac percommodo, quod nobilis femina, de nobis dum viueret egregiè merita, Societati moriẽs testamẽto legauit. Bonæ spei adolescens in nostrum Ordinẽ adlectus.

## *Collegium Foroliuiense.*

IN magna annonæ caritate, qua ciuitas vniuersa laborauit, vbi fame corpora afflictabantur, nouo atque

atque insigni planè beneficio diuina bonitas piorum animos recreauit. Donauerat olim Sereniſſima Dorothea Ducis Brunſuic coniux Collegio noſtro imagunculam quandam beatiſſimæ Virginis ligno inſculptam, haud cubito altiorem: quam propter vetuſtatem (ſexcentos enim annos viderat) ac patrata miracula, eximio cultu ciues ac veneratione proſequebantur. ac nequid muneri quod addi poſſet deeſſe videretur, reliquias Sanctorum, neque paucas, neque communes elargita fuerat munificentiſſima femina. Hanc ergo ſtatuam dum Collegij Rector in ædis noſtræ commodiori loco reponendam curat, apparet in parte neſcio qua luminibus inuia, ferri lamina quadrata foramen exiguum obſtruens à nemine antea deprehenſum. Hanc vbi ſecretiorem cauernulam Patres diligentius explorant, reliquias inde varias atque insignes extrahunt. Inter pretioſa quæque dextera manica beatiſſimæ Virginis inuenta eſt, non integra illa quidem, ſed mutilata eius tamen magnitudinis quam palmus vnus vix quaquauerſum dimetiatur. Dici non poteſt quanta nos lætitia theſaurus ille, quo nullus maior in terris reperiri poteſt, affecerit. Epiſcopus certè, qua ſingulari erga Deum pietate pręditus eſt, ad ſacratiſſimæ manicæ conſpectum à lacrymis ſeſe temperare non potuit, fuſiſque precibus nihil omnino dubitandum ratus, vt ea res omnibus innoteſceret, æris campani ſigno id quod erat multitudinem edocuit, aduocatiſque teſtibus rem totam auctoritate ſua, ac fide publica confirmauit. Populi finitimis è locis ad ædes noſtras concurſus, ſupra quàm credi poteſt, ingens fuit. Porrò ſtatuta die reliquiæ inuentæ vnà cum ſtatua ſitienti multitudini palàm expoſitæ ad contemplandum, quin per totam ciuitatem circumductæ ſolenni pompa,

magnificentissimoque apparatu, qualem ciuitas hæc antea non vidit. Et sanè cùm aliàs pietatem ac munificẽtiam suam Foroliuienses ostenderint, hoc vel potissimùm tempore liberalis animi, atque in beatam Virginem gratissimi indicia præ se tulerũt. Innumerà propemodum sunt, quæ tum diuinitus contigere miracula, sed ea commemorare longum esset, imò infinitum. seligam tamen vnum è multis, quod silentio minimè prętereundum est. Scelestus nescio quis Auerni fex tartarique sentina, diris reginam cæli blasphemiis impetere non dubitauit: pœnas dedit quãuis flagitio minores, superis atque inferis iuxtà abominandum caput. contracti sunt illicò nerui, læuumq; latus veluti emortuum iacuit sine motu, quin impura illa contumeliarum pronunciatrix lingua vinculis quasi quibusdam alligata est, vt nullum inde verbum efformare posset: agnouit facinus nequam ille, palamque scriptione publica detestatus est. At serò sapuit: nõ enim Dei para pœnas auertit, quas iustè inflixerat. vt sic vel vno exemplo humana discat amẽtia nullũ detestabilius sacrilegiũ excogitari posse, quàm Diuos probris afficere. Hæc diuinã iustitiam prodigia declararunt; quę verò clementiam, singula libenti animo persequeremur, sed annales, nõ historiã scribimus.

## *Montanianensis missio.*

MONTANIANA opidum est amplum satis ac percelebre in agro Patauino. Huc ieiunij solennis tempore perrexit concionator è nostris, quidque sacrum inter ac profanum oratorem interfit, egregiè declarauit. Eas quippe opidanorum pectoribus, quorum aures plus æquo verborum lenociniis assueuerant, admouit orationis faces, vt pietatis incendio plerique deflagrarent. Octo, qui plures

plures annos in pellicatu vixerant, resipuere. Amiculas itaque alij domo abegere, quidam in tuto reposuere, nonnullis etiam visum est pellicatus turpitudinem cum honestate matrimonij commutare. Ex his obstinatior vnus, vtpote qui per septennium in hoc cœno iacuerat, etsi de corrigendis moribus nihil cogitabat, conciones tamen frequenter audiebat. Ceterùm cùm impudicos homines Christianus orator acerrimis obiurgationum flagellis identidem diuerberaret; homo impotens ferre non potuit. eò vsque exarsit iracundia, vt conuitiis minas adiungeret, palamque dictitaret, faciliùs se loquenti diabolo, quàm impudentis Iesuitæ (sic illum nominabat) admonitionibus obtemperaturum. Non longè res abiit. Quadam die concioni cùm interesset (erat hæc B. Virginis annunciatæ sacra) emollita diuinitus irati hominis ferocia est. Absoluta concione statim aduolat ad sacerdotem, ibi ad eius genua supplex accidere, vbertimque flens contumeliarum veniam deprecari, non alium mendacij atque amentiæ suæ testem, quàm seipsum apud multitudinem forè pollicerì. quid plura? ducenûm bis nummûm dote erogata honesto viro amasiam iũgit in matrimonium ingenti opidanorum lætitia & fructu. Mulier, quæ cum marito diuortium fecerat, eidem reconciliata. Meretriculæ duæ à fœdo corporis quæstu abductę. Pecunia per vim ac fraudem extorta dominis restituta. Superstitiones ac præstigiarum consuetudo abolita. Adolescentes duo ad Cappucinos animum constanter adiecerunt, totidem de nobis cogitant.

## *Clarensis missio.*

EXIGVI temporis labor in Clarensi missione susceptus fructum attulit minimè contemnendũ. Ibi sacerdos per mensem plus minus cũ dimidio commoratus

moratus crebris concionibus adeò populi erga se studia ac beneuolentiam conciliauit, vt mirum sui desiderium discedens reliquerit. Sceleratorum hominum Deo fauente perfracta pertinacia est. Hi letiferum peccati venenum, quod iam pridem miserrimè biberant, ad sacerdotis pedes feliciter euomuere. Multis etiam necesse fuit confessiones iam inde à primis annis infectas verius, quam factas retexere. Ablatum æs legitimis dominis redditum, odia euulsa, sedati motus, quibus quorundam conscientiæ turbulentius agitabantur.

## PROVINCIA LVSITANA.

NVMERAT prouincia Lusitana domiciliis quindecim, socios sexcentos triginta vnum, Olyssipone in Professorum domo quinquaginta quatuor, in Collegio sex supra quinquaginta, octo & viginti in domo Probationis, in Conimbricensi Collegio ducentos, in Residentia sancti Felicis octo, tres in Canalensi, in Eborensi Collegio centum quadraginta septem, septemdecim in Portuensi, duo supra triginta in Bracharensi, in Brigantino vigintiduos, in sede Pharaoensi nouem, in Funchalensi Collegio vndeuiginti, quindecim in Angrensi, nouem in Collegio S. Michaëlis, in Angolana domo duodecim. Diem obiere tredecim, nostrum Ordinem adiere septuaginta circiter, in Indiam missi viginti, ex India huc ad nos duo nauigarunt, in Orientem mox peractis Romę negotiis redituri. Clarissima Hispaniarum Regina Margareta studiosissima Societatis nostræ patrona Ariæ Saldaniæ Proregi in Indiam iamiam profecturo vltimum illud, vnacumque impensè commendauit, singulare in nostram Societatem studium & amorem, quod & ipse

ipse auidissimè excepit Prorex, & nobis postea beneuolè significauit; vir quippe Societatis iam pridem amantissimus.

## *Olyßiponensis Professorum domus.*

AVCTA res familiaris: sociorum numerus imminutus. Occidit Frater Andreas Gomezius domesticorum operum adiutor, in Portuensi diœcesi ortus, Sociorũ inter Lusitanos antiquissimus: ad annos octoginta aut etiam plures ætate decursa hebescentibus ad laboris munia corporis viribus, vigebat in eo tamen mirifica nostri Ordinis charitas, qua præcipua semper excelluit. Nam annos triginta ostiatim stipem corrogauit, alendo olim Collegio Portuensi, postea Professæ domui Olyssipone, admirabili vitæ innocentia & probata tolerantia. A viro semel bene nobili & nummato eleëmosynam petiit obnixè. Illudit improbus primùm impudenter supplicem; nec iocis risuque contentus, roganti acerbè conuitiatur. conuitiatorem Andreas quasi rosas gemmasque loquentem vbi patienter audiit, humi defixum obtutum hilariter attollens, Me mea (inquit) domine gratissima iam munerasti eleëmosyna, suam quæso modò Patribus impertire. Mirum quantum animi submissio tumescentem animum tranquillauerit. mox petulantiæ se damnans munifica manu postulantis animo obsecundat. Interiit item Pater Ioannes Lucena ex Francozensi opido diœcesis Ægiditanensis, quatuor votorum professus, quinquagesimumprimum ætatis annum vix egressus. Philosophiam Eboræ magna cum laude docuit. Reliquum vitæ tempus in euulgando Dei verbo gnauiter & vtiliter consumsit; Christianæ vir eloquentiæ: in magnos concionatores inciderat eius ætas; magnam

tamen

tamen ingenij non laudem modò, sed etiam admirationem est assecutus. virtutis erat eximiæ, & propter virtutem & sapientiam splendidus inprimis apud regni proceres & gratiosus. Auditorum animos tanta detinebat suauitate, vt illi semel Conimbricæ apud regiam Academiam concionanti, & iam dicendi finem facienti ab vniuerso consessu publicè acclamatum sit, vt vlteriùs progrederetur. Porrò quantam ad scelera vitanda eius oratio animis vim imprimeret, vel hoc clarebit exemplo. Concionem ad extirpanda odia simultatesque instituit, grauissimis verborum ac sententiarum iaculis rem vrget. aderant quatuor viri non ignobiles inteſtinis inimicitiis dissidentes: nec mora, ipso perorante vltro in gratiam redeunt. Et verò non solùm viuæ ipsius voci, sed scriptæ etiam vim mirabilem inesse probauit euentus. Soluerat classis regia è portu Olyssiponensi. vehebantur simul duo tam generis claritate, quàm hostili odio decertantes. contigit illorum alterum aures admouere militi lectitanti. hanc eandem de condonandis offensionibus, quam à Patre Lucena inter dicendum exceperat, concionem. percellitur sensim animo adolescens, mox de amicitia redintegranda cogitat, legenti mentem aperit ac flagitat, vti coram aduersario eandem recitet concionem ad molliendum hostem. obtemperat ille læto animo: occasionem nactus alteri dissentienti eadem in aures verba ingerit, mox in pectus viscera que insinuat. è vestigio vocato repentè qui aberat, vterque orationis vel militis ore pronunciatæ stimulis confixus discordiarũ veniam poscũt, in mutuos ruunt amplexus, officiis inter se deinceps beneficiisque certant. Manus extrema non accessit operibus eius; præclarè inchoata multa, perfecta non planè. Xauerij vitam Lusitano idiomate in lucem mox edendam sub

prælo

prælo reliquit. Templo dicata dona ad mille aureos pretio æstimantur; singula sacella singulis ornata cratibus includuntur. è pretiosa materia factum opus, vel in ea vrbis magnificentia conspiciendum. Sanctuaria duo apud nos Diuorum reliquiis asseruandis ornata magnificè, multorum donis celebrantur. maximo tamen honori & venerationi præcipuè sunt beatæ Brigittæ, & D. Gregorij Thaumaturgi capita: plurimo etiam miraculo venerabundis propitij esse existimantur. Illud pro comperto habeatur; per nobilia pariter & ignota capita latè euagante pestilentia repertum neminem, qui Thaumaturgi capitis mensura suo circumdata, absumeretur contagione. In publica verò calamitate suum nostri studium sic strenuè per omnia exhibuerunt, quasi demerendi beneficiis tam potentem, tam beneuolam ciuitatem, numquam parem occasionem sibi futuram arbitrarentur. Fœda quidam morbi contagione percussus, rerum omnium egestate oppressus in grabatulo iacebat, cui mala res domi, foris quoque spes erat asperior: ab omnibus verò destitutum, ea quoque Religiosorum familia, quæ felicem quondam & incolumem modis omnibus coluisset, ita magnopere vitabat, quasi pertimescerent singuli, vt quisque proximus ab oppresso foret, per omnes illico, velut continens incendium cõtagione euasurum. Hunc igitur nostri alacres in suam fidem tutelamque recipiunt: eius re familiari scitè composita, sacris omnibus munitum, post quatuor vel quinque horas animam efflantem adiuuerunt. Quod vnũ factum nobis multam gratiam cum optima existimatione attulit. Non solùm miseri, sed potentes nostrorum implorant opem. Mortifera perculit lues nobilissimæ stirpis feminam. præstò est à confessionibus alibi laicus sacerdos, nec desiderantur consulendi viri:

illa ceteros respuit, è nostris vnum iubet oratque acciri stratis equis : post expiata crimina moribundam ad extremum spiritum non deserit socius, eo illustriori charitatis exemplo, quo malæ pestis timor religiosos viros ab hoc ministerio erga feminam de se optimè meritam magis arcebat. Porrò excursiones in opida Transtagana factæ. Missi bini Cetobricam; pares nobili opido fructus domum relati. Bini quoque Villam viçosam iuere postulante Catherina Principe: non impares ibi laboribus fructus socij adepti. Crebræ item in plurimis vrbis parochiis nostrorum conciones, ea cum laude habentur, vt multo antè expectentur. Ac vt generatim semel omnia complectamur, multis vtriusque sexus atque ordinis auxilio, consilio, solatioq; fuere nostri; multos à ludendo, furando, lædendo, scortando, litigãdo, cædendo, vindicandoque reuocarunt. Singula referre haud licet. Multa aureorum millia, vel remissa debitoribus, vel data egenis. Illud factu præclarum, quod sic accidit. Ortum iam diu erat incendium simultatum & factionum inter nobilissimi Ordinis religiosos homines. ad Proregis Pontificiique Legati tribunal delata re è nostris vnum vterque præses acciri iubent, cui id negotij peragendum darent. Noster monasterium adit, familiarem ad cœnobitas concionabundus sermonem instituit. diuina ope factum, vt cùm omnes eorum iras ex intimis mentibus euelliset vis orationis, in lacrymas lætitiæ mistas, mutuosque amplexus effunderentur. Hodieque nostra familiarissimè amicitia vsi partam de se Ordini nostro gloriam, suo pacem, sibi salutem gratulantur. Hæresum prauitate infecti quatuordecim externi ex vno cum sacerdote nostro congressu ad orthodoxorum fidem animum appulere, Catholico omnes ritu instituti. Angli tres hæreticorum inductu

eorum

eorum templa adierant sacra, & hæreticos buccinatores audituri.iuuenum mentes magna subinde facti pœnitentia subiit,& apud vnum è nostris per generalem confessionem ea religione animos aliisque flagitiis expiarunt.Permirum illud:Italus adolescens non amplius sexdecim natus annis Algerium,Lybiæ vrbem,à Mauris captiuus ducitur:ibi vt à Christi fide ad Turcarum superstitiones deficiat,precibus,metu, spe validè solicitatur. tandem more modoque Turcarum circumcidi se passus est;integros ipsos ac perpetuos decem annos Turcam gessit. Interea nocte concubia,visa in somnis species matronæ maioris quàm pro humano habitu, augustioriſque,Deiparæ nimirum,pœnitentiam facti,fugamque in patriam suadentis.Obuersata oculis iterum ac sæpiùs beata Virgo timiditatem ac desidiam hominis leniter incusans; in quæ consilium dederat, in eadem insuper & fidele auxilium, & propitiam operam ore placidissimo pollicetur Dum perstat nihilominus in cœpto immitis animus,nauali tandem prælio à Lusitanis receptus, cum reliquis captis bello Mauris, Turca & ipse existimatus, tristi remigum ministerio à Christianis addictus : vigintiquinque annos in eo miser squalore & intolerabili vitæ genere obsordescebat. Perfidiæ interim abiectæque religionis cùm indoleret impendio, optabat inprimis ementitam per sacrilegium religionẽ propalàm diffiteri: hærentẽ ergo fluctuantemq; animi alloqui rursus visa per quietẽ magna Mater, multa in eius segnitiem subdurè increpitans. Paucis pòst diebus terram cùm peteret,ex scapha in littus cum permista multitudine prosiliens,duos animaduertit se inuicem incessentes hostiliter saxis;ausus se temere inter saxa volitantia inferre, ex transuerso impacto ad caput saxo ictus cecidit moribundus. Nostrum

vocari iubet, cum eo ægrè primò ac verecundè loqui: ſocium deinde (id quoque iubente Chriſto para) ortu Italum agnouit; tum verò vix compos præ gaudio, animo, lacrymabundus, amoto prorſus inani pudoris ludibrio fidentiùs agere, totum ſe noſtro credere, nihil non patefacere. inde per aliquot dies animo meditationibus præparato totus quàm longa erat vitæ ſcelera apud noſtrum ſacerdotem deponit, ſibique ipſe certam ad monendum diem horamque præfigit. nec vanis vates.

## *Collegium Olyſſiponenſe.*

SVPERIORI anno, publico malo cogente, intermiſſæ ſcholæ, eo abeunte reſtitutæ. Verùm inſtituendis ſcholarum legibus diſſuetudine obſoletis nouus deinde exſudatus labor, haud ſine fructu. etenim humanis rebus hoc anno valere iuſſis, varias Religioſorum familias quinquaginta, & noſtram de iuuenum flore decem ingrediuntur. Ad alios quoque noſtrorum manauit pietas, tum ad puellas parentibus orbas, & quarum pudicitia periclitabatur, honeſtè collocandas; tum ad miſerorum hominum paupertatem ſubleuandam, quos grauitas ac pudor ab emendicanda ſtipe retardabat, noſtri ſacerdotes à primariis viris quingentos fermè aureos collegerunt. Frugiferum ſatis prædium iniquus litigator inuaſerat conductis ad id falſis teſtibus. Vix benè primos legerat fructus, ecce tibi ſua fraus hominem ſtimulat incertum animi, quid conſilij captet. hinc dulcedo prædæ allicit, hinc iniuriæ ſtimulus pungit; hinc inter anceps alternantis animi cogitationes diuinus homini ſuboritur ſplendor; noſtrum adit. Itaque de illius conſilio effectum eſt, vt prædium poſtliminio ad legitimum dominum redierit. Quidam impuro

puro quindecim annorum ſtupro inueterauerat, quatuor ex vetito concubitu ſuſceperat liberos. ad pias amicorum voces obſurduerant aures: rem tentat Parochus monendo grauiter, Archiepiſcopus territando. ad meliorem frugem, vt erat ille callidus, interim componit vultum, verbaque fingit, & ſolita tergiuerſatione cæli machinas illudit. deſperata fermè erat ac deplorata hominis ſalus. Vrgere rem pergit vnus è noſtris ſacerdotibus, inſtat premitque acriùs. quid opus eſt verbis? Illius operâ & dexteritate breuiter euenit, vt illi poſt tam longam mentis caliginem diuina gratia vberiùs affulgente concubinam opibus tenuem, genere inferiorem, tandem aliquando duxerit, admirantibus iuxtà ac gratulantibus vniuerſis, qui de tam felici exitu prorſus deſperauerant. Chriſtianæ doctrinæ Sodalitio tranſmiſſum à ſummo Pontifice piacularium litterarum diploma, magna omnes gratulatione plauſuque exceperunt. Inſtituta ſupplicatio, qua hinc ad D. Rochi effigies Deiparæ catechiſmi patronæ deferretur. Tota verò ſupplicatio ordinis & pompæ ita plena, vt illuſtris, vt ſplendida, vt popularis eſſet, vt haberet ſummam ſpeciem ac dignitatem.

## *Domus Probationis ſeparata Olyſiponenſis.*

HIC nouitij ab vrbano tumultu, ac negotiis cùm & tempore & loco, tum etiam vitæ ratione feriati: ſeriò omnes & impensè ad omnem ſe virtutem conferunt. Faxit Deus, vt quæ ſunt iam in illis orta & procreata, educet atque confirmet.

## *Collegium Conimbricenſe.*

COLLEGARVM hoc anno Conimbricæ qua foris, qua domi eximius ardor fuit. In pagos inde excurſum animarum lucro. Itum Viſeum rogante Epiſcopo; non ſolùm magni ieiunij tempore, ſed reitionibus per annum crebris eius diœceſeos parochias fermè ſingulas noſtri perluſtrarunt. Omnium excurſionum fructus commodum in vnum velut cumulum aceruatim & permixtim coniiciam.inimicitiæ,rapinæ cædeſq; compreſſæ, alienæ res dominis, vxores maritis reſtitutæ. Vir quidam, cuius gentilitiæ nobilitati par erat diuitiarum gloria, auctore noſtro clientes omnes obæratoſque ſuos quos habebat plurimos, quóſve ſciret, quóſve ignoraret ſibi quidpiam debere, ea exolutos onere ſe velle nõ liberaliter minùs, quàm magnificè enunciauit; etenim ingentem pecuniæ ſummam remiſit. At enim rem ego illam omnium minimè grauiſſimam actam puto. Nobilem Abbatem ſummates opidi viri arctè & grauiter dormientem opprimunt: ibi fœda laceratio corporis facta, ſæuire ipſi & ſe impiè cruentare, multaque facere impurè atque tetrè cum temeritate atque immanitate. vulnerari iacens, trucidari & excarnificari ſacerdos; caput, vultus, brachia inciſa fœdum in modum ſe inuicem interſecantibus plagis ferrum præacutum lenta & graui manu diducente. Cùm igitur ea optanda magis quàm conficienda amicitia videretur, tamen vtrique parti ſalutaris potiùs, quàm ſpecioſa ſuadente noſtro, omnium reis, quæ in ſe impiè ac nefariè alia ſuper alia ausi fuiſſent, munificentiſſimo planè animo gratiam fecit Abbas; mittendumque Olyſſipone regium magiſtratum in perniciem pagi opprobriumque religio-

religioſorum hominum, quorum etiam reorum inſinuauerat animis ſuſpicio, noſter impediuit. Sed extra vrbem vagati domum reuertamur. Noua ædificio veteri pars addita, ſtrenuè promouetur mox habitanda. Societatem noſtram ingreſſi quatuor & triginta, è vita egreſſi quinque. in his Frater Ioannes Gonzaluus, exacta iam ætate vir: hic ſexagintaocto natus annos trigeſimumoctauum in Societate exegerat, patientiſſimus laboris, algente & æſtuante cælo, in Canalenſi reſidentia rurali operi maiori ætatis parte operam aſſiduam impendens familiarem rem Collegij auxit non parum, ſibi tamen victu veſteq; pauperrimus. Alterum eiuſdem ſtatus Fratrem Emmanuelem Petræum vita functum doluimus: è quadraginta quatuor ætatis ſuæ annis integros quinque & viginti in domeſticis officiis cum fide ac pietate exercuit, orationi magnopere deditus. Patri Ioanni Simoni vitam compleuit trigeſimusoctauus annus: ſextum apud nos agebat: præpoſitorum ſibi maximè reuerēs, inſigni probitate & animi candore notabatur: ad quælibet obeunda præcipuè difficilia munia paratiſſimus. Mitti ad tabe peſtifera infectos ardentiſſimè optabat; cuius voti vt compos fieret, nullum lapidem non mouit, lacrymis vbertim fuſis, precibus manibuſque ad cælum tentis Deum hominesque exorabat. Tanto Deum videndi æſtuabat deſiderio, vt cùm de abitu ad ſuperos iamiam impendente admoneretur, hilari vultu proclamarit; Fauſtum nuncium mihi, cariſſimi, gratulamini: quo gaudio ac lætis verbis ad extremā vitæ periodum omnes, qui eum inuiſerent, excipiebat. ſi quis illum longiori vita ſuperſtitem futurum diceret, ægrè moleſteque ferebat. talem virum Deo nobiſque peperit Conimbrica. Obiit item Pater Georgius Contreyras ex opido Monte maiore nouo; annos

quinque & triginta nondum superans, decem & octo Deo dicatus, summa cum laude vixerat; sine arrogantia grauis erat, & sine segnitie verecundus, ea tranquillitate mentis, & morum suauitate se per omnia gerebat, vt felici perturbationem animi victoria excellere videretur. Præterea magnarum artium disciplinis instructus, & doctrinæ vir non vulgaris, Philosophiæ cursum docendo fuerat emensus. Idemque studium dum remetitur, vix è carceribus stadium corripientem vita defecit. Decessit etiam feliciter Pater Saluator Soto Maior Olyssiponensis, perfectus litteris latinis, nec fastidiosus græcarum cultor. eximio animarum salutis studio afficiebatur: etenim annos nouem eas, quarum peritiam callebat, linguas edocendi publicè functus munere, publicis priuatisq; exhortationibus auditorum animos scitè & accommodatè pertractans extraordinariam iuuenum multitudinem adegit, vt humanis rebus nuncium remittentes alij apud alios Religiosorum Ordines, plurimi apud nostrum optimam viuendi viam insisterent. cælo ipse maturus quadragesimumprimum ætatis annum pertingebat, vigesimumquartum inter socios degens, morbi genere minimè periculoso, vt medicorum quidem iudicium fuit, implicatur. Diem ipse sibi morituro prædixit eum, qui Simoni Iudæque Apostolis sacer est, quemque vitæ suæ terminum præstitutum à Deipara se dixerat accepisse.

## *Collegium Eborense.*

MEDIA sui parte luctuosus, ac fortè pestilens fuit annus vrbem, agros, vicina opida incolentibus; at verò in tam atroci ac difficili Reipubl. tempore suam nostri operam optantibus vtiliter sæpe detulerunt; requisitam certè nemo non

non tulit. Semoti aliquot in vicinis commodùm sedibus vrbis commercio ac subsidio destinati collocantur; grata ea res, vt quæ maximè Senatui vnquam fuit, populoque Eborensi. Cæterùm mortiferam hanc luem sic inhibuit Deus à nostris, quò pluribus opitularentur; vt non tamen omnes domi ab ea clade fuerint intacti. P. Gaspar Nonius Interamnensis subita inter audiendum ægroti confessionem percussus tabe, egregia morte defungitur. id ille mortis genus præoptatum à Deo obtinuisse fertur. Simili morbo absumtus est Frater Thomas Maleus Hibernus adolescens, sineret Deus, maximo emolumento breui patriæ suæ futurus. Eadem alius contagione infectus assiduis sociorum orationibus in vita retentus. Patrem Balthazarem Socium Bracharensis diœcesis repentina quidem mors oppressit, at non imparatum tamen. nam cùm pridie sacro viatico animum præmuniret, nocte insequenti inter dormiendũ noxius humor gulam opplens spiritum intercluſit. Maior hic erat annis sexaginta, oculis penè captus, aurium quoque sensu hebescente; vigebat in eo tamen consilij vis & æternæ salutis infatigabile studium; vel fundendis precibus, vel rebus diuinis contemplandis, vel de Deo intermiscendis sermonibus magnam diei partem insumebat; modico plerumque pane ac frigida victitans, reliquis cibis abstinebat. Quartus ad superos euolauit P. Ioannes Stremosius Eborensis: iam hic grauior annis amplius centenis denis, non externis solùm, verùm etiam domesticis quoq; abcesserat muneribus; in corpore tamen affecto non obtusus animi ad pietatem vigor. Etenim senile corpus multis quotidie flagris iuuenili prorsus & hostili brachio feriebat. Haud segniter prospera reliqui valetudine ad animarum lucrum vsi fuere. Nostrorum pariter audi-

torum vrbanæque iuuentutis pudicitiæ à nobis per omnia diligenter consultum. disturbandis maximè ab vrbe histrionibus eius rei studium præclarè enituit. Eboram adueniunt ab externis prouinciis morum castimonię corrumpendæ, si quidquam maximè, pestilentes tragœdiarum actores, cum procacibus mulierculis. Ergo inquietare gymnasia, iuuentutem perdere, ciuium quietem perturbare, saltatriculas tympanistriasque, & reliqua ludionum oblectamenta dare, delinimentis & venenis imbutas captasque adolescentum mentes velut furialibus stimulis ad omne scelus & ad omnem libidinem agere, obscœnos denique mores transfundere in spectatores. Obtentum bonis moribus malitiarum omnium curriculum disrumpendum nostri curant, eiiciendumque ab vrbe histriones obsistere, contrà eniti. Pręterea non ij modò, qui otiosum otium honestis laboribus præoptant, sed vrbis quoque magna pars eaque potior nobilitas, quæ plurima Eboram incolit, tragœdiarum gratiâ deprauata fauere & cupere histrionibus. adire prætorē proceres, supplicare pro comœdis, ad infimas preces abiicere maiestatem regni quoque primates viri: non nemo etiam Dynastæ auctoritatem suam interponere, atque ferè omnem adeundi & conuertendi prætoris indignitatem & molestiam præferre. Re igitur Olyssiponem missa ad Proregem, eiusq; auctoritate aduersus magnatum potentiam præmunitus vrbis Prætor (nam & ipsi læsos se iniuria questi regium tribunal appellauerant) histriones iubet ab vrbe mox exire. At verò cunctabundos resistentesque eiectos ignominia, magistratum integritatis & constantię gloria, nostros laus & gratulatio populi secuta est. Intra Eborense ferè territorium spatia frugifera atq; immensa camporum porriguntur, singulis in singulos

gulos fundos agricolarum ſedibus conſperſa frequentibus, tantaq; prædiuitum familiarum multitudo eſt, vt in ruſticas parochias penè triginta, & quidem numeroſiſſimas, & ſacrorum politiæ, non vt inter agreſtes ſolùm, ſtudioſiſſimas diſtribuatur. Atque vt omnibus retroactis annis Societatis munera, hoc etiam, ſi vnquam maximè, cum accumulatiſſimo prouentu noſtri cohibuerunt. ſingulis enim Dominicis Quadrageſimæ diebus quadragintaſex ac plures concionabundi, è Collegio bini, aut in vicinos pagos parochiaſque aſportabantur, aut in vrbes & opida ab Ebora non parum ſemota incolarum more deſtinabantur. Difficile ad fidem eſt in tam vaſta multitudine diſſidentium, quot in amicitiam coaluerint; exacto affirmare numero. Lites compoſitæ pleræque, amotæ ſuperſtitiones nonnullæ, aleatorum menſæ ſubuerſę, receptatrices colluſorum domus aliquot noſtrorum monitis clauſæ, æris alieni magna vis, & quidem multis in locis reſtituta, fœnebre pactum multiplex diſſolutum. Sodalitates egregia olim diſciplina labente exoletæ, alibi reparantur, alibi verò nouæ inſtituuntur. Multi præterea ex ſpurca immaniq́ue vita exculti ad pudicitiam mitigati ſunt. Multis in opidis, præſertim in ciuitate Pace Iuliã, pecuniarum & frumenti magnam copiam in pauperes erogandam noſtris dedêre ciues, ſed quàm potuit quiſque occultiſſimè. Nonnullis in locis Societatis noſtræ Profeſſæ domus expetuntur. In Pace Iulia vrbe celebri & copioſa ſunt ampliter nummati, & longè diuites complures homines, largiter omnes & eximiè opes operaſq́ue ſuas ad erigendam Profeſſorum domum pollicentur. prudentiſſimus quiſque potentiſſimuſq́ue in ea re maximè negotioſum ſe fore ſpondet. Hoc etiam anno magis magiſq́ue cum ſtudioſa æmulatione

beneuolentiæ crebriùs ac liberaliùs promittebant annuos reditus largissimos nobilissimi plerique & opulentissimi in expensas præstare, conuectandis lapidibus paratos se omnes dicere; aliis alij muneribus donisque inuitare pro se quisque, & offerre benignè omnia, cumulatè dare, flagitare precibus, vt quæ domui extruendæ opus essent, ab se potissimum sumeremus. Tantum denique omnibus studium, & alacritas rei gerendæ innata est, vt illico si per nos liceret, de loco & tempore iaciendorum fundamentorum non controuersia, sed electio inferatur.

## *Collegium Portuense.*

IN Portuensi quoque Collegio ex eodem animarum studio gignitur fuga desidiæ, voluntatumque consensio domi, ex quo laborum & negotiorum susceptio multorum magnorumque foris. Multorum egestas, lites, odia, concubinatus quatuor malorum capita, nostros exercuere. Eminet illud. omnia nobilis cuiusdam viri calumniando, detorquendoque suspecta, nescio quis, & inuidiosa effecerat per schedulas, omnibus probris & contumeliis plenas, aut per vrbem dispersas de industria, aut publicis affixas locis. De facto conueniebat; de auctore discrepat: fama tamen, quæ res cunctas ex libidine magis, quã ex vero celebrat, obscuratque, clarissimum alterius gentis virum in suspicionem maleficij deuocauit. Igitur claritudine generis insignes familiæ duæ mortales iam præcordiis penitus inuidias nutriebant; aliis aliorum inimicitias pro ea, quæ necessitudo & affinitas intercedebat, vltro susci pientibus. præcogitatas lites in alterius dedecus, in alterius verò familiæ perniciem ne prosequerentur, satis vndique a sociis prouisum atque præcau-

præcautum est; priuatoque iudicio ex vtriusque dignitate nostri statuerunt. Grassante circa vrbem pestilentia, ac propè vicino opido, quod à ciuitate diuidit interfluens Durius, vir quidà vt erat abundans & locuples, necessaria omnis generis medicamenta, potionesque contagione affectis liberali impensa nostro procurante suppeditauit. E Collegio quoque in eorum subsidium præter alia ægrotorum munera modij frumenti sex in singulas hebdomadas multorum mensium spatio subrogati. Inter viuos esse desiit P. Guillelmus Ferdinandus Portuensis. annum iam ætatis octogesimum excesserat, in altissima planè mentis & corporis tranquillitate. pari foris domique veneratione senex, ad omnes rerum euentus, eodem semper & imperturbato animo permanebat.

## *Collegium Bracharense.*

EXORDIVM ab iis auspicabimur, qui ad Societatem nostram accessere, tredecim nimirum. Duo è vita recessere: Pater Emmanuel Magalianes Funchalensis fuit alter, Ministri officio in variis Collegiis, in Angrensi verò Rectoris munere nuper defunctus, qui ob mitissimum ingenium, probitatémque singularem mirificè charus erat omnibus. Alter verò Frater Petrus Marquezius ex Vizensi diœcesi, probatissimi ingenij adolescens, maturæque virtutis, licet nondum explesset quartum in Societate annum: Rhetoricæ diligentem nauabat operam. Cetera adauctum magnopere Collegium, templo addita donaria multa nec vilia; argenteum conflatum brachium quo diui Sebastiani reliquiæ clauduntur. nouum in templo erectum altare tabula egregiè picta ornauit Archiepiscopus, primúsque in eo rem diuinam faciens vndecim milli-

millibus virginum dicauit. Sedes in villa conſtructæ; ſuburbanus agellus emptus, à quo ſcaturigo perennis largis manans aquis, in Collegium deducenda. Recaleſcere ex integro Parthenij adoleſcentes, & reſumere impetum fractum omiſſumque fame ac peſtilentia cogente ſeriò cœperunt. Sacramenta obeuntium multitudo pro loco & tempore nullibi fortaſſe apud Luſitaniam maior quàm Bracharæ apud nos. Excurſiones factæ, & quidem magnopere frugiferæ, odia efferata multorum domita perdocefactaque ingenia.

## *Collegium Brigantinum.*

DVODEVIGINTI corpora, brachia octo, quibus Sanctorum reliquiæ includerentur, fabricata ſunt; auro eadem argentoque ſingulari planè artificio ſplendent. Huius theſauri peramplum ſanctuarium in ſacello Fratrum conſtructum. pagi decurſi cum fructu; maximus à Mogadouro opido reportatus. res ibi geſtas in pauca confero. alij à vinculis ad libertatem, ab inimicitiis ad familiaritatem alij deducti: multi à ludendi, plerique à iurandi, nonnulli etiam à ſcortandi aſſuetudine receſſerunt: æris alieni bona ſumma remiſſa. Porrò Brigantiæ illud maximè præcipuum. Gliſcentis inuidiæ felle flagrãtes duo vrbis primores viri cruentum certamen animis imbiberant. Ergo magis magiſque inuicem cum æmulatione virium certantes, vltro citroque curſare nuncij, laceſſere per ſchedulas, violentiam inſitam ingeniis intemperantia nunciorum accendere. pòſt vbi obſtinauerant animis vincere aut mori, comparauerunt inter ſe pugnæ locum & tempus. Vtrique duci ſua cuiuſque clientela in omnia belli pacique conſilia conſociauerant, vt in vno illo certamine omnis multorum

rum fortuna disceptarit. Cæterùm vrbis magistratus paulò occultiùs citiusque huiusce consilij participes, cùm eos qui certamen poposcerant neque deterrere possent, neque destinata exequi paterentur, ad nos venere nunciantes omnia exempla cruentæ pugnæ vulneribus, sanguine, cædibus in semetipsos edituros ciues obarmari; rogant proinde ne nouis vulneribus veteres abrumpi cicatrices patiamur, de pace mox & amicitia cum armatis exigamus. Abunde magnum præsidium vrbi, in nostra industria & diligentia fuit; nam obstinatos vlciscendi animos sic inflexit noster, vt non impedierint quemquam priuatæ offensiones, quo minùs pro suorum salute etiam cum inimicissimo quisque consentiret.

## *Domus Pharaoensis.*

HOC domicilium proximo præterito anno ad Lusitanam prouinciam in Algarbiorum regno accessit. Eius sedis primordia sic habuerunt. Ædes magnificas ædibusque continentem agellum, amplum illum quidem, præter alia vectigalia erigendo in vrbe Pharo Societatis IESV Collegio reliqua nobis fecit vita defunctus Iacobus Lopius Pharaoensis templi maximi Decanus. ea verò hereditas ad decem aureorum millia, vel cùm tenuissimè æstimatur. ædium situsq; natura his dotibus commendatur, soli amœnitate, fertilitate & salubritate eximia, cœli quoque clementia, vt quæ vsquam mitissima; ædes ipsæ ad omnes orientales cæterosque aspectus maximè peruiæ, è quibus latissimus lætissimusque ad mare, agros, vrbem patet prospectus. Eæ verò in cubilia decem, templum non exiguum, ac reliquas domesticas officinas omnium capacissimas accommodantur. Sex aureorum millia in

sumptus

sumptus operum munificentissimè impendente Illustrissimo D. Ferdinando Martino Mascarenio Algarbiensi Episcopo. Domus sexto Calẽdas Octobris anni millesimi quingentesimi nonagesimino-ni primùm à nobis coli cœpta est. Nostrorum aduentus qua omnium lætitia, quo lusu, quo pedestrium equestriumque ludorum apparatu sit exceptus, ac perpetuos dies octo celebratus, is concipiat animo, qui aut oculis rem subiecerit, aut ex nobilissima & beneuolentissima ciuitate in optatissimorum hospitum aduentu æstimauerit. Brachia, capita, ossa permulta, atque aliæ sanctorum Martyrum virginumque reliquiæ à templo maximo ad nostrum perlata, cum incredibili totius ciuitatis studio pompaque. in his sanctissimæ crucis particula visendæ omnino magnitudinis; cuius nobis muneris præcipuus auctor extitit idem Præsul Illustrissimus reliquorum conciliator egregius; insigni beneficio Illustrissimę Margaritæ Marchionissæ Castelrodigensis ac Lusitanorum Proreginæ. Prędiues iam nunc sacra templi supellex; altarium sacerdotumque ornamenta complura: præcipua verò quatuor magno artificio opulentiaque perfecta. Cæterùm ea sedes D. Iacobi patrocinio ac tutelæ commissa, eleëmosynis alitur. Episcopus vix beneficij nomine dignum putat, quòd nostris necessaria abũdè suppeditet, cùm effecerit, vt omnes intelligant, omnia Episcopi nostris patere, nec magis nostra esse, quæ nostra sunt, quam quæ illius. Foris omnia prosperè. nam hic sicut ad Societatis munera pauci sunt, nimirum nouem, sic multi provbertate fructus. Diuini cultus studium & Sacramentorum frequentiam tantam in hoc regnum socij induxere, vt nunc demum confessionis & communionis gratia adiri templa, & frequentari monasteria cœpta sint. Errores sublati multi; superfti-

perſtitionum luxuriem concionum acie depaſcendam noſtri curarunt. Multi in quibus obduruiſſe contra pacem inimicitiæ atque lites credebantur ad noſtrorum iudicium ſe reiecerunt. Seiunxere ſe aliquando viri aliquot ab iis mulierculis, cum quibus eas, vel falſa connubij ſpes vel libidinum vincula coniunxerant. Magna vis pecuniæ, quam interuerterat vel fraus, vel inſcitia, ad dominos partim reuertit, partim ad extremam inopiam reductis ceſſit. Ingemuere plerique conditioni ſuæ, tandemque reſipuere. Præſtigiæ philtraque impedita; à dæmonum fallaciis expediti multi.

## PROVINCIA TOLETANA.

Alit hæc Toletana prouincia in quindecim domiciliis, ſocios quadragintaquinque ſupra quingentos, Patres 204. Fratres autem 341. Domus Profeſſa Toletana quadragintaocto, ſacerdotes vigintiquinque, cæteros Coadiutores. Complutēſe Collegium cum annexis reſidentiis habet octogintaocto, ſacerdotes nouemdecim (quorum tres ſunt Theologiæ præceptores) ſcholaſticos vigintiſeptem; Madridianum octogintatres, ſacerdotes quadraginta & vnum; Placentinum viginti ſex, ſacerdotes quatuordecim; Conchenſe nouem, ſacerdotes tres; Murcianum ſexaginta, ſacerdotes vigintiduos, (quorum tres ſunt præceptores Theologiæ) ſcholaſticos nouemdecim; Occanienſe quindecim, ſacerdotes octo; Bellomontenſe habet trigintaduos, decem ſacerdotes, totidem ſcholaſticos; domus Probationis Villaregienſis ſexaginta nouem, ſacerdotes duodecim, nouitios quadraginta; Caranacenſe

uacense nouemdecim, Patres decem. Seguritanum duodecim, Patres sex. Huetense vigintiseptem, sacerdotes octo, scholasticos vndecim. Oropesanum habuit trigintanouem, Patres tredecim, scholasticos septemdecim. Collegium Toletanum aluit quinque, tres Patres. Denique Talabricense decem, quorum sex fuêre sacerdotes. Quindecim è vita migrarunt, admissi ad Societatem viginti duo, dimissi tres.

## *Domus Professa Toletana.*

PRÆTERITIS iis, quæ ad spiritualem nostrorum profectum pertinent, qui idem ferè est, qui superioribus annis, & ex iis, quæ dicemus, facilè colligi potest; domus nostra plusquam numquã aliàs frequentata est, tum verbum diuinum audiendi gratia, tum peccata nostris sacerdotibus aperiendi. Vnde illud commodi decerptum, quòd permulti, qui per plures annos sua peccata impudenter tacuerant, ea integrè aperuerunt, & vita rectè composita in frequenti vsu Sacramentorum perseuerant. inimici præterea conciliati, & lites grauissimæ quę à nullo alio componi poterant, nostrorum operâ tandem cum omnium applausu compositæ sunt. Opinio de nostrorum virtute, scientia, prudentia eò aucta est, vt neque vrbis præfectus cum senatoribus, neq; Decanus cum Canonicis quidquam alicuius momenti aggrediantur absque nostrorum consilio aut opera: & ciues omnes magna nostros prosequuntur beneuolentia, quam tum maximè ostenderunt cùm prouincialis congregatio in hac domo habita est. nam tam affluenter suis eleëmosynis nostrorum inopiæ prouiderunt, vt in multos dies eorum largitate sustentati sint domestici; cùm tamen ob communem ciuium in-

digentiam

digentiam veriti fuerint Patres illic noſtros congregari. Auxit hanc beneuolentiam, & de noſtris opinionem cura & diligentia P. Præpoſiti, quem omnes ſummè obſeruant, quòd omnibus ipſe cum ſuis præſtò ſit in iis, quæ noſtri ſunt inſtituti. Nam & carceres inuiſuntur, & ſcholæ puerorũ, & xenodochia; & pueris coactis, & per vias publicas deductis, per Patres noſtros etiam ſeniores & grauiores doctrina traditur Chriſtiana, & ſingulorum quoad poſſumus ſubuenitur neceſſitatibus. Reges Hiſpaniarum pro ſua in noſtram Societatem beneuolentia, & in res ſacras pietate, templum noſtrum inuiſerunt appoſitè exornatum pro noſtra facultate; imò & ſacellum in quo traditio eſt B. Illephonſum Archiepiſcopum Toletanum fuiſſe in lucem editum, etiamſi in extrema domo ſitum eſſet, & locus per quem eſſet in illud aſcendendum, malè compoſitus. Tres ſunt in hac domo inſtitutæ congregationes, vna Virgini Annunciatæ dicata, ex viris grauioribus & Doctoribus Academiæ, qui frequentes habent conuentus de collationibus caſuum conſcientiæ, & locorum aliquorum Scripturæ; altera Chriſto puero perdito eſt conſecrata; tertia eorum eſt, qui ſolliciti ſunt pro carcere detentis, tum ſubueniendo, vt liberentur ære alieno perſoluto, tum eorum ſpirituale bonum procurando: qui omnes ſummè ciues reliquos ad virtutem ædificant, & quàm pluribus ſubſidio carentibus ſua opera proſunt. Sex aut octo miſſi ſunt ad opida ciuibus copioſa; ad quorum aliqua nec nomen noſtræ Societatis peruenerat, vnde & noſtros fugiebant, quaſi nihil aliud quàm ſua ipſi quærerent, & largas eleëmoſynas aucuparentur: ſed Dei munere mutata eſt in bonum opinio ipſa re, cùm noſtrorum concionibus & exemplo tanta facta eſt in ciuibus commotio, vt tempus eſſe Qua-

drageſimæ videretur; nec noſtri ſatis eſſent ad confeſſiones generales excipiendas: atque profectus communis ipſi ſæculares ſacerdotes, qui multos audiebant, non ſine noſtrorũ pudore, teſtes erant ſpontanei. inter quæ id noui accidit, quòd cùm vir quidam diues ſcandalo eſſet populo, maximè propter inimicitias, quas gerebat capitales cum ſibi ſanguine coniuncto, ea mente, vt à lite mota non deſiſteret, donec illum omnino perderet; nam ita ipſe ferebat, & palàm in conuentu ciuium non ſemel comminatus eſt. concionator noſter cœpit in primis verba ſua è ſuggeſtu ad eum latenter, ſed leniter facere; quod cùm ille ſubodoraretur, noluit amplius eum audire. quam ob rem priuatim à noſtro ſacerdote admonitus admonitionẽ deſpexit, & Dei miniſtrum admonentem. qui cùm ſe nihil proficere videret, in extrema concione neſcio quo afflatus ſpiritu, poſt alia hæc affatus eſt, Exiſtimat peccator ſe poſſe aliquid contra Dei verbum quod ſpernit ſuis fretus diuitiis, auferentur ei phaleræ, vt equo Alexandri, & cuiuſlibet atteretur pede. Cumque hæc & his ſimilia alia loqueretur, in teſtem ſacram vocauit aram in qua ſacroſanctum offerebatur ſacrificium. & mirum dictu, in ea ipſa die, imò in hora ipſa pertinax ille decidit in lectum, & cùm pro nihilo morbum duceret, de morte minimè cogitabat, vnde ad extremum vſque diem de ſe ſuiſque rebus diſponere diſtulit; is fuit ſextus ab inchoato morbo, in quo tandem deceſſit. quare metu perculſi omnes magnam de noſtrorũ ſanctitate conceperunt opinionem, ſummis precibus ab eis contendentes, vt ad ſe reuiſendos quàm citiſſimè poſſent, redirent. Breuiores aliæ miſſiones factæ ſunt ad finitima opida plura, quàm quadraginta, in quibus licet paucis diebus noſtri demorati, fructum non paucorum dierum perceperunt. Deceſſit in hac

hac domo Pater Thomas de Soto professus quatuor votorum, vir summa obedientia, humilitate & charitate præditus; assiduus in meditatione & precibus, & in silentio præstans, adeò ministerio Societatis affectus, vt etsi senio confectus (nam ad nonaginta tres annos peruenit) nemini quærenti se defuerit; numquam non secutus est communem domus viuendi rationem, & si quid ætati concederetur singulare, id quasi ab spiritu malo profectum omnino respuebat; sed singulares eius virtutes & dona ei à Deo collata peculiarem postulant narrationem. Donata sunt reliquiaria, ad reliquiarum ornatum, quadringentis aureis æstimata.

## *Collegium Complutense.*

PROFECTVS nostrorum eodem ferè modo, eisdemque exercitiis & erga domesticos & erga externos, quo superioribus annis promotus est: frequentia scholasticorum accedentium ad agendum cum nostris de virtute ac litteris, & ad se diuerberandum Quadragesimę tempore, tertio quoque die non est diminuta In vicinos pagos fructuosè excurrerunt nonnulli. ad exercitia spiritualia admissi multi; ex quibus non pauci diuersarum Religionum statum elegerunt. Ex his vnus hac ratione ad sese exercendum diuinitus permotus est. Nocte quadam per vias publicas incertus vagabatur: cumque in angulo nescio quid moliens consisteret, ad aures insusurrauit ei nescio quis (neminem enim vidit) Collige te ad meditandi exercitia. hac voce paululùm conturbatus, progressus inde aliam viam ingrediens eandem vocem audiuit; & antequam domum suam peruenirer, tertiò iam eandem hanc vocem percepit, Collige te, inquam, ad exercitia in Societate. Venit ille & exercuit se, &

cum non modico fructu; siquidem superiore vita relicta decreuit seruire Deo in perfectione. Præter iam dictos Illustrissimus Patriarcha Gaetanus Nuncius Apostolicus, per octo dies à negotiis auocatus cum Deo egit in nostro Collegio: qua re & populus, & ex curia regia plurimi qui id nouerunt valdè sunt ædificati. Admissi ad Societatem ser adolescentes maximæ expectationis; minimi omnium, qui decimumsextum annum non excedebant, variis modis à parẽtibus tentati sunt, vt à Religionis proposito se mouerent: ac multa contra nostros sparserunt, quasi leuiter permotos pueros leuibus rationibus seduxissent. vnde & diplomata à Nuncio Apostolico impetrarunt, quibus indicebatur nostris, vt pueros liberos relinquerent, ac in domum priuati alicuius, aut in conuentum quorundam Religiosorum deponerent. quod & factum est. nam non vno loco perstiterunt, vt liber pateret accessus parentibus & cognatis aliisque amicis ad eos alloquendum. Sed bellum cum Religiosis, apud quos demorati sunt, grauius fuit, qui illis persuadere conati sunt, vt relicta Societate vel aliis Religionibus, vel suæ potiùs aggregarentur. Vnus igitur ex illis cùm grauiùs sollicitaretur, fugam quacumque via meditabatur; & obtulit sese quærenti vndequaque occasio: nam cùm in templo sacro interesset Dominico die, clàm oculos quaquauersum conuertebat, vt videret si aliqua pateret exitus; ac vt vidit fores, quæ in cancellis erant apertas esse, paulatim delapsus est, & è tẽplo egressus cœpit per viam publicam versus nostrum Collegium liber currere. Id vt Religiosi senserũt, & ipsi post ipsum egressi sunt, & duos ex domesticis famulis miserunt, qui veloci cursu Fratrem nostrum insequerentur: nec eum fuissent assecuti nisi à quopiam alio homine rem ignorante, qui ei casu occurrit,

currit, comprehensus esset iuxta fores templi nostri, per quas sese ex eorum manibus eripere nitebatur. Inde ergo reductus est in domum vnde fugerat: vbi in cubiculum vndique occlusum coniectus est, & accuratè asseruatus, ne iterum elaberetur, tristis & inedia confectus, & durius quàm par erat tractatus suam libertatem præstolabatur. Alter qui apud eosdem monachos asseruabatur, assiduè ac molestè sollicitabatur ad defectionem; sed ille callidè quidem deludebat eos, ac verbis amphibologicis persuadebat, se iam pro illis stare. aiebat enim se id animo suo definiturum, & executioni mandaturum, quod nostrorum spem, & eorum, qui ei loco addixerant, animum falleret. quibus verbis decepti illi; quoniam putabant nouitium in Societatem minimè rediturum, nec parenti suo assensurum, sed apud ipsos remansurũ; egerunt cum iudicibus vt constitutum tempus decurtarent: quo facto decreuit se in eadem esse sententia redeundi in Societatem. Admirati monachi de tam celeri pueri mutatione, quæ fuisset eius caussa quæsierũt, & quare suis non stetisset verbis, Imò verba mea, inquit, vera probabo. nam Patres Societatis, vt puto, meritò existimarunt me puerum tot modis tentatum facilè sententiam mutasse; & cognati mei putarunt, me eos secuturum relicta Religione. at ego contra eorum omnium sententiam in pristina voluntate permaneo. Et quidem fama per vniuersam Academiam vagabatur, & nostros nõ mediocriter angebat, quòd pueri defecissent, & in eo ipso monasterio, in quo dies illos transegissent, remansissent. At Deo agente res contrà euenit. nam sexto die iam sole occidente è monasterio eductus primus ille per vicarium Archiepiscopi, & iudices alios designatos, coram Academia vniuersa. nam quamplurimi, quem exitum res haberet, præstola-

bantur, ac lętus hilarisque deductus est in nostrum Collegium, scholasticis vniuersis eum comitantibus, atque ad eum hinc inde accedentibus, & vt ei gratularentur & gratias agerent, & virtutem constantiamque laudarent, ac tandem Patri Visitatori qui domi tunc aderat, cum omnium acclamatione restitutus est. Idipsum de altero factum est, licet non ita solenniter. Tertius depositus fuit apud Patres Carmelitas Excalceatos, qui eum non tantum à sua sententia deducere non sunt conati, sed potiùs vt in ea perstaret sunt cohortati, & modis aliis confirmarunt: apud quos illud gratum habitum est, quòd cui nondum licuisset per tempus instituta nostra nosse, cùm aliquoties vocaretur à monachis ad chorum, vel quid simile, solebat respondere ac si multos annos egisset in Societate; Mea Religio non habet chorum, non est consuetum hoc in mea Religione. Restitutis igitur nõ solùm à iudicibus, sed à parentibus & cognatis, qui omnem lapidem mouerant, vt à prima sententia dimouerent, pueris Societati, dici non potest, quantum sibi inuicem gratularentur scholastici, & quantopere opinio de nostris & renouata & aucta, obstructo ore loquentium iniqua, vt in similibus fieri solet. E quatuor, qui hoc anno decesserunt primus fuit P. Andreas Fernandez Coadiutor spiritualis, qui cùm septuagintaquatuor annos fuisset natus, quinquaginta integros Societati seruierat. nam cùm anno quinquagesimo post quingentesimũ supra millesimum in die circumcisionis concionantem audiret P. Alphonsum Stradam in templo S. Illephonsi huius academiæ, permotus diuinitus desiderio nostram viuendi rationem amplectendi, paucis pòst diebus in vigilia sanctorum Fabiani & Sebastiani cum aliis a Patre Villanoua Rectore admissus est. oriundus fuit ex opido Monturrone diœceseos Toleta-

na.

næ. Et licet infirmis viribus in grauioribus negotiis sese exercere non potuerit, at non destitit pro sua facultate scholasticos externos ad nos aduentantes & libris deuotis communicatis, & scriptis de rebus Indicis & aliis modis ad virtutem accendere, & ad religiosum statum inflammare, vt aliquando accideret tres quatuórve simul à lectione permotos discedere ad aliqua monasteria seriò postulantes, vt admitterentur. Nec minùs vtilis fuit nostræ Societati; nam ea ipsa ratione multos illi adiunxit, qui postea ei inseruierunt, eamque illustrarunt; nec in solos externos scholasticos hoc illi studium fuit. nostros etiam zelo instituti Societatis actus, scriptis ad rem facientibus, de regulis, de exercitiis spiritualibus, & similibus permouebat, ac sæpiùs sollicitabat ne deessent tam sancto instituto, vt cum externis de suo profectu agerent, & ad spirituales meditationes inducerent. Nemo vnquam eum audiuit obloquentem, aut siniſtrum aliquid dicentem de alio. patientia fuit eximia, cùm ex infirma valetudine multa eaque assidua incommoda pati oporteret: in extrema ætate erat frequentissimus in fundendis precibus pro iis qui in Purgatorio loco expiantur, eamque mentem aliis indere exoptabat. Hac vna re se dicebat consolari, cùm proximus iam esset morti, quòd in Societate moreretur, eaque præcipuè cogitatio magis certum & confidentem faciebat de sua salute. Nam cùm quæreret ab illo P. Rector, num diuinam in se compleri gauderet voluntatem, atque ei conformem sese præstaret, Summopere, respondit ille, ac valdè de sua salute confisum decedere. Nam si quicumque ex laicis, ait, feliciter secum actum putant si vnum è Patribus ac Fratribus sibi decedentibus habeant adstantē; cur ego non gaudeam, ac de Dei sperem bonitate salutem, cùm tot Patres ac Fratres

lectum meum circumdantes adspiciam. & adiecit, Ob tam insigne ergo beneficium, obsecro obnixè, vt omnes mecũ recitent, Te Deum laudamus, &c. atque ita actis Deo gratiis decessit. Secundus enigrauit P. Ludouicus Montaluo quatuor votorum professus: qui cùm multis annis sese in disseminando cum fructu verbo Dei exercuisset, tandem, cum per hoc Collegium transiret, longa & permoleta infirmitate probatus, suæ patientiæ multis signis datis, Deo, cui inseruierat, spiritum tradidit. Tertius Frater Felix nostri templi sacrista diligentissimus obiit, sed grauissimo & permolesto dolore exercitus, vt omnino expiatus recta ad cælum euolaret. Quartus his adiiciendus Frater Melchior Fernandez Coadiutor formatus, qui obiit in prædio, cui nomen est à IESV del Monte. hic oriundus ex valle Moro diœcesis Toletanæ. admissus est ad Societatẽ anno quinquagesimoquarto post quingentesimum supra millesimum. & præterquà quòd valdè vtilis Collegiis fuit, in quibus degebat, præsertim huic de quo agimus, ob curã & industriam, qua res domesticas gerebat; fuit charitate præcipua, & insigni mansuetudine cum obedientia coniuncta hilari & liberali. tanta erat in pauperes charitate accensus, vt nullus esset in finitimis opidis, qui ad eum tanquam ad communem patrem non accederet; & in ipsa die qua decessit quòd nemo præstò esset qui id faceret, surrexit è lecto, vt eleëmosynam egeno cuidam largiretur. Obiit natus sexagintaocto annos, quorum quadraginta duos in Societate cum omnium ædificatione exegit. Aucta est bibliotheca huius Collegij insigni bibliotheca, quam pereruditus sacerdos, & nobis deditissimus donauit Ludouicus Carrillo, filius Doctoris Roderici Carrillo Decani medicæ facultatis Complutensis Academiæ, æstima-

tam

tam mille ac quingentis aureis, triginta in singulos annos designatis, ad eam & conseruandam & augendam. Nam cùm perspectum haberet patris sui voluntatem eam esse, pro summo amore quo prosecutus est nostram Societatem iam ab eo tempore quo Romæ, cùm medicus esset Cardinalis Pacieci, Patrum nostrorum Ignatij & Lainez, & domesticorum aliorum infirmitates curabat, è bonis suis, quoad fieri posset, nostris non modicam partem donare; ipse vna cum matre eiusdem propositi conscia, & per omnia ad lubente, præter dictã bibliothecam in singulos annos redditus quingentorum ferè aureorum donauit (quibus post matris mortem hoc Collegium potietur) plura daturus, nisi aliis necessitatibus prospicere oporteret. Sed quod magis visum est dignum admiratione, & ore omnium tanquam nouum ferebatur insigne facinus fuit Illustrissimæ Dominæ Catherinæ Mendociæ huius Collegij fundatricis: quæ cùm multis annis summopere exoptasset Christum sequi nudum & pauperem, & vt id assequeretur, vellet bonis suis omnibus renunciare, & ea huic Collegio donare; nostris illi modis omnibus repugnantibus, nihilominus ea fuit prædita virtute in desiderãdo, ea perseuerantia in petendo, vt contra omnium opinionem id meruerit obtinere. renunciauit igitur bonis omnibus, ad redditus quatuor millium aureorum peruenientibus, & suo Collegio donauit, vnde ei tanquam vni è nostris necessaria prouidentur. Quam rem qui pro merito considerabat, licet summè admirati non poterant non commendare facinus dignum ea, quæ ex tam illustri stirpe progenita, maiorum non minuisset modò, verùm auxisset sua virtute nobilitatem, & Christo pauperi, quem adeò imitari conabatur, gloriam nomenque illustre peperisset. Vnde Catholica Maiestas

Imperatricis Mariæ Austriacæ sororis Philippi II. Hispaniarum Regis, cùm audisset huius nobilissimæ feminæ factum, Beata illa, inquit, quæ certam ad cælum viam nouit eligere. Præter hæc domus IESV del Monte aucta est nouo ædificio habitationi nostrorum peraccommodo, & redditibus nonnullis, tum etiam fundo qui speratur multæ futurus vtilitati caritate & operâ Domini Bartholomæi de Sicilia.

## *Collegium Madridianum.*

INTER cetera Societatis ministeria, quæ cum multo fructu sunt exercita, conciones habitæ sunt à nostris multis in templis, nec rarò ad Reges, & Augustam. est autem copiosissimus numerus eorum, præsertim illustrissimarum feminarum qui audiunt præcipuum concionatorem, & quidem vtiliter: siquidem multi pellicibus relictis ad saniorem mentem redierunt, multi qui non nisi confessi fuerant, generales multorum annorũ confessiones ediderunt. Adolescens quidam nobilis natione Germanus, qui ad Regiam hanc curiam venerat causa negotij magni ponderis, cùm cognouisset parentem deserta fide ad hæreticos defecisse, & sibi præcludi viam, qua suæ indigentiæ prouideretur; decreuerat in Germaniam ad suos redire cũ certo suæ salutis periculo: sed cùm vnum è nostris in templo nostro concionantem audiret, mutato consilio decreuit potiùs in Hispania vitam inopem traducere, quam cum periculo in Germaniam reuerti. & subuenit Deus per nostros probo adolescenti. nam redditus illi annui designati sunt à Rege, qui sufficere possunt vt vitam cum honore transigat. Itum est ad carceres, & subuentum iis qui publicè puniuntur, tum etiam ad nosocomia

&

& ad scholas puerorum, quæ ad trigintaocto perueniunt, vbi rudimenta Christiana illis traduntur, & inuitantur vt ad domum accedant festis diebus, vt inde egrediantur doctrinam Christianam per vias publicas decantãtes vsque ad locum designatum; vbi ad tria ferè hominum millia fit adhortatio, ab vno ex duodecim Patribus grauioribus ad id designatis. Vocantur nostri festis omnibus diebus Virgini dicatis, ab Illustrissima quadam Domina illustri titulo insigni in templum quoddam, vbi ad honorem purissimę Virginis, meretricibus congregatis fiat adhortatio: qua non paucæ ad honestam vitam reuocatæ sunt, & nuptui traditæ, vel alio modo pro voto seruatæ. Honesta quædam femina, summa nescio qua occasione, tristitia affecta dæmonis astu secum meditabatur, mortem fune collo iniecto sibi inferre; cùm autẽ duo ex nostris primo mane ad domum, vbi illa morabatur, alius caussa negotij, inscij accederent; illa vnum ex iis ad se vocauit, & quid mali decreuisset declarauit, addens adductos ipsos à Deo tam insperatò, vt sibi indigenti mederentur. fecit id Pater qua potuit suauitate exhortatus eam, vt suam expiaret conscientiam, quo & ipsa tristitiam abiecit, & deinceps magna nostram Societatem prosecuta est beneuolentia. Scholastici, qui nostras scholas frequentant, ad octingentos accesserant, exercenturque in virtute & litteris, sed præcipuè illi, qui congregationi Annunciatæ addicti sunt, non multi quidem, quòd plures sacellum non possit capere, quoadvsque cœptum scholarum ædificium absoluatur, cui absoluendo Rex Philippus duo millia aureorum largitus est. Diuertit ad nos idem Rex Philippus in festo Circumcisionis cum Illustrissimo Cardinali Gueuara, & multis aliis Principibus; nam Regina, nescio qua inualetudine præpedita venire non potuit,

potuit, vt decreuerat; venit tamen in festo Epiphaniæ, & interfuit solenni sacro & concioni, multisque signis ostendit beneuolentiam qua nostram prosequitur Societatem; & eo maximè, quòd cum antiqua consuetudine Reginæ Hispaniæ semper habeant Patrem Franciscanum à confessionibus; ipsa adduci non potuit, vt Patrem nostrum abiiceret, & Franciscanum assumeret. Tres è nostris obiere. vnus fuit Pater Ludouicus Molina professus quatuor votorum, satis & ob virtutem, & ob eximiam litterarum peritiam omnibus notus, & in magno pretio habitus. Duæ potissimùm in eo fulsere virtutes, paupertas cum summa humilitate coniuncta. nam cùm iam ad sexagintaquinque annos peruenisset, & assiduo studendi labore consumptus fuisset, numquam est passus aliquid vltra communem victum & vestitum sibi dari; in cubiculo præter imaginem depictam, & libros nihil amplius quàm Frater quilibet habebat: liber ad diuinum officium recitandum, & breuiarium ita præ vetustate detrita erant, vt folia in quibus continentur minores horæ, vix legi possent: erant enim ante septuaginta penè annos typis excusa. Præstitit etiam obedientia & obseruantia in Superiores, vt in celeritate ad communem conuictum, & in obseruantia à nouitio minimè excederetur. Omnibus fuit non leui dolori mors eius: omnes enim regij auditores, fidei censores, & cæteri Iurisperiti magni eum faciebant, & opera ab eo in lucem edita: quamobrem tam citò sibi ereptum maximè dolebant. Non est prætereundum tam fuisse addictum semper lectioni illius libelli vtilissimi, qui inscribitur de Imitatione Christi, vt nullo die modicum tempus non intermitteret à reliquis studiis, in quo caput eius integrum perlegeret; cumque in extremo morbo, de nulla alia re, quàm de Deo cogita-

ret;

ret, admiratus P. Rector quæsiuit ab eo, num absolutos relinqueret alios libros, & quid de illis fieri vellet. cui ille breuiter indicauit, quid res haberet, & mox quasi ad eum iam non pertineret, Faciat, inquit, Societas pro suo arbitratu. Vixerat in Societate quadragintaseptem annis. Secundus obiit P. Ioannes Vasquez professus quatuor votorum. insigniter functus est suo operarij Societatis munere. nam sua familiaritate suaui lucrabatur multos Deo; in iuuando eos qui morti erant proximi, præcellebat, vnde in eo se munere frequentius exercebat; & adeò & in hoc & in aliis constanter proximorum saluti studebat, vt numquam defatigari diceretur. Morbus quo ereptus est, dies quindecim perseuerauit, quibus tam insignia dedit & patientiæ & voluntatis diuinæ adimplendæ signa, vt omnes admirarentur. nam ita delectabatur in sermone de suo exitu habito, ita è vultu & gestibus internam hilaritatem ostentabat de suo celeri decessu, vt nihil iucundius audiret, nihil gratius loqueretur. Quam rem non solùm nostri, sed medici ipsi animaduerterunt, affirmabantque numquam se tam insolitam expertos lætitiam in migraturo. Quoniam verò summè deuotus erat sacrosancto Christi corpori, petiuit ei quotidie communicare: quod & sæpe factum est, magno cum fructu & cùm miro solatio. Tertius præter hos decessit P. Ioannes Cardenas, qui præerat Residentiæ Naualcarneranæ Complutensi Collegio annexę: vbi omnibus carus erat, tùm ob ingenitam modestiam, & in agendo cum proximis suauitatem, quibus modis omnibus prodesse curabat, tum ob charitatem qua egenos prosequebatur; quam tunc maximè ostendit cùm opidum illud molesta peste afflictatum est. nam ille nec metu correptus, nec labori succumbens omnibus subueniebat,

omnium

omnium confessiones audiebat, & necessaria alia conferebat, vt meritò verus omnium pater haberetur. Extremo correptus morbo, cum Superiorum facultate ductus est ad hoc Collegium, vt commodiùs curaretur. Vbi & patientia & cæteris virtutibus, & maximè desiderio, quo cupiebat dissolui & esse cum Christo, vt ipse aliquoties repetebat, nostros omnes certos reddens de sua felicitate, ad Deum euolauit. Ad sanctarum reliquiarum ornatum reliquiaria, & similia alia donata sunt, magno pretio æstimata.

## *Collegiũ Conchense & Placentinum.*

IN Conchensi Collegió per solos quatuor sacerdotes ministeria nostra exercita sunt, nihil autem est singulare quod scribatur. In Placentino omnia sunt præstita, & domi à nostris, & foris cum proximis, quæ ex instituto sunt. Nostrorum operâ parata fuit domus, & eleëmosynæ à Prefecto vrbis, & viris vrbis præcipuis designatæ, ad alendos & educandos pueros inopes & orphanos, & cura vni demandata est. cùm tamen priùs hac illac vagarentur, nemine illis prospiciente. In æstate ex pauperibus grauiter infirmati sunt quamplurimi absque vllo remedio. nostri igitur de eo egerunt cum Episcopo & vrbis Præfecto, & viris aliis insignibus, qui omnes ad trecentos aureos elargiti sunt, quos per nostros distribui voluerunt. quod & factum est: nam medici vocabantur, & medicamenta necessaria omnibus ministrabantur, & animæ simul curabantur, magno cum ipsorum infirmorum bono, & ciuium ædificatione, qui nostrorum curam & charitatẽ multis modis commendabant. Postulati sunt duo ex nostris à Fratribus, qui ab Alcantara vocantur, vt in suo conuentu habitarent, & missi

missi sunt Quadragesimæ tempore, & vnus concionabatur in templo Fratrum, & in monialium monasteriis; alter verò explicabat casus conscientiæ. & vterque omnium excipiebant confessiones & generales non paucas: inimici conciliati, & alia ritè obita, quæ nostri muneris sunt; vnde magna & Fratrum illorum, & totius populi conciliata est in Societatem beneuolentia, vt eosdem vel alios obnixè petiuerint, qui ad eos redirent; & missi quidem fuissent, si præstò essent. Idem officium præstitum est ab vno è Patribus in vicinis opidis, qui degit in prædio huius Collegij, quod Magdalenæ nomine vocatur. aucta sacristia pretioso pallio, tribus calicibus, cruce & candelabris deauratis, & affabrè elaboratis, & multis aliis ornamentis non modici pretij.

## *Collegium Murcianum.*

OMNIA Societatis ministeria vtiliter cum proximis exercita sunt. Illud de nouo inductum, quòd singulis diebus Veneris ad vesperam per tempus Quadragesimæ exemplum aliquod enarratum est coram frequentissimo populo, & cum singulari fructu. nam multi permoti sunt ad generales confessiones. Octo ex nostris missi sunt ad diuersa opida, & quatuor quidem per viginti tantùm dies; sed fructus longiori tempori respondebat, vt nequaquam voluntati ac necessitati omnium posset satisfieri. Quamobrem duo ex Patribus grauiter ex summo labore infirmati sunt. Duo alij postulati ab Episcopo Carthaginensi, per totam Quadragesimam Carthagine sua munia obiere cum eodem labore, sed non cum minori fructu. Reliqui duo petiti sunt ab Episcopo Otiolano. duo opida sunt ingressi ad regnum Valentiæ pertinentia ad eos reducen-

reducendos, qui à Mauris ducunt originem, quibus hic annus designatus erat à censoribus fidei, vt liberè impunes suos errores cõfiterentur. Quinque mensibus & iis ob hyemis asperitatem importunis in hac re perseuerarunt Patres nostri summo cum labore, & interno angore salutem illorũ procurantes. & labor quidem qui collectione fructus solet reddi leuior, auctus illis est, quòd nullum, aut ferè nullum ex terra adeò sterili fructum percepe-runt; quamuis non defuere aliqui ex veteribus Christianis, qui velut rosæ inter spinas inter illos morabantur, & dolorem de aliis perceptum leuauerunt, dum nostrorum hortationibus vitam mutarunt, & in posterum cum omnium admiratione perseuerare proposuerunt. E duobus, qui hoc anno euolarunt ad cælum, vnus fuit P. Gaspar de Soto Pañaluere natus diœcesis Conchensis, qui suam adolescentiam dicauit erudiendis pueris, & tradendæ Grammaticæ; qua in re excelluit quidem: deinde in omnibus ministeriis se exercuit, & multo tempore in procuranda ac augenda re temporali Collegij Murciani multa cum laude & commodo. Illud mirificè curabat in omnibus, ne proximis vlla daretur occasio minùs rectè de Societate sentiendi, cuius honorem rebus aliis præferebat, hancque suam mentem nitebatur ingerere nostris, qui proximorum saluti incumbebant, quasi maximè deceret ministros verbi Dei. Vnde cùm aliquando femina diues, quæ illi sua aperiebat crimina, correpta morbo illũ vocasset, vt id officij cum ipsa exerceret, absolutè ministerio obtulit ei fiscellam, quam domũ deferret, annulis, armillis, murænulis, ac cæteris muliebribus ornamentis ex auro argentoque confectis plenã, magni quidem pretij, vt ex illis calices ad sacrosanctum sacrificium conficeret; sed ea omnia etsi femina posset dare (nam ra-

sua

sua potestate erat) respuit illicò ille ea sola ratione, ne quis obloqueretur, ac diceret seductam à confessario feminam ornamenta illa donasse; & hac quidem ratione excusabat factum, cùm aliqui ex nostris eum de inani metu accusabant. Crescebat autem cum ætate hic conseruandi honorem Societatis zelus, & ad id quoties se occasio offerebat, hortabatur nostros. Vnde postquã extremè vnctus est, Fratribus scholasticis, qui ei iam decedenti adstabant, hæc verba postrema locutus est commendans illis deuotionem in P. N. Ignatium, & hunc zelum ædificandi proximos, quo ipse tenebatur, tam inflammato spiritu, vt mirificè fuerint recreati præ se ferentes præmium quo iam erat remunerandus. Obiit igitur natus 64. annos, quorum quadraginta in Societate traduxerat.

## *Collegium Bellomontanum.*

PRÆTER communia quæ non cum minori fructu quàm superioribus annis præstita sunt, quidam & animo & re Societati infensus, qui nullam preteribat occasionem de nobis obloquendi, & malefaciendi pro sua facultate, vnius ex nostris suasu in spiritualibus se exercuit meditationibus; quibus non solùm vitam mutauit in melius cum omnium admiratione, sed in eo est totus, vt omnibus persuadeat vt ad nostros accedant, eisq; ad suam vtantur salutem. Institutum est hoc anno Seminarium, in quo septem è nostris à duobus magistris instituuntur in lingua latina & græca, non sine vtilitate. Quidam nostris rebus valdè affectus ædificat rusticanam domum nostrorum recreationi accommodam, quæ ad sumptus duorum millium aureorum accedet.

## *Collegium Occanienſe.*

E Duabus congregationibus non nuper inſtitutis in hoc Collegio, ſcholaſticorum vna, altera laicorum, hoc anno hi curã ſumpſerunt prouidendi pauperibus carcere detentis, ſtipe coactã vnde per ſingulos dies neceſſaria victui illis ſubminiſtrant. frequentant templum noſtrum permulti, præcipuè vt Sanctorum reliquias veneretur bene compoſitas. eſt in illis ingens os gloriosi Martyris Mauricij in argenteo vaſe rectè collocatum, vt exportari poſſit ad infirmos id frequenter poſtulantes, non ſine miraculo. Nam quidam cum grauiſſimo ilium dolore premeretur, nec vrinam emittere poſſet, multis remediis adhibitis, rogauit noſtros, vt ſacrum illud os ad ſe adferrent; duxit vnus, & appoſuit infirmo, & confeſtim omni eſt dolore liberatus, & impedimentum vrinæ remotum eſt. Coniugata etiam femina, cùm in pariendo adeò eſſet difficilis, vt iam penè efflaret animam, quòd per duos dies fœtus in ventre tranſuerſus manſiſſet, poſtulauit reliquias, & mox vt applicatæ ſunt illi, facillimo negotio peperit. Duo ſunt ad ſpiritualia exercitia admiſſi: vnus fuit inſignis quidam concionator è Dominicana familia, qui frequentibus litteris id poſtulauerat. decem dies conſumpſit expiatis confeſſione generali peccatis. reuerſurus domum, magna nobis gratitudinis ſigna, ſuiq; profectus exhibuit. Alter ex equeſtri familia, qui in præcipua Eccleſia inſignis eſt & canonicatu, & dignitate, ac multis fũctus muneribus, quòd eſſet Doctor iuriſperitus, venit ad nos nõ ſine ſuorum familiarium admiratione. Exercuit ſe viginti dies, in quibus mirum eſt quàm ſummiſsè ac modeſtè ſe geſſerit. nam relicta argentea ſupellectile

quam

quam secum ferebat, nostra contentus nihil prætermittebat ex iis quæ fieri solēt; qui generali confessione expiatus cum famulis duobus ad suam Ecclesiam rediit, ita mutatus vt admirationi sit omnibus & exemplo. nam & distributas horas suis meditationibus adhuc obseruat, & suis & aliorum litteris ostendit, quantum debeat ob beneficium præstitum Societati. Dignus valdè est, qui memoriæ scripturæque mandetur insignis honor, quo Catholica Regis ac Reginæ Maiestas nostrum hoc Collegium cohonestauit. Cùm animi gratia Reges Catholici in delicioſam domum (Araniusium nomine) milliaribus circiter sex Occania dissitam accessissent; Serenissima Regina cognouit apud nos esse religiosam & piam reliquiarum supellectilem. cuius inuisendæ causa, ex suis assectis voluit adire plurimas: quarum plena pietatis nuncia piissimum Reginæ animum incitarunt, vt sua regali præsentia ipsa nostram decoraret domum: sibique gratissimum fore significauit, si scholastici nostri aliqua actione eius celebrarent aduentum; quippe quæ Societatis actiones, quibus in Italia excipi consuescebat, iamdudum in Hispania desiderarat. Huius rei gratia quidam dialogus latino vernaculoque sermone eleganter & venustè compositus paratus est in aduentum, quem inprimis hoc Occaniæ opidum pridie Nonas Maij celebrauit, & eodem die Reges domum nostram inuisere voluerunt. Quod cùm fieri non posset, Illustrissimus Lermæ Dux Patri Rectori significauit, Catholicis Regibus fore gratissimum, si scholastici nostri regiis curribus euecti domum adirent Araniusij regiam; illi tamen non acquieuit ob difficultates multas, quas inde suboriri necessum erat. Quare altera die, quæ Christo Domino cælos ascendenti sacra fuit, causa solùm nostra Occaniam

redierunt, nostrumque adiere Collegium formosis peripetasmatis, epigrammatis, hieroglyphicis aliisque carminibus ornatum; exceptique sunt à nostris maxima ciuium musicæque celebritate, ac inprimis religiosè ac piè sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, dein reliquiis adorandis. tandem suis insederũt subselliis, & nostri Scholastici cuiusdam sancti Ioannis Eremitæ dialogum quadam venustissima aptissimaque chorea præuenerunt. pòst subsecuta est actio maximo Regum applausu; qui per duas horas singularis beneuolentiæ significationibus & voluptatis argumentis interfuerunt, eademque tam egregiè ac strenuè habita, vt tum ad eximiam delectationem tum ad lacrymas, prout ipsa exigebat materies, ipsi Reges commouerentur. Peracto verò dialogo quàm sibi gratum fuisset obsequium coràm indicarunt, & hactenus qui præsentes fuerunt, tantæ rei magnitudinem ac celebritatem admirantur. Infecit sæua pestis Tarraconium opidum, cuius quidem grassantis ingruentisque terror ac pauor confessarios retraxit, ita vt ferè omnibus destitueretur. Vnus tamen è nostris confessiones excepturus hinc exiit, cuius labore ac diligentia magna ex parte subuentum est ægris: quorum tanta copia ac multitudo fuit, vt cùm vnus solus extremè indigentibus subuenire non posset, necesse fuerit, vt alter è nostris obtentis Collegij subsidiariis accederet (quòd isthæc duo Collegia Ecclesiastica beneficia inde sibi assiscant,) vterque nec vlli labori aut vitæ parcebat, vt confessiones audiret; non ægrotorum solùm, sed aliorum etiam qui salutis causa trepidabant. & vt efficaciùs ac meliùs explerent hoc munus, modò in ecclesiæ plano expectabant, cadauerum fœtore contempto, eos qui confessionis lauacro crimina volebant abluere; modò verò per vicos & compita quæri-

quæritabant & domos. quod singularis virtutis exemplum non retinuit solùm aliquos confessarios, qui fortè Tarraconij remanserant, & plures alios cuiusque status viros parantes fugam, sed alios etiam quos pestis terror expulerat, retraxit. Consultum quoque breuibus quibusdam concionibus animorum saluti. quę quidem medicina animarum & corporũ fuit: siquidem eo die quo conciones haberi cœperunt, qui sacer fuit sanctissimæ Annæ, pestis etiam desinere cœpit magna ex parte, cuius rei nouitas in causa fuit, vt etiam auditorum frequentior esset numerus, & feruentior confessionis, sacręque synaxis assumptio, donec cõtagiosus ille morbus extingueretur omnino. Quamobrem eius opidi incolæ non solùm spiritualem salutem, sed corporalem etiam nostris, nostræque Societati acceptam referunt. Ex Scholasticis nostris vni qui & congregationi Parthenicæ nomen dederat, in somnis contigit spectrum; quod quia rarum est, breui dicamus oportet. Hic nostras venit ad classes aliàs nequam; nostrorum tamen industria, ac doctrina commotus meliora sapere cœpit. Qui cùm quadam die crimina confessario dixisset, fuissetque sacrosanctæ particeps Eucharistiæ, in somnis sequentem se dæmonem sensit: quem pro viribus conatus effugere, defessus tandem sistit gradum, & expectat tunc obiurgat iuuenem dæmon, quòd frustra in abluendis animæ maculis laboret: quippe qui se suamq; animam illi tradiderit. quæ cùm audisset in somnis, trepidus quærit quo possit dæmonem propulsare. arripit librum & illo molestum percutit monstrum; sed frustra, donec, cùm se congregationi Virginis matris adscriptum meminisset, precibus recurrit ad Virginem: quam dilabentem è cælis sibi visus est videre, quæ dæmonem propulsauit; Facesse hinc horrendum mon-

ſtrum, meus eſt hic adoleſcens, cuius animæ ſalutem à Deo Opt. Max. impetraui, quòd roſarium quotidie meum precibus abſolueret. Tunc iuuenis pro tanti beneficij magnitudine gratias agens mortales Virgini, nõ ſemel tantum roſarium quotidie, ſed bis poſthæc recitaturum ſeſe promiſit. Excitatur à ſomno è naribus emittens ſanguinem, quo rubentem librum in lecto eiuſque membranam dilaceratam reperit. Nobilis quædam femina obiens, teſtamento legauit ad coëmenda templi ornamenta, redditus annuos marauidinorum ſeptem millium. Altera ducentos donauit aureos ad caſulam coëmendam. Tertia pretioſam veſtem, qua itidem caſula pretioſa conſtructa eſt, & pannus quo ſanctiſſimum Sacramentum tegatur. Auctum eſt præterea Collegium molendino ex aqua, ex quo redditus centum quinquaginta aureorum per annos ſingulos decerpit.

## *Collegium Carauacenſe.*

IN miniſteriis Societatis exerciti cum fructu ſunt noſtri. multi ad ſanam mentem reducti, inter quos illuſtris fuit adoleſcens deploratis moribus: qui cùm per annos aliquot operâ noſtrorum diligenti nõ permitteret ſe ad Deum perduci, tandem cùm noſtrorum conciones audiret, neſcio quo in verbo ita Deus eum illuſtrauit, vt in ea meditatione quis fuiſſet, quis futurus eſſet, tantam vim effuderit lacrymarum, vt ab ea ſe non poſſet temperare. Referebat autem ipſe hoc Dei beneficium ad Virginem Deiparam, cuius amore aſſiduò flagrabat, atque hoc ſolo bonum ſibi eſſe fatebatur: ſtatim ſuaſu vnius ex noſtris abiecit domo chartas luſorias, quæ noctu diuque viris populi nobilioribus, ac ſummè perditis paratæ erant: ac multis aliis

ſuperatis

ſuperatis difficultatibus in noſtro Collegio ſe ſpiritualibus meditationibus dedit; vbi confeſſione generali ſuam conſcientiam expiauit, ac deinceps ita tranquillè viuit, vt domo egredi nunquam definierit ad occaſiones fugiendas; imò opidum dereliquit, vt à ſe amicos ſui olim ſimiles ablegaret. Perſeuerat autem in eo vitæ ſtatu cum tanta hominum admiratione, vt à Deo tactum fuiſſe, cuius eſt facere mirabilia, omnes etiam palàm fateantur. Illud etiam ſpecimen tribuit nobis diuinæ prouidentiæ, quòd cùm externus quidam ab Hiſpanica natione in noſocomio infirmus iaceret, & ab ſcholaſticis noſtris qui ſolent infirmos viſitare, confeſſarium poſtularet, & monachum ſeſe offerentem renueret; vnum è noſtris inclamabat. at illi quæ eſt hominum ſocordia, obliuiſcuntur. & magiſter noſter, qui per ſingula ſabbata illud cum ſcholaſticis munus obibat viſitandi infirmos, & tunc etiam neſcio qua re occupatus non abierat: tamen egit cum Rectore maiori vi vt ſe mitteret. miſſus inuenit infirmum iam penè decedentem & conſolatus eum audiuit eius peccata: quo onere abiecto cum patris magna conſolatione, & ægroti ſumma lætitia euolauit ad ſuperos. Vnus è noſtris miſſus fuit ad conuerſionem illorum, qui à Mauris originem trahunt, è quibus pauciſſimi perſuaſi vt ſuam conſcientiam aperirent. & hi quidem timore correpti latere volunt ſuos: vnde labor creuit ex minori fructu. nec adducentur, vt videtur, ad idonea, quoniam debent ſuos errores iudicialiter, vt dicunt, priùs fateri. In opido proximo peruetuſtæ erāt inimicitiæ inter viros nobiliores, vt penè facultates cum vita & ſalute exhauſtæ eſſent. vnus è noſtris concionem habuit ad eos; qua ſic ſunt permoti, vt cùm eodem die eos conueniret, illi tradiderint facultatem componendi rem pro ſuo arbitratu.

## *Domus Probationis Villaregiensis.*

PRÆCIPVVM huius domus institutum est nostrorum nouitiorum institutio: & præter assiduas ex instituto Societatis exercitationes duo noua media eos feruentiores ac magis perseuerantes reddidere. Vnum est deuotio, qua tenentur erga Deiparam, hinc orta, quòd imago extracta ex ea quæ fertur à Luca depicta, in sacello nouitiorum collocata est solenniter. ac per octo dies, & in quotidianis exhortationibus, & in familiaribus colloquiis, & in recreationibus nihil aliud versabatur a nostris, quàm id quod augere potuit hanc in Virginem mentem, relatis historiis, de beneficiis in sibi deuotos à Virgine collatis, & aliis obsequiis multis longiorum meditationum, pœnitentiarum & mortificationum præstitis: quod in festis omnibus obseruant per annum, & per octauas. ita fit vt quasi filij ad matrem in omnibus necessitatibus ad Virginem accedant, & in filiali aduersum eam fiducia & amore educentur. est autem experimento compertum, quàm certò teneris mentibus suorum familiarium præstò adsit Virgo. Alterum medium fuit deuotio in Patrem nostrum Ignatium excitata collatione effigiei eiusdem cum aliis Patrum Xauerij, Laines, & similium: quorum conspectu ad memoriam reuocant eorum exempla, & summè recreantur, magnique æstimant regulas & spiritualia Patris nostri exercitia, ac multam experimur vtilitatem hinc nostris nouitiis proueniſſe.

Colle-

## *Collegium Optense.*

EXCVRRVNT nostri ad opida vicina, ex quo magnum commodum multis accidit, & nomen nostræ Societati: nam vndequaque veniunt non pauci ad nostros de sua salute consulendos. Itum est etiam ad opidum Taranconium, & in eo id præstitum quod dictum est in Collegio Occanensi.

## *Collegium Seguritanum.*

EX hoc quoque missiones factæ ad finitimos pagos, in quorum vno cùm casu inopinato verbum noster concionator proferret, duo qui iam sese parabant ad honorem, & vitam cuidam innocenti eripiendam, ab ea mente semoti sunt. Itum etiam est ad opidum fermè mille ciuium, qui id postularãt, vbi singularis fuit omnium ad conciones concursus, & expianda peccata, vt noctu diuque non vacaret Patribus sibi ac naturæ indulgere. fuere autem multæ exceptæ generales confessiones. Sacristia fuit aucta mille argenteis ad coëmenda ornamenta.

## *Collegium Oropesanum.*

IN hoc eadem quæ in aliis actitata. nostri Scholastici festis diebus ad pagos vicinos egrediuntur magno cum fructu & ædificatione ad pueros in doctrina instituendos: similiter & sacerdotes excurrunt ad opida ad Comitem pertinentia, quibus ille prouidet liberaliter, ne oneri sint ciuibus. Vnus etiam missus est cum alio ex Collegio Placentino ad opidum longè semotum, vbi omnes tempore

Quadrageſimæ ita permoti ſunt ad expianda noſtris ſua peccata, vt cęteri Religioſi ocioſi permanſerint, vt Superiori vnus ex illis ingenuè eſt confeſſus.

## *Collegium Toletanum.*

ET in hoc Collegio laboratum eſt, & proximis commodatum. nam tres aut quatuor lites magni momenti finitæ, & inimicitiæ ſedatæ cum ciuium lætitia non modica, quòd mala non leuia inde ſuborirentur. Aucti ſunt redditus annui Collegij mille argenteis, tum etiam redditus annui mille aureorum Cardinalis Quirogæ aſſignati ſunt in huius ciuitatis vectigalibus, poſt nonnullorum Cardinalis famulorum, qui eis modò gaudent, mortem nobis obuenturi.

## *Collegium Talabricenſe.*

TALABRICENSES tanta noſtros proſequuntur beneuolentia ob conceptam de eorum virtute ac litteris opinionem, vt nihil negotij illis occurrat, quod noſtrorum conſilio ac operâ non exequantur. Vnde lites, rixæ, diſcordiæ, & multæ & graues ad eos componendi gratia delatæ, compoſitæ ſunt pro ipſorum arbitrio. diuortia iam ad litem deducta cum magno populi ſcandalo, reuulſa ſunt, & domum coniuges deducti cum eorum gratificatione. Actum cum ſacerdote vt ſe ſummitteret homini & nobili & diuiti, quem iniuria affecerat, & ita recõciliati, qui priùs maximo odio diſſidebant. Idem factum eſt inter ſocerum & generum grauiter diſſidentes, vt ſolet inter ſanguine coniunctos exardeſcere magis diſſenſio. Virgo quædam ob non obſeruatam modeſtiam & grauitatem

tatem venit in parentum suspicionem, qui & molestè eam increpabāt, & adeò in eam incensi erant, vt timeretur ne eam pater interficeret, vt aliquoties fuerat minatus. illa ad nostros accurrit, qui domum exeuntes, vt parentes eius de pace cum filia conuenirent, ita suis rationibus patris animum permouerunt, vt subitò coram ipsis Patribus in genua prostratus, & oculis ad cælum conuersis: Tui, ait, amore solius, ô mi Deus, illi parco; deinde vocata puella lacrymabunda nixa genibus, & venia petita osculata est parentum manus. atque hucusque permanent beneuoli & nostris grati, quòd sua diligentia seditionem è domo sua expulerint. Monachus è monasterio egressus in locum ab vrbe semotum sese abdiderat, vt ibi lateret definiens apud se nunquam ad monasterium redire, imò in animum induxerat se veneno enecare, quod secum ad id afferebat, nisi res pro voto succederet. cognouit id vnus è nostris detegente laico, qui domi suæ illum absconderat, per quem in scriptis misit remedia aliqua, & morbo conducentia, ac petiuit vt in loco designato clam conuenirent, & agerent cum eius Superiore de pace, ac modo quo fuisset reducendus. iuit Pater noster in designatum locum, nō inuenit. abierat enim tentatione victus, nec nisi post multos labores inuentus adductus est in domum quandam rusticam, vbi iam Superior præstolabatur: quem vt vidit, statim ad eius pedes procubuit, & humiliter venia petita, peramanter & beneuolè exceptus est, & ita re cōfecta domum quisque suam rediuit; & Superior ille cum cæteris Religiosis ita gratum sese ostendit, tum ob rem bene gestam, & fratrem ad ouile reductum, tum maximè quòd cum tanto silentio absque eo quòd quisquam id persenserit, effectum est. Inter Ecclesiasticos huius vrbis & Senatum, sumpta occasione

ex

ex Ecclesiastica immunitate non seruata, grauis est orta seditio, & rixæ non paucæ excitatæ. solicitabant enim Ecclesiastici, non solùm suos, sed etiam Religiosos omnes vt suas agerẽt partes, & ita lites, odia & similia mala timebantur duratura; nisi nostri arbitri & mediatores intercederent. cumque multis vltro citroq; remediis propositis nunquam de pace conuenirent; actum demum est, vt ex Ecclesiasticis designarentur duo Canonici cum duobus parochis, & ex senatu duo equites, quibus commissa res, vt facto in nostro Collegio conuentu nostrorum interuentu res componeretur. quater igitur simul conuenientibus commissariis tandem pax conciliata, re scriptis tradita, & obsignatis nominibus eorum, qui ex vtraque parte conuenerant; vt sic pax totius populi bono necessaria permaneret diutiùs, vt quidem permanet Dei munere. Femina coniugata per multos annos à dæmonibus vexata, sæpe etiam Ecclesiasticis exorcismis liberata iterum vexabatur. quod vt ad Patrem vnum è nostris delatum est, & ille signis acceptis comprobasset quod ferebatur, voluit ipse cum dæmone pugnare, vt eum omnino è corpore feminæ expelleret. Ventum ad pugnam est in templo D. Michaëlis, detecto sanctissimo Sacramento. cumque femina coràm sacerdotem adspiceret, cœpit insanire, & huc illucque se conuertere: quem cùm Pater cogeret ad superiorem gradum ascendere, & genua coram Sacramẽto flectere, fecit ille. iussus nomen detegere, detegit, dicens se esse Sathan. rogatus an socium haberet, dixit se habere Luciferum. rogatus rursus causam ingressus in feminam, nullam esse dixit, sed ante duos annos vt illam contorqueret, pro volũtate fuisse ingressum: quod & iussus est omni populo adstante renunciare. Cœpit ergo sacerdos noster dæmonem cogere

præcepto

præcepto vt exiret, & ne quidquam loqueretur aut detegeret, quod cuiquã detrimento esset. nam hoc ille aggrediebatur; sed obediuit coactus. cumque vniuersim aliqua proferret, per iocum sacerdotem allocutus est. cui iussus veniam petere, Quomodo, ait, petet, qui veniam non est consecuturus? & pedes illius est osculatus. Compulsus exire, & vades, quòd nunquam esset rediturus, tribuere S. Michaëlem & Ludouicum Regem Galliarum, quo nomine vocabatur sacerdos; ille, Exibo, ait, & signa dabo, at vades nequaquam dabo. interrogatus, cur ita; Ne cogar ab illis, inquit, non redire, vt illi qui compulsi sunt exire in Maria matre Dei, nempe in templo dicato Virgini à charitate dictæ, apud opidum Illescas, vbi pulsi fuerant alij dæmones vadibus datis. structa vi, & iussus exire renuebat ille, conquestus se nunquam in infernum ingressum, sed in aëre permansisse, rogabatque ne premeretur ad infima descendere. cumque, vt videbatur, S. Michaël & Ludouicus adstarent, ille conuersus ad eos, rogabat mitius secum agi: sed sacerdos vrgebat vt exiret oblatis vadibus, & ad inferna secederet suæ inobedientię pœnas daturus. quod ille grauiter ferens cœpit tremere & rugire, & emissis vlulatibus tremẽdis; ac dicens, Ad inferna mittar condemnatus vbi nunquam fui, per duas horas egredi repugnauit. donec tandem victus (nixa genibus femina) dęmon sic allocutus est diuos illos, Egrediar, egrediar, siquidem ita iubetis, ita polliceor & Mariæ matri Dei, & tibi sacerdoti Dei: ac statim petiuit crucifixum, quem vt accepit adorauit, & adorandum omnibus exhibuit & sacerdotibus exosculandum. & aliquando in eas voces prorumpebat, Parete statim, parete Deo, ego damnatus ad inferna mittar; & vos cauete. nam pœnæ sunt paratæ lusoribus, falsa iurantibus, obloquentibus, &

qui

qui malè parta conſeruatis, &c. cumque ergo tandem vrgeretur, cœpit mulier contorqueri, & huc illucque & corpus & vultum conuertere, & magnis emiſſis vlulatibus ita liberata ſemimortua manſit in terra iuxta aram. Re peracta, actis Deo gratiis, B. Virgini, & S. Michaëli, & Ludouico coram omni populo obſtupeſcente, reducta eſt domum, & manet adhuc ſana, maximas Deo gratias agens pro tanto beneficio.

## PROVINCIA CASTELLANA.

NVMERAT prouincia quingentos & ſex: Patres, vnum ſupra ducentos, Fratres trecentos & quinque, quorum alij litteras profitentur, alij domi laborant, nuncio remiſſo ſtudiis litterarum. migrarunt ex hac, quæ appellatur vita, viginti; ad alias prouincias quatuor amandati: cooptati in noſtrum ordinem Scholaſtici ſex & viginti, Adiutores triginta, itaque multo ſunt plures quos admiſimus, quàm quos amiſimus, Deo benigniſſimè prouidente, & graue damnum, quod biennio proximo prouincia fecit funerum crebritate, fauore verè paterno reparante.

### *Domus Profeſſa Valliſoletana.*

RELIGIOSA diſciplina, noſtrarum legum obſeruatio priſtino more in hac noſtra Valliſoletana Profeſſorum ſede viguerunt; præuiis exemplo ſenibus, quorum veſtigia minùs antiqui ſectantur, concors omnium animus eſt, & voluntatum mira conſenſio. Societatis erga externos officia, vt in vrbe

vrbe percelebri, quæque nostros frequenter aduocat, gnauiter vbique præstatur. Mauro, quem propria delicta capitali addixere supplicio, nostri, vt baptismum susciperet suaserũt: quem annuentem, deq; fidei mysteriis edoctum vnda salutaris aspersit, vt Ecclesiæ iam aggregati, expiatique vitiorum sordibus carnifex vnum corpus occideret, animo in cælum euolante. Mulieres numero decem ab inhonesto corporum animorumque mercatu sese ad eximiam vitæ munditiam nostris hortantibus transtulere: ex quibus vna, quæ quo formosior, eo ciuitati pernicioſior exstiterat, seriò vitam corrigens & luxum, ac delicias vitæ asperitate compensans vno dumtaxat mense superuixit non dubio adeptæ sempiternæ quietis argumento. Beatissimę Virginis Sodalitas, quam superioris anni pestis exhausserat, maiore incremento restituta est, Sodalibus tum de sua, tum de aliorũ salute solicitis. Philippus hoc nomine tertius totius Hispaniæ & vtriusque Indię Rex inclytus, Regina comite, nostrum templum in diui Rochi feriis sua præsentia decorauit, & in eo rem sacram venerabundus audiuit. Vallisoletanus & Asturicensis Antistites Regibus in iis quæ ad cæremonias pertinent, adfuerũt: quia & Regina ipsa tali digna coniugio destitutorum hospitali domui (hoc enim loco nomen est) per nostros largè liberaliterque succurrit. Sacra supellex excreuit pretioso peristromatum dono, ad vtriusque lateris altaria vestienda, aulæisque sericis, vt pro cælo esse possint cùm celebrioribus feriis noua in nostra æde eriguntur altaria. terni insuper ex argento dati calices, inauratæque acerra, lychni pensiles argentei duo, vt in sacellis nostris duobus luceant.

Colle-

## *Collegium Vallisoletanum.*

D. Ambrosij Collegium valetudo aduersa tentauit, itaque post diuturnã multorum anginam & eam semipestiferam, quæ ex alio manaret in alium, tres obiere; sacerdos vnus spectatæ virtutis, duoq; Fratres officiosa diligentia commendandi. Litterarum tria florent gymnasia, primum Theologiæ, de quo sæpe aliàs; alterũ Philosophiæ, quod Anglicanos alumnos multos, duosq; nostros Fratres instituit; tertium Dialecticæ, quæ hoc anno tradi cœpta est ad Anglos, qui nuper aduenerant, instruendos. Est quidem huius Collegij cura præcipua, vt nostri tam discipuli quàm magistri virtutem cum sapientia coniungant: externis tamen, qui multi conueniunt, negare se sacerdotes nostri non possunt, quorũ & confessiones audiunt & causas tuentur, quæ Societatis patrocinio non videntur indignæ. Collegas nostros numero quadraginta perfectionis mirum tenet desiderium. quare proximo Aduentu post recitatas Litanias omnes ferè genibus flexis in oratione semihoræ spatio perstitere. Bis in hebdomada Fratres omnes Patresque nonnulli in paratã exedram conueniunt: audituri Patrem Rectorem de sequentis diei meditatione differentem, & rerum capita proponentem: quæ sanè prouisio ad diuina contuenda animum efficit perattentum, neque mens aliena cogitãdo distrahitur. Habet noster æditimus nouam telam, eamq; valdè pretiosam ad altare maximum exornandum, & ad sacerdotis rem diuinam peracturi vestes faciendas, missam ab Illustrissimo Trascallensi Episcopo, Collegij nostri ex India ipsâ fundatore.

Colle-

## *Collegium Medinense.*

DVODEQVADRAGINTA censi, Patres duodecim, Fratres artium (vt vocant) studijs intenti totidem: vnus latinitatis magister. cæterapars quotidianis ministerijs distinetur. Sancta hebdomada Philosophiæ præceptor & discipuli Beati nostri Patris Ignatij sese meditationibus incluſi totos dediderunt: quippe morbosa proxima æstas pium hoc opus, & nostris adeò salubre tum multis decũbentibus impediuit. Tres fratres mortui, vnus Adiutor, & collegij villicus cessare nescius, duoq; philosophi, Iulianus Quiros Ouetẽsis, & Alphonsus Velascus municeps Medinensis, vterque Collegio tam moribus, quã ingenio chariſſimus: immaturaque amborum mors magistro fuit & condiscipulis luctuosa. In Societatem asciti tres, vnus ex Humanitatis schola, duo ad rerum quæ manibus teruntur famulatum. Ianuario proximo prouinciæ Professi ad procuratorem de more tum eligendum, tum ad Vrbem legandum, ac de ijs deliberandum, quæ ad nostrum Patrem Generalem referri sit expediens, huc ex consueto conuenerunt; concioneſque Patrum congregatorum, quarum prima Patris Prouincialis fuit, ciuitas nostri amans libenter audiuit. Ineunte mense Iulio Rex Philippus Vallisoletum profecturus dies paucos in hac vrbe subſtitit, cumque religiosa domicilia sua vellet honestare præsentia, nostrum visit in primis Regina comitante. Voluptati fuisse, & templi ornatum, & ipsam fabricæ speciem, quæ ex amborum facie emicabat hilaritas declarauit. Ipsi quidem Regum assectæ Hispaniæ proceres mentis gaudium non modò gestu ipso, sed etiam vocibus, quas admiratio expresserat, ostenderunt.

Ex quibus duo Philosophicas nostras concertationes magistro præside, & studijs prosecuti sunt, & laudum præconio celebrarunt. Sanctissimæ Eucharistiæ feriæ celebri pompa peractæ, & dialogo peruenusto.

## *Collegium Salmanticense.*

VIXERE plus quinquaginta, Patres nouemdecim, Fratres Theologiæ sacræ auditores viginti duo, & quatuordecim Adiutores: translati ad vitam meliorem tres; duo sacerdotes, de quibus infrà sermo erit, & vnus Adiutor. iacturam quæ maxima fuit, aliqua ex parte adolescentes duodeviginti in Societatẽ admissi resarciuerunt: ex quorum tum scientia, tum moribus magna sibi Castellana prouincia, quam superioris anni pestis operarijs præclaris orbarat, subinde promittit. De Societatis ministerijs etsi nihil est noui, quod in annales referri debeat, repetendique eadem satietas molesta sit, tamen nostrorum in laborando alacritas, quia se ipsa quotidie perficit, semper est noua. Nam & nostros externi consulunt, concionantes audiunt, de confessione frequenter appellant. iam exemplorum Quadragesima tota narratio, quæ in nostra familia inueterauit, cuius in hoc Collegio fundamenta sunt iacta, in dies videtur esse celebrior. Non enim aut hyems retardat innumeros, aut hora non satis oportuna remoratur: nox enim redeuntes fere opprimit, cum multorum domicilia à nostro Collegio longè sint dissita. vincit tamen rei vtilitas, vincit omnia salubres historias audiẽdi communis omnium cupiditas. Spirituales exercitationes externi multi, sed in primis ex Academia complexi; quanto cum fructu dilata meditandi spacia testantur: nõ enim con-

consuetus ijs terminus satis fuit, contemplandique ocia non pauci protulerunt, cùm & delicati essent, & à claustro abhorruissent; vt vel ex hoc conijcere possimus Deum immortalem illis fuisse beneficum. Multorum qui in hoc totius orbis florentissimo tutissimoque gymnasio litteris operam nauant, vitæ emendatio, morumque laudanda probitas, magna ex parte sacrosanctæ Virginis congregationi refertur accepta. in eam qui coiere, quos plus ducentos numeramus, Christianæ Philosophiæ, quæ sapientia, & virtute continetur, miros se præbent sectatores. Præsidet nobilissimæ huic Sodalitati illustris admodum Alfonsus Cabrera in amplissimum Collegium, quod Archiepiscopi vocant, cooptatus. Ex hoc Parthenij Sodalitij cœtu pernobili multi se varijs Religiosorum Ordinibus manciparunt: illique octodecim, quos diximus in Societatem admissos, ex hoc ferè selectissimo grege fuerunt qui in Societate cum laude perseuerant, præter vnum, aut alterum, quibus vel nouicijs recessus ipse pestilens fuit. Etenim vnus ex nostris tironibus, genere diuitijsque conspicuus, cuiusdam propinqui suasu recessit, sed abitum non tulit impunè: siquidem in ipso propè paternarum ædium aspectu, post longi tædium itineris, vulneribus, dum fortè cum quibusdam iurgatur, acceptis, ægrè in hospitio curatus, patriam multo serius, quàm optauerat, reuisit. Qui verò recedēdi auctor fuerat, breuissimo temporis spatio tres suæ familiæ hæredes amisit; addita ad infelicem orbitatem probra, carcer ob delicta, & varij generis ærumnæ, quas præpotens ille Deus pernicioſi dati consilij vltor creditur immisisse. Non silebo duorum, quos sub idem tempus recepimus, Adiutorum regrediendi leuitatis cælitus vindicatæ mirabile exemplum. Nam cùm

eos bonos quidem artifices, idiotas tamẽ, presbyterij insanus teneret amor, eaque de causa abire iussi essent; vnus breui extinctus quo genere mortis ignotum, dolori nostris fuit, quòd nec saperet nec nouissima prouidere voluisset. alter cùm semel erectus se denuo admitti supplex orasset, iterum leuis, & vitæ, vt sibi videbatur, ingloriæ pertæsus abcessit: sed non multo pòst in rixa & pugna ab aduersario victus vulneribusque confossus interijt. Duorum nostrorũ Patrum, quos hoc anno mortuos esse diximus, lamentabile funus bene longam poscebat historiam. Alter Collegij Rector Iosephus à Costa sapientia scientiaque notissimus, & rerum gerendarum solertia præditus admiranda; cuius in Hispania, & in obeuntis Solis India, ac demum Romæ præclara dederat documenta. Alter Michaël Marcus Theologiæ præceptor inclytus, & Societatis rerum amator eximius, cuius se filium obedientem semper exhibuit. & quorum vita ab omnibus diligebatur, eorundem mors tristissima accidit vniuersis: vtriusque obitum cuncta ciuitas deplorauit, nostrique luctus se sociam Academia præstitit. Religiosorum familia suo quæque & ordine, & numero vtrique parentarunt, nostramque vicem pariter doluerunt. Rex Philippus, & Margarita coniux dignissima Salmanticam hoc ipso anno venerunt, ea cupiditate lucti quę magnorum Principum propria est: nam bonarum artium generale totius orbis emporium videre optabant. nostri nihil tale suspicantes (nec enim sibi persuaserant fore, vt Rex, & maioribus intentus spectaculis, & Vallisoletum approperãs, nostras ædes inuiseret) ecce prẽter spem, & opinionem subitò admonemur, Regem & Reginam nostrum Collegium, è vestigio esse visuros, aduentumque instare Regalem. Nostri vt in tanta

tanta festinatione (nam vix semihoræ spacium interceſſit) templum exornant, & omnia quoad fieri potest commodè concinnéque disponunt. ergo Reges introëunt, templi odores, & locorum qua transirent munditiam approbant. id quod Regina nostri amantissima suo Cõfessario patefecit. Indicatum est Regi quantus nostrorum numerus esset, quàm in litteris, & religione sedulı: ex his vmbraculis prodire milites qui in solem pulueremque descendant, quiq; Dei prælia conficiant, & pugnas pugnent glorioſas: eosdem precari pro suo Rege quotidie. Accepit Rex libenter quę dicebantur, vtque nostri in incepto persisterent, est adhortatus. Hiberni alumni, quorum in hac vrbe bonarum artium altrice Societati commissa tutela est, Regis ampliore patrocinio tecti, in litteris & in virtute pergunt alacriter: anniuersaria aucta pecunia est ad vitæ subsidia, quodam nostro illorum Gentili procurante. hinc ad patriam iuuandam amandati nonnulli studijs feliciter absolutis.

## *Collegium Palentinum*

ALVIT sexdecim: ex quibus nouem sacerdotes. à ferijs diui Lucæ auctus est numerus propter nouos Logicos Fratres numero sex, & eorum præceptorem, quos ex Cathedralis Ecclesiæ seminario collegæ, alijque externi discipuli comitantur. Præter Societatis munera consueta cum vrbanis, & paganis, missio ad mõtanos feliciter cessit. A quodam letali percusso vulnere, publico scriba testante, & in tabulis consignante, obtenta per nostros venia est reo in carcerem incluso salutaris. spiritualia apud nos meditati permulti, non solum ciues, sed etiam externi. Benefica ciuitas sua nos misericordia sustentat. Hieronymus Reynosus Ec-

cleſię Canonicus de noſtra Societate bene meritus multa nobis moriens legauit, libroſque ſuos omnes ſupellectilemque contribuit, quin & ſexaginta quatuor millia nummûm annua collegio reliquit, quibus tamen non niſi poſt quorundam obitum Collegium potietur.

## *Collegium Burgenſe*

VICENOS alit, decem Patres, totidem Fratres miniſteria domus adiuuantes, præter duos villæ cuſtodes. quatuor in noſtrum recepti numerum, tres vt hęc quotidiana miniſtrēt, vnus Theologus minimè contemnendus. Munia noſtrorum propria quo ſolent pede procedunt, illud domeſticis nouum, quòd Patris Prouincialis admonitu fratres adiutores ſemel in hebdomada priuatim a quodam Patre de ijs edocentur, quæ animum corpuſque conſtituunt. Confeſſionis, & ſanctæ Euchariſtiæ Sacramenta, quorum frequentiam peſtis minuerat, priſtino recuperato incremento, ſuum eundem curſum tenuere. concionum nec in Dominicis, nec in alijs feſtis diebus vlla eſt domi noſtræ intermiſſio, quo factum eſt, vt auditorum numerus augeretur. Nam & templi ſitus inuitat, & diuini verbi certa prouiſio. Euchariſtiæ ſacroſanctæ ferias hoc anno, quo primùm a noſtro P. Generali permiſſum eſt, ſpectabili pompa peregimus, pueri IESV perpulchra effigie, quæ noua in hunc finem apparata thenſa vehebatur, præeunte. Eam quaterni ex pręcipua nobilitate portabant, ſcholaſtici Virgineæ Sodalitatis vexillo prætento albiſque cereis præcedebant; Eccleſiæ primariæ cantores celebritatem ipſam fecere dulciorem. acceſſerunt ad commune gaudium ſacerdotis externi illius quidem, ſed noſtrorum ſtudioſi ſacri-

sacrificandi fausta primordia, qui ea die apud nos sacrum primum celebrauit, & manibus Christi Iesv corpus Sacramentorum sacratissimum quãta maximè potuit reuerentia gestauit. Catechismus, vt assolet, à quodam nostro in plateis exponitur, præuio cantu puerorum per communes vrbis vias, vicosque percelebres, qui canticis perbellè compositis, vt carmina obscæna vitarentur, quibus magnæ vrbis regiones noctu cum aurium offensione castarum personabant, non minùs vtiliter, quàm sanctè perfecit. ipsa quoque ad plebem in eodem catechismo salubris hortatio mouet animos, & generales excitat confessiones. Pietas erga nostrum Patrem Ignatium hoc potissimùm anno in hac vrbe, quæ Castellæ caput est, radices egit altiores. Quædam namque miracula firma testata fide, & communis Notarij chirographo, & testium confessione in publicas relata tabulas religionem cum auctoritate iunxere. Vnum apponemus tota vrbe percelebre. Quædam adulta virgo cùm à medicis desperata esset in morbo, quippe quæ loqui iam nequiret, commonerenturque parentes, quòd se delictis confessione haud expiasset, morte præsertim imminente; mater Nostri Beati Patris Ignatij epistolam, quæ illius esset manu exarata, quamque apud nos esse audierat, supplex gemebundaque petijt. Detulit eam quidam nostet sacerdos, & cùm sancti Ioannis Euangelium pronunciasset, *In principio erat verbum*, & epistolam capiti imposuisset, vbi Ignatij manus esset, illico puella moribunda cœpit effari. rogat Pater vellétne aperire peccata. annuit mulier, & voce exili debilitataque confessa sacram percepit Eucharistiam discessuris viaticum salutare. exinde meliùs meliusque habere cœpit: nunc perfectè valet, & beneficium agnoscit ciuitate vniuersa

Patris nostri Ignatij sanctitatem prædicante, eiusque sibi patrocinium assiscente. Domestica res etsi angusta satis, tamen liberalitate quorundam nouos creditores effugit œconomus, solisque debet antiquis. Illustris Franciscus Montaluus Abbas Gamonalensis Collegij fautor eximius, quæ nobis iam pridem donauerat, etiam possidenda permisit, seraque nimis homini beneficentissimo visa mors est, qua tamen dilata nihil, debebat ex pacto. valent Abbatis dona scutatis mille quingentis. Illustris femina Franciscа Beraui, quæ Societatem, & eius auctorem vnicè amabat dum vixit, & pro sua nobis facultate subuenit, moriens legato non aspernando suam est testata voluntatem. Sacristia à quibusdam varijs est non solùm adiuta sed etiam ornata muneribus, quæ ducentorum aureorum summam efficiunt: in his aurea ad sacerdotalem casulam tela, & ex argento lampas, aræ Virginis illuminandæ, thensaque pueri IESV pulcherrimo simulacro in pompis deportando.

## *Collegium Segouiense.*

SEGOVIENSIS agri messis est plurima, quam Parthenica Sodalitas mirandum in modum amplificauit. cogit hæc laicos bene moratos, qui propter statas confessiones quo die cælesti pane vescũtur, candelas ex alba cera manibus singuli præferunt candidæ mentis indicium. Diplomate ad indulgentias Romani obtento Pontificis Sodalibus festa lux fuit, accurrente vniuersa ciuitate. conueniunt statutis diebus qui nomen Sodalitio dedêre, & vnius nostri audita breui cohortatione hospitia alij alia libenter inuisunt, nosocomiaque perlustrant, ægris & egentibus largè subueniunt,

quin

quin etiam singulis sextis ferijs se in nostro templo diuerberant, & ex quo sint grege verbo exemploque demonstrant. Incommoditas ædificij propè coëgit fabricare cubicula, quæ Dei adminiculo propè iam absoluta gratiorem habitandi rationem nostris incolis pollicentur. in hunc finem ciuitas eleëmosynam erogauit, quæ aureos nummos bis mille prætergressa preces assiduas pro tã officiosa vrbe ad Deum immortalem nos iubet effundere.

## *Collegium Villagarciense.*

INCOLÆ ad sexaginta, presbyteri vndecim, Adiutores quindecim, reliqui nouitij. vnus tantùm è vita discessit, vt quid inter hunc annum & superiorem interfit agnoscamus, quem tam funestum fumus experti. Nouitiorum bona pars Ouetum missa, vbi & exercendæ, & experiendæ nostræ iuuentutis noua est instituta palæstra, quæ hanc nostram releuet; id quod tironum copia ipsa poscebat. Ludus litterarius tam elementariorum, quàm latinorum valdè plenus, quod minimè sperabatur propter antecurrentis anni morbos & pestem, id est nonagesimi noni, cuius timor aduenas absterrere merito ac iure debuisset. Cæterùm vbi gymnasium, quod peste grassante calamitas, quiescente metus occluserat, patere cœpit; multo plures, quam qui ante pestis exitium venire solerent, ad nostros se præceptores contulerunt, ipsèq; numerus semper augetur. nam loci tranquillitas, & magistrorum nota sedulitas multos genere nobiles, lociſq; distantes euocare consueuit. Prospera domesticorum valetudo in religioso stadio currentes incitauit roborauitque ad forte certamen. Excursio ad vrbem Collegio vicinam, quæ Almi-

rini Dynastæ clarissimi paret imperio, duobus messis sacerdotibus fortunatissima fuit: siquidem concionatorem nostrum multi audire voluerunt, neque tamen præ multitudine potuerunt: confessionum tanta copia, quantæ multi operarij sufficere non possent. Commẽtationes rerum cælestium traditæ multis, & ex cathedrali quodam templo nonnulli, qui hæc eadem aliquando gustauerant, & regustarunt ipsimet, & alijs suaturos vt venirent, sibique hoc recessu prospicerent, ex animo promiserunt.

## *Collegium Lucronense.*

COMMORATI tredecim, sacerdotes septem, senique Fratres migrarunt ex hac ærumnosa vita numero quinque: duo peroportuni presbyteri, tresque Fratres ex illis, quos diuæ Marthæ religiosa conditio delectat. Duo Societati dedêre nomen rerum necessariarum administri futuri. Humaniorum litterarum scholæ vt in vrbe, quam pestis vehementer afflixerat, non ita infrequentes, discipulorumque bonitate paucitas ipsa compensatur. Intra vrbem ministeria omnia Societatis cum fructu exercita, eadem extra non parum gloriosè præstita. Itum est enim ad pagos, quibus nostrorum grata præsentia: pestis enim impedierat quo minus loca illa nostri de more percurrerent, itaq; nostri desiderium exaggerauerat dilata profectio. In vno castello, vbi nostri solos dies octo morati erant, totius vitæ confessiones auditæ plures quadraginta, ex alijs oppidis multi concito passu veniebant; non pauci in ipso itinere nostris confessi. tanta erat Sacramentorum auiditas, & ex nostrorum oportunitate lætitia. Multa per hos nostros viatores transacta salubriter, & ex pelli-

catu

catu vt turpissimo ita notissimo abducta mulier, & ex diuersorio sceleris exire compulsa, quę nunc castè viuit, agitque pudicè amatore lubente, & nostrorum consilijs auscultante: cùm tamen Iudices, qua erat potentia, neglexissent, & publico pessimo concubinam diu multumque ijsdem parietibus tenuissent. Vrbis conciones pleno semper in cœtu, Patremque Rectorem verba facientem populus auidè sequitur. Quadragesima præter conciones, binæ in hebdomade narratæ Sanctorum historiæ: sequebatur scuticæ asperitas, quam psalmi quinquagesimi cantus isque modulatus acuebat. verbera honorati quidam ciues associant, quibus cætera turba se cædit alacriùs. Catechismus in hac vrbe ipsis floret Dominicis, cuius tam interrogationes, quàm adhortationes media in platea a ciuibus coniunctis & constipatis audiũtur. Amat nostros hæc ciuitas, amauitq; semper, deque animæ rebus nostros assiduè compellat. eleëmosynæ pro communi tenuitate non paucæ. Collegij vectigal æris quinquagenis millenis annuis excreuit, seque paulatim nostra domus sine fundatore, fundat & fulcit.

## *Collegium Numantinum*

HABVIT vnum, & viginti, sacerdotes vndecim, Fratres adiutorij nouem, vnumque studijs dedicatum. Laboratum est vehementer peste tursus viresccnte, quæ penitus exaruisse videbatur; etsi minùs sæua, neque cum tanta strage mortuorum, quantam superior annus inuexerat. Nostri omnibus prętò fuerunt nulla cum formidine, Deo fortitudinem fortunante: siquidem nemo noster ex aditu contagiosorum luem traxit, aut infectus est peste. omnesque salubritate aëris redeunte, &

quòd

quòd morbosos vitare noluissent, gaudio incredibili affecti, & quòd metu iam sublato suum tenorem cuncta seruarent, Deo immortali gratias egerunt. Confessiones vulgares multæ admodum, extraordinariæque non paucæ. Latinorum gymnasium ne peste quidem recrudescente conticuit, auditorum haud pœnitendus est numerus.

## *Collegium Pompeiopolitanum.*

DEGVNT octodecim, presbyteri nouem, residua pars Fratrum, partim Adiutorũ, partim grammaticæ magistrorum. scholas de Christianis officijs Pater vnus exponit multis audientibus. Latini discipuli in quatuor distributi classes discunt, vltra trecentos ingenio, & moribus commendandi; qui in Virgineo sunt Sodalitio conscripti cæteris longè præcellũt: ex his vnus noster est factus. Ciuitas suæ per nostros erudiendæ iuuentuti exedras ædificauerat, & annis ab hinc tribus annuo vectigali dotauerat. sed peste impediente auspicari nequiuimus, itaque hoc anno sexcentesimo à latina oratione in ferijs diui Lucæ docendi sunt capta primordia: quæ oratio cunctis arrisit. aderant Prorex, Episcopus, Regni Prætores, senatus vterque, alter ciuium, alter primariæ Ecclesiæ Canonicorum, & eorum, quos peculiaris dignitas cohonestat, & quidquid est in hac vrbe Nauarræ metropoli eminens, atque præclarum. erat theatrum stragulis & serica tela visendum, ænigmata, epigrammataque græca, latina, & hispana pendebant: quæ res ita deuinxit animos, vt qui à nobis auersi essent multo iam diuersa sentirent: Societatis amicis mutationem admirantibus, Deumque laudantibus, qui temporum dat tempora, & post tempestatem mare tranquillat. Primarij viri permulti nostris confitentur. ad animi salutem exercitati

citati in Collegio nonnulli: in his duo fratres nobilitate præstantes, quorum vnus se Religioni deuouit populo mirabundo. Duo non contemnendæ sortis ita dissenserant, vt alter inimicum fustibus probrosis offenderet, læsusque de percussoris nece sollicitus esset. noster quidam amicitias tentauit eorundem, perseuerantiaque duce perfecit vt plurimis præsentibus optata pax mutuo firmaretur amplexu, quæ hodie perseuerat. Idem hic pacificator mulierculam honestis parētibus natam, quam amator seduxerat, fidæ matronarum quarundam custodiæ commisit: eam quidem Patris suasu Illustrissimus Episcopus anni spacio liberaliter aluit, perennique prouiso remedio castè viuit, & purè. Noster alius cuiusdam nobilis, quem in morte confitentem audiuit, quæ non erat, esse fecit vxorem, procreatusque filius ampla patris hæreditate potitus matrem eamque nobilem hilaritate perfudit, serique matrimonij, & vis, & veritas ijs omnibus gratissima accidit, quibus nota res erat. Anno illo pestilente, qui hunc antecessit, Illustrissimus Antonius Iapata dignissimus Pampilonensis Antistes maximam misericordiæ partem, quam infectis tribuebat, distribui per nostros dispensarique voluit. factum est ex Episcopi voluntate: nostrique & Patres, & Fratres largitatis Pontificiæ diligentes administri longo tempore partim nummos, partim cibos ad Collegium venientibus diuiserunt, simul ac tamen vnum nostrum Adiutorem pestis infecit, nostra fuit domus inaccessa, neque cuiquam nostro pedem efferre licuit: quæ omnium communis lex erat, quorum ædes lurida pestis attigisset. Nostri exeundi cura soluti suum Fratrem diligentissimè curauerunt: aderat medicus, & chirurgi duo, neque est in eo fouēdo quidquam prætermissum. Apparuit quàm

nostri

noſtri amans eſſet Epiſcopus, qui noſtrum & caſum & commune clauſtrum paternè miſeratus noſtros quotidie viſitabat, nec eum aut niues aut pluuiæ retardarunt. Noſtros incluſos alloquebatur, qui ſe è feneſtris foris ſtanti Epiſcopo demonſtrabant. neceſſaria noſtris per famulum fidelem abundè ſuppeditauit, quem huic vni præfecit officio. Peſte verò remittente, ne quiſquam externus noſtrorum aditum timidè faſtidioſeque vitaret, ipſe Antiſtes primus ingrediens ianuas Collegij aperuit, quas peſtis obſeruauerat; quin & ex noſtris multos in ſuam aulam pontificiam adduxit: quòd peſtis, quæ ciuitatem exinaniuit, etiam epiſcopalem domum ſolitariam effeciſſet, noſque in ſui ſolatium adhibuit, quos paterno amore complectitur. Hoc ipſo anno ſexcenteſimo caſtellum quoddam in montanis inopinato exarſit incendio, & cùm flamma ædes omnes & templa perdidiſſet, Epiſcopus ad tecta reficienda, reponendaſque baſilicas, pecuniam vndique corradi oportere ratus, duos noſtros à Patre Prouinciali popoſcit, qui omnem Nauarram obirent eleëmoſynæ corrogandæ. annuit in re dura Prouincialis memor beneficiorum, & opidi ambuſti miſertus. noſtri ſuo munere probè functi non leuem ſummam collegerunt, gratiſſimo Epiſcopo, & ad ea ſupplenda promptiſſimo, quæ ad loci reſtitutionem deeſſe viderentur.

## *Collegium Montis regij.*

COLLEGÆ vigintiduo, Patres octo dumtaxat: conſcientiæ quæſtiones vnus magiſter explanat, ſua Philoſophiæ ſchola eſt. Latini ſermonis ſtudia peſte intermiſſa feliciter noſtri reuocarunt: in iis quadringenti numerantur. Alphabeticos ludimagiſter ex noſtris plures trecentis inſtituit, mirabileque

rabileque est post tot contagia, & tam multos, & tam citò potuisse coniungi. Reliqua Societatis officia de more repetuntur, sed Catechismus publicus floret in primis. Collegij fabrica nihil habet augmenti vna excepta cisterna ad aquam pluuiam retinendam, quę vbi consedit, saluberrima est: hanc excidere necessitas coëgit, & fontis penuria, vnde aquam haurire nostri possent.

## *Collegium Ouetense.*

INCOLÆ recensiti septem & viginti, Patres tantùm sex, pestis iniuria, quę nobis eum numerum operariorum ademit, quem sit reparare difficile. hoc anno domesticorum feruor accensus nouitiorum aduentu, quos noua hæc probationis domus exercet, vt eorum periclitata probitas, queat esse durabilis. De muneribus nostrorum & in externos benefactis illud nouum apponam de charitatis Sodalitio, quod in hac vrbe nostri fundarunt. constat ex primariis & clericis & laicis, ex quibus bini singulis Dominicis ostiatim stipem colligunt ad eorum alimenta, quos personarum infelix dignitas mendicare non sinit, & ianuas pulsare pudor vetat. vinctis hæc eadē charitas benignè succurrit. Exerciti tres Ecclesiastici, ex quibus duo Ouetensis primarij templi Canonici. Peste sęuiente quidam quo eleëmosynis peccata redimerent, nostris nescientibus eam pecuniæ summam legarunt, quæ sacristiam non mediocriter exornauit; data enim argentea crux est scutatorum pretij trecentorum, tapetiaque holoserica, quibus omne templum obtegatur, quæ aureis stetere ducentis: mitto casulas, & altaris frontale pretiosum.

Colle-

## Collegium Compostellanum.

HABITANT quatuor & viginti, Patres octo, Fratres in adiuuando occupati nouem, Scholastici Logici totidē, quos à festo D. Lucæ in noua Philosophiæ vniuersæ palæstra pugiles habemus strenuos. Interpres noster earum quæstionum, quę ad conscientiam tranquillandam conferuntur, ducentos, & eo amplius recenset auditores. quæ sanè schola perutilis est, vt qui è Compostellana Academia Parochi euadent, se in confessionibus expedire queant, & pro suo quemque valeant morbo curare. Cætera Societatis opera feliciter gnauiterque tractantur, & quia nihil est eorum, quæ fieri solent, dissimile, consulto præterimus.

## Collegium Sanctanderiense.

INCOLÆ nouem, sacerdotes quinque, sed qui rerum copia, & agente sedulitate eorum Collegiorum laudem æquauerint, in quibus longè maior est numerus. sunt quidem adhuc inquilini nondum stabili sede constituta: quæ tamen diligenter inquiritur, & areæ coëmūtur ad solum firmamentumq; domesticum. pauculi operarij domi tamen laborant & foris. Nam diebus festis duo vicos & castella pedibus visitant, vicina primùm, deinde remotiora. accepti auidè nostri viatores: incolæ enim ad quos vadunt, & montani & egeni cælestis sæpe doctrinæ magistro carent. Duorum nostrorum longinqua missio fertilis fuit, & solidæ plena lætitiæ. Nam ex hoc ipso portu in Legionensis regni montana duo nostri presbyteri penetrantes ad opidum peruenerunt, quod Lieuenæ caput est, cuius ditione pagi trecenti inuij desertiq; tenentur.

Nostri

Nostri ex vrbecula principe pagos obibant, concionibusque & confessionibus publicæ priuatæq; vtilitati seruiebant. Prouincia (hoc enim ei regioni nomen est) rei nouitate admirata clamores lætitiæ indices edebat. nam & aduenæ, qui ad mercatum ventitabant, & indigenæ ipsi nostrorum merces tanto meliores conspicati, Patribus se in secreto confessionis foro detegere pergunt: ex quibus non pauci ad meliorem se frugem receperunt. concionibus applaudebant, diuinæ legis publicum cantum stupidi sequebantur; sed nostrorum vitam potissimum admirati, quæ videbant præconiis celebrabant. Siquidem tota profectio peditum fuit nullo vsu iumenti: officia gratuita, cibus & vilis & parcus, lectus paleis stratus Dei laudandi materiam populo suppeditabat: indefessus labor, in templo perseuerantia, tam multos audiendi patientia vix videbatur hominum esse, quos natura fragiles & infirmos genuisset. Augebat admirationem habitus ipse nostrorum: vnde rustici coniiciebant nostros illos in mundo nobiles fuisse, & delicatè à suis parentibus nutritos. Parochorum diligens cura perfecit, vt in pagis, quos nostri visêre quamplurimos, nemo per ætatem idoneus maneret inconfessus. trinæ diœceseos loca lustrata, gratias agentibus ipsis tribus Episcopis, quos Archipresbyteri per litteras de nostrorum fructuoso itinere fecere certiores. Nostri suam hanc excursionem terræ incolis vsque adeò probauerunt, vt de petendo Societatis domicilio ad gentis destitutæ remedium, quidam Ecclesiastici seriò cogitauerint. Inter alia salutariter à nostris effecta principem sibi locum vendicat misericordiæ Confraternitas, vt vocant, cuius vna ex multis lex erat de temeraria iurandi peste vitanda. pecuniaria delinquenti constituta pœna est, quam à iurante vel Parochi, vel iudex

ipſe ſeuerè repetit, eamq; qui temerè iurauit, haud dependit inuitus, pecunia verò pauperibus datur, vt & periuria vitentur, & penuriæ ſuccurratur. Multa euenerunt mira illa quidem, ſed iuſtis de cauſis tacenda. duo ſileri non debent, quæ breuiter explicabimus. Ierat voti cauſa Compoſtellam homo quidam verè pius, & legis Chriſtianæ diligens cultor: huius vxor multos iam dies mariti rerum ignara ſollicita erat, animiq́ue pendebat. die quadam confeſſa, ſole in meridianum tempus inclinante, viri peregrinationem, reditumque felicem Deo intentis animi viribus commendabat; Virginem quoque Deiparam ſupplex inuocabat, cui a primis annis piè famulata erat & ſanctè. Percepta diuina Euchariſtia bonam diei partem in hoc poſtulato conſumpſit. Haud irritæ mulieris preces. Illo namque ipſo die, & illo ipſo temporis puncto, vt poſtea maritus expoſuit, inſolitã quandam vir abſens conſolationem ſenſit, & inexplicabili viſo recreatus eſt. Nam cùm voto perſoluto ſeſe referret ad ſuos, dum è via languens, interque itineris quædam dumeta cubans grauiſſimè tentatur à dæmone, anxius & triſtis, Chriſti in cruce confixi elata quam ſecum geſtabat imagine, Dei auxilium implorauit. non multò poſt guttis ſanguineis illa ipſa Chriſti ſtillat effigies, neque tam pauor peregrinum animũ occupat, quàm replet hilaritas. Pater ex noſtris, cui ab ipſa peregrini vxore poſt redditam animi in confeſſione rationem talis narrabatur hiſtoria, ſuis oculis aſpexit imaginem, & ſanguineum colorem contemplatus adduci non potuit, vt ea, quæ mulier & pia, & veritatis amans affirmaſſet, ficta eſſe & ſimulata crederet. eadem ſui mariti iam pridem ſepulti mores fuiſſe probatiſſimos aſſeuerabat: vt valdè probabile ſit, Deum bonitatis auctorem, qui ſimplicium amator eſt, hos

coniuges

coniuges miraculo tanto esse dignatum, neque in hoc ærumnoso sęculo deesse, qui antiquorum sanctitatem imitati antiqui temporis experiantur auxilia. Alterum est de quodam pastore propheta, qui annos natus sexdecim moribus probatissimus eos qui peste decessuri essent nominatim prædicebat, vaticinium exitu comprobante. rogatus quî sciret, respondebat in quadam nocturna pompa, quæ per campos duceretur, qui morituri essent percellente contagio, eos omnes sibi cælitus esse præmonstratos, hocque de fine quorundam nomine cuiusque declarato per dierum interualla apertissimè recinebat: aliis fugientibus ne audirent quæ placita non erant, quæq; animus horret; aliis vltro ad pastorem adolescentulum adeuntibus, & se ad præmonitam mortem comparantibus. cùm interim pastor & pronunciare perseueraret multorum propinqua funera, & quæ euenissent prædictioni consentanea quietus & minimè mirabundus aspiceret. & quidem cum his, quos secuta pestis absumpsit, actum est præclarè, quos & pastor admonuit, & Parochi sacris omnibus ritè procuratis sepulturæ mandarunt. fama consensit neminem illis in terris sine confessione decessisse. quæ res animarum pastoribus gloriæ fuit. Est in hac ipsa montana plaga diui Benedicti nobile cœnobium, maxima ex Christi sacrosanctæ crucis ligno portione percelebre; vbi nostri ab ipsis monachis benignè accepti, qui in feriis exaltationis sanctæ crucis, quo die innumerabiles conueniunt sacratissimum pignus adoraturi, vnum ex his nostris in suo templo Ecclesiastem esse coëgerunt.

## *Collegium Montis-fortis*

ALIT duodenos, qui in hac se vinea diligenter exercent. Grammaticæ, eloquentiæ, poëticæque studia, quibus pestis obstiterat, feliciter reflorescunt; quippe duorum mensium spatio sexcenti discipuli numerantur. non minor est in ludo illo progressio, quem ad elementa prima discenda, & characteres formandos fundator noster patriæ pater instituit: munera, quæ præterea nostri instituti ratio depoſcit, pro sacerdotum paucitate non frigent. Exeunte Septembri inclytus Rodericus Castrensis sanctæ Romanę Ecclesię Cardinalis, idemque Hispalensis Antistes, huius nostri Collegij auctor, excessit è viuis, & quem erga nostros amorem viuus ostenderat, moriens confirmauit. Dederat annuum vectigal aureorum bis mille, quod ciuitas Aurien sis Collegio vicina propè cum nullo recuperandi sumptu persoluit: dederat calices, ornamenta, sacrata lintea, imagines ex penicillo perpulchras, & in primis longam ex ebeno crucem artificiosè elaboratam, cuius extrema quæque inaurato argento vestiuntur: quæ multis in capsellis, quas efficiunt caua foramina, sacras reliquias habet incluſas; in iis ex sanctissimæ Christi crucis ligno pars quædam magna conspicitur. quo autem crux hæc talibus pretiosa thesauris venerabilior esset hominibus, Rodericus à summo Pontifice iubileum impetrauit, in vtroque festo crucis die, & quem quinto Nonas Maij de inuenta cruce, & decimooctauo Kalendas Octobris de eadem exaltata excitataque Ecclesia concelebrat. in decessu tamen domum hanc suam omnium bonorum scripsit hæredem, quibus si duo legata demas, perfruetur. Nam quia ingens nobis summa

restabat,

restabat, nobilibus puellis voluit esse consultum, quarum remedio aureos annuos sexcentos legauit testamento. statuit insuper, vt scutata mille quotannis pensitanda firmentur ad alendas sanctimoniales, quibus est à Carmelo cognomen, & calcei vsus ignoratur; quarum in hac vrbe voluit esse cœnobium. Neque tamen his duobus pietatis monumentis perfectis nostrorum erit infausta conditio. pars enim residua bonorum tanta est, quantam benignissimi Principis erga Societatem amor efflagitat, eritque hoc Collegium cuilibet oneri perferendo. Templi sumptuosa moles vrgetur, vt Cardinalis ossa in Hispalensi maximo templo deposita huc breui transferantur: cætera fabricatio surgit quinque iam hominis staturis elata; exedræ tamen Latinorum suam celsitatẽ assecutæ festinè tegũtur. Cùm primùm de Cardinalis obitu tristis allatus est nuncius, curatum est de cenotaphio pro dignitate apparando, deque exequiis quàm exactissimè celebrandis. ergo cantoribus Compostellanæ Metropolis accersitis, & Collegiorum, quæ in Calaico regno habemus, grauissimis quibusque Patribus conuocatis, nouendiale funebre officium nostri peregere. Illustris admodum Lucensis Episcopus, in cuius diœcesi Collegium hoc est, primo exequiarum die concionatus, quid nobis, quid Cardinali tribueret, apertissimè declarauit. Idem die postero sacrum celebrauit, Paterq; Franciscus Labata Prouincialis vicarius ad Collegiorum Societatis in hoc regno res omnes explorandas, verba fecit ad populum. Ex diui Benedicti diuique Francisci familiis, quas ambas habet hæc ciuitas, religiosi monachi exequias tanti Præsulis & sacro & hymnis absoluerunt, deque laudibus Cardinalis pro concione grauiter egerũt. Denique ex nouem nulla dies fuit, quin ex loco superiore Cardinalis

verbis ampliſſimis prædicaretur, neque oratio deeſſe poterat in argumento copioſo. Ergo callidi rerum æſtimatores, non aliter noſtros beneficentiſſimo Roderico parentaſſe aiebant, atque regni heredes parentibus iuſta perſoluunt: ipſe enim & apparatus & comitatus Regum funerea pompa viſus eſt dignus. Claudam huius Collegij hiſtoriam commemoratione Fratris cuiuſdam noſtri ſoſpitatis admirandæ ſacroſanctæ Dei matre auſpice: quæ ſic habet. Quidam ex noſtris domeſticis cùm deciſis negotiis, quorum cauſſa à ſuo erat Rectore miſſus, domum rediret, in altum flumen deuenit: quod quia profundum, ſine lintre tranſmitti non ſolet; Silim accolæ vocant. cumque cymbæ gubernator abeſſet, ratus Frater Collegij famulo adiuuante, qui comes erat itineris, cymbam ſe commodè eſſe recturum, fluuio ſeſe animosè commiſit: ſed vbi ad medium ventum eſt amnem, vbi aquarum impetus vehementior erat, Frater & famulus licet validè remum impellerent, tamen vortice aquarum inſtabilem cymbam rapiente victi ſuperatique ceſſerunt. Fratris comes nauigatione deſperata ſeſe coniecit in flumen; beneque vertit. ſiquidem non multo pòſt feliciter enatauit; Frater verò ne quod extremum videbatur eſſe remedium nimis citò tentaret, in lintre remanſit, qui præceps ferebatur. enimuerò cùm ſe altæ cuidã decliuitati, quam efficit vnda præcipitans duabus in imum gurgitem lanceis, videret eſſe vicinum, & aquæ cadentis horrendo ſtrepitu aures ipſæ obſurdeſcerent, periculo attonitus ſe cruce ſignauit, & voce clara pronunciat, Adſit mihi Virgo Maria, cui eſt Antiquæ cognomen. ita nimirum Dei matrem appellauit, quam ſciebat noſtri Collegij Monfortienſis eſſe patronam ex fundatoris voluntate cum Antiquæ vſitato & Hiſpali & aliis in locis cognomento.

mento. Etenim Cardinalis Deiparam sanctissimam præcipua quadam pietate & religione veneratus est semper. Igitur in grauissimo vitæ discrimine Fratri opitulatus est Christus, matre Virgine deprecante. Nam per saltum illum aquarum cymba illæso vectore descendit, nec in scopulos impegit, qui & multi & asperi aquam ex alto labentem resilire cogebant, & fluctus resistendo frangebant. Et cùm longo iam spatio temporis fluuium vbique torrentem linter errabundus sulcaret, quassatus atque fatiscens in imo fundo subsedit. Frater non ignarus omnium quibus perfunctus erat illud grauissimum esse periculum, Virginem communem aduocatam inuocare non desinit, alteraque manu strenuè natantis muli frenum premens, altera remum, nando euasit ad exoptatam ripam incolumis; non sine stupore multorum, qui è terra ipsa, quem iuuare non poterant, miserabantur fausta & felicia precantes, & ancipitem nostri Fratris inter vndas viam Deo, cui nihil est arduum, commendantes. Virginis auxit res tanta pietatem, cuius se fama dilatauit. quis enim non admiretur in tam longa iactatione (nam passuum sex millia per aquas emensa) sanum & valentem suis esse Fratribus restitutum?

## *Collegium Vergarense, & Ascoithiensis initia Mansionis.*

HABITATORES decem, quinque Patres, & totidem Fratres. omnia per hosce operarios ex Societatis dignitate fiunt, siue humaniorum litterarum scholas, siue in proximos nostrorum officia charitatis plena perpendimus. Conciones, Cantabra Castellanaq; lingua neminem salubris exhor-

tationis expertem esse patiuntur. itur ad pagos,& domi catechismus habetur Vasconum lingua,perutilis ad gentem Toletani idiomatis ignarâ commodiùs, instruendam . Ascoithiam huius prouinciæ nobile castellum ex ordine presbyterorum duo nostri profecti, vt domum inibi inchoarent laicis clericisque poscentibus : cui est postulato libenter assensum propter beati nostri fundatoris Ignatij vicinos penates,laremque paternum,cuius nunquam memoria consenescet. Ascoithiæ valdè propinqua Loyola est eius natale solum , qui nos in Christo generauit. hic sacellum ad tempus extruitur:quo die primum celebratum est sacrum,innumeri mortales adfuere. in nouam fabricam collata gratis pecunia est, laudandaque viduæ vnius liberalitas , quæ vrgendo operi centum aureos libenter attribuit;quę summa pro gentis inopia parua videri non debet. quidam amicus argenteum calicem dedit,& ex eadem massa patenam. Nobilis matrona nostri Patris Ignatij cognata, sericum ornamentum largita est ad sacrum faciendum. Nostrorum non modò conciones, sed etiam consilia & colloquia tanti æstimantur, vt tum è suggesto dicentes, tum domi salutaria præcipientes à plurimis audiantur. Vtriusque rei fructum correctio morum , inueteratæque licentiæ quasi fræni iniecti testantur. Nam concubinæ pulsæ, alea exterminata,comessationes compotationesque sublatæ, quæ tria publicam offensionem pariebant præter ipsarum perniciem animarum Nempe immortalis Deus ei se præbet terræ beneficum , quæ nostri Patris Ignatij aliquando impressa vestigiis, & quasi arata fert fructum.

Colle-

## *Collegium Anglicanum Vallisoleti.*

ALVMNI plures quinquaginta, eorum ferè valetudo prospera. postquam enim Collegio amplificato laxiores esse cœperunt, integra sanitate potiuntur. Iubileum, quod vigesimoquinto quoque anno Romam peregrinantibus Apostolica sedes indulget, id summus Pontifex Clemens VIII. Anglorum Catholicorum vbicumque degerent, voluit esse commune. quare nostri conuictores Iubilei animo lucrandi pia commentati dies aliquot se intra cubicula tenuerunt. Regi Philippo Vallisoleti quidam Angli adolescentuli, qui ex Audomarensi Collegio litteris humanioribus exculti Pinciam ad seueriora studia venerãt, quodam nostro sacerdote Anglo huius Collegij incola interprete, sese sistere voluerunt: eorumque vnus natus annos quatuordecim Audomarensis Collegij nomine, gratias egit ob tutelam patrociniumque Collegij, suamque legationem & Regi, & iis qui eum circumstabant regni proceribus valdè probauit. Sed quo maiorem voluptatem caperet, cuius auiditatem hic quasi primus gustus accenderat, ipsum Anglicanum Collegium cum Regina comite lateris indiuidua, visitauit die quæ diuo sacra est Bernardo. Erat Collegij templum mirificè ornatum, domumque totam paratus magnificus decorabat: quamquam in sacra æde Collegij nihil tam eminebat quàm sancti Albani Britanni Martyris reliquiæ in pretiosam inclusæ gemmam, Philippi II. donum verè regale. Loca illa, quę Rex Reginaq; obituri essent, picturis eruditis, hieroglyphicis poëmatisque fulgebant, quorum species detinebat oculos, animam sensa ipsa pascebãt. Patris Henrici Walpoli, qui Collegij

quondam Miniſter ante annos quinque martyriũ in Anglia perpeſſus, & Societatem, & hoc Seminarium nobilitarat, ad viuum expreſſa, quæ ſe cunctis monſtrabat effigies, animos vehementer emouit. In templum ingreſſos Regem ac Reginam Pater Prouincialis ſerico pallio indutus excepit: quẽ medium cinxere duo Angli ſacerdotes Eccleſiaſtico ritu linteati, Regibus Chriſtum crucifixum venerantibus. eas preces Pater Prouincialis cantauit ex libro, quas nouum Pontificale præſcribit. Surrexerat Rex. ſed cùm intellexiſſet ſancti Albani Britanni Martyris illam eſſe carnem, quæ in gemma præclariſſima ſeruabatur, denuò genibus inflexis procumbens ſanctum pignus adorauit, admirantibus Anglicanis alumnis, & quid inter Henricum hoc nomine octauum, eiuſque filiam, & inter Philippos patrem & filium intereſſet, clarè cernẽtibus. Regibus è templo ad primũ domus atrium egreſſis, alumni, qui illic expectabant, vnà & pariter genua inflectentes coniugum Regiam Maieſtatem & animo, & ipſo habitu corporis honorauerunt. inde ad exedram bini gradiuntur, quæ inſtar theatri Reges erat acclamationibus & ſpectaculis remoratura. Erat aula veſtita digniſſimè, ſed expicturis & poëmatis maior inerat loco formoſitas. Rex pictam illam poëſim, quæ tam multis in locis affixa pendebat, admiratus (erant chartę plures ducentis & ſexaginta) aſſeruari omnes iuſſit, inque regiam deferri, vt omnia ſumpto ſpatio perſpiceret. Rege intrante neruorum dulciſſimus cantus inſonuit. ſiquidem & fidibus & plectro canendi peritiam noſtri alumni conſequuntur. Erant Angli adoleſcentes ita diſtincti, vt medium locũ Theologi tenerent, latus vnum Philoſophi, alterũ clauderent Rhetores & Poëtæ: qui minimi erant primi ſtabant, mediocris ſtaturæ ſecundi, elatæ & proce-

rz

ræ postremi; apparebatq; quidam naturæ progredientis gradus in illis: omnium modestia pene incredibilis amorẽ excitabat. Fuit hoc spectaculum regni Dynastis adeò gratum, vt dicerent illorum sortem fore felicissimam, quorum liberi in hoc Seminario erudirentur. Cùm & Reges assedissent, & silentium murmur omne compesceret, bellus quidam puer ex Anglis oratione pereleganti Regis in Anglos immensam largitatem commendauit; qua finita vocum secutus est cantus. eo desinente adfuit puer ille, quem vti annuis superioribus scripsimus, pater, vt alter Abrahamus Deo obtulerat, & ab Anglia Pinciam vsque detulerat. Cumque in paratum suggestum ascendisset, Hispana lingua, quam celeriter didicerat, ad ea quæ decem diuersis linguis explicanda essent à totidẽ oratoribus, viam muniuit, attentionemque captauit. Psalmus tot linguis explanandus ille erat Dauidicus, *Domine in virtute tua lætabitur Rex.* Explicandi peroportuni psalmi consilium sapientissimi quique laudarunt, resque est perfecta feliciter linguæ illæ, fuerunt Hispana, Hebræa, Græca, Latina, Germanica, Anglica, Vuala, Belgica, Gallica, Itala. Actæ deinde gratiæ Regibus, quòd se tam humanos præbuissent oratore puerulo, qui & voce & gestu ipso multorum lacrymas expressit, Regesque ipsos emolliuit. qui puer vbi perorauit, Regis osculatus est manũ: cum Philippus extento per collum brachio amanter amplexus, cæteros omnes alumnos simili est fauore dignatus. Sic quidam ex optimatibus, qui Regi assistebant, multas epulas Philippum gustasse dixit, sed linguarum tam bene conditarum hunc cibum omnium fuisse suauissimum. hoc tempore Regij ministri cum cereis & accensis funalibus apparebant, quòd nox terras obumbrasset. Nostri quoque Patres gratias egere Regibus, & Semina-

rium

rium de integro commendarunt: quibus reddita responsio est sibi curæ fore Collegium, vbi Dei serui sint tam multi, & fides habeat certa subsidia. quin etiam Duci Lermensi ille quem alit ostensus est, quem vt vidit, paterno est amore complexus, auctorque Reginæ fuit, vt aliquorum alendorum curam susciperet; quod sibi in animo esse Regina respondit. Plura qui scire volet, eum librum legat, quem de hoc ipso argumento accuratè scriptum, & typographi officina perpolitum auctor peruulgauit. In eodem libro pulchra illa legetur historia de imagine Mariæ Virginis, quam in Gaditana illa vastitate hæretici Angli, piratæque; infames immanissimè tractauerunt: quam Martinus Padilla, qui Catholicorum classi præerat, in suo sacrario reposuit, secum præclarè actum esse ducens, quòd effigiem furiosorum gladiis deformatam Christiani doloris incitamẽtum habere meruisset: qui tamen precibus sollicitatus fatigatusque Virgineum simulacrum omni pietate colendum Vallisoletano dedit Anglorum Collegio, vt quàm Angli dæmones contemerassent, eandem Anglicani Angeli, quantum in ipsis positum esset, honorarent. Curatum est quidem, vt Rege Pinciæ commorante effigies Virginalis, quam hęretica rabies offenderat, qui illorum mos est, quos satanas arripuit, sumptuosissima pompa collocaretur: sed tempora impedierunt, quo minùs Rex Philippus adesset, Madritum reuersus exigentibus ita negotiis. sed bene quòd Regina mansit; qua præsente in ipsis nascentis Virginis Mariæ feriis, Dei matris effigies secretò ad Collegium missa, ex Carmelitanorum cœnobio, equitum nobilissimorum comitatu, ad primarium Vallisoleti templum lectica transuehitur, comitantibus Anglicanis multis ex Seminario, cereis accensis. Talem tantamque; hospitam celebri pompa

excepere

excepere Canonici, eorumque in templo innumeris accurrentibus pernoctauit. Sacræ imaginis facies obtecta interdum velo remoto mõstrabatur; sed lacrymas & fletum pia turba tenere non poterat vulnerum aspectu, quæ multa & atrocia filij matrisque sacris iconibus hæreticorum rabies imposuit. Templo iam ab interuentoribus vacuo, quos nox intempesta domum redire coëgerat, peritus quidam pingendi artifex lineamenta ad viuum expressit imaginis, quæ communicari cum multis posset, & pietatem propagare. Licet enim concisa gladiis, tamen suum habitum conseruat, & eos qui aspiciunt ad reuerentiam religionemq; componit. Die postero, in quo sacræ Virginis & Dei genitricis natiuitas anniuersariâ celebritate recolitur, Cathedralis Ecclesia festum illum diem Christianis semper augustum præcipua quadam magnificentia celebrauit. Concionatus est ex Dominicana familia Pater quidam doctus & grauis, Collegis, nostris Anglicis ante imaginem precantibus, qui quaterni succedebant: in concione tamen, & in sacro maximo totum Collegium assedit. Vespertino tẽpore pompa instituitur ad imaginem ad Collegium deducendam. Ciuitatis sodalitia vniuersa concurrunt, suum quodque vexillum & insigne prætendit. Religiosorum cuncti Ordines, itidemq; numerosi sacerdotes ex parochiis inclytæ vrbis linteati ducenti: in postremo agmine Cathedralis Ecclesiæ Canonici alba cera collucentes, quam ceteris dedêre clericis liberalitate singulari thensam argenteam, vbi erat imago Virginea. Canonici quatuor vsque ad templi valuas exportant; ex eo loco octoni Britanni Collegę vestiti Dalmaticis dulce onus subierunt. Prætor vrbanus Vallisoletanusque Senatus, Virginis ferculum corona aurea redimitæ, veloque tectæ pellucido

lucido sequebantur. Plateæ omnes præ lætitia gestire videbantur, erantque domorum parietes pretiosis ornati tapetijs. insolito gaudio omnis populus exultabat: negabant homines ætate prouecti quidquam se Pinciæ vidisse vnquam & spectasse celebrius. Collegium nostrorum Anglorum aurea erat tela vestitum, quam Regina in hunc finem commodauit: graues & eruditæ picturæ, ingeniosique versus tum vernaculi, tum latini templi vestibulum decorabant, hos habet liber ille quem diximus. Venerat in Collegij templum Regina maturè suis comitata pedissequis ex ipso flore nobilitatis Hispanæ, septaque militari custodia. Appropinquanti templi foribus sacræ imagini Regina supplex occurrit, quam ita est religiosè venerata, vt nemo non tali pietatis exemplo moueretur. quod enim miserrimę Britannorum Reginæ piratæ prædonesque peccauerant, vna quæ in orbe est Catholica Regina Margarita correxit, & hæreticorum inexpiabile scelus publico illo præconio cõdemnauit. Quidam ex alumnis oratione Latina Virgini pro templi foribus acclamauit; nec enim ædis angustiæ multitudinem infinitam capiebant. oratio vehementer approbata multos habuit, qui eius sibi exemplum postularent. Demum introducta imago est cantu symphoniaque multorum, quos & vocis suauitas & illius artis intelligentia nobilitat. Recedentibus nocte suadente, qui venerant, tamẽ Regina manet adhuc in tẽplo: cumque ei poscenti imago detecta esset, qualis & quãta religio regale illud pectus imbuisset, ostendit. per 9 ipsos dies imago in altari ad hunc vsum excitato permãsit, locusq; datus est, vt suam pietatem cõgregatio, quæq; monstraret. Quæ his nouẽ diebus pietate duce sint gesta, nõ dico: est liber in manibus, vbi hæc explanatè copioseq; narrantur.

Colle-

## *Collegium Abulense.*

ABVLENSIS ager natura ferax, nostrorum cultura segetes fundit copiosas. Nam concionatores auditorum corona non deficit, & confessariis supplicum turba non deest. & cùm diuini verbi præcones popularem plausum minimè captent, eos tamen gloria illa consequitur, quæ virtutis est comes. Rex mense Iunio Abulensis hospes à nostris dialogo exceptus, & versibus decantatus. Collegij domus tot iam annos incommoda ædificatione noua fit habitabilis. Senatus vrbis materiam ex Reip. syluis liberaliter donat ad trabes excidendas, ipsaque erit consignatio gratuita. lapides etiam quia domi nascuntur, facilius ædificare nos admonent. Priuatæ multorum eleëmosynæ, eaque prædiuites ad sumptus erogatæ. Duo ex hoc Collegio, & litterati presbyteri, & nobiles operarij ad nobile D. Martini opidum, quod Vallem Ecclesiarum dicimus, fausto pede profecti felicis excursionis initia protulerunt. Mille familias vrbecula Hispanis bene nota complectitur; ciues bene morati, & à rusticanorum consuetudine prorsus alieni. In hoc percelebri opido nostri illi duo campum adepti sunt, in quo Christiana vtriusque charitas posset excurrere. in eo tota Quadragesima commorati concionibus, confessionibus, catechismo, quem à cantu inchoabant, hortatione morali claudebant, omnium incolarum in se oculos & ora conuerterunt Nemo nobilis, nemo clarus, nemo cordatus nostrorum congressu non gauisus est; & quam poterat in sui pectoris domum quisque vtilitatem ex nostrorum aditu deriuabat. Parochi confessiones audiendi constantiam perseuerantiamque laudabant: quorum

ex

ex ore laici hoc idem admirabantur; nilque vnquam simile Vallidesiensibus eueniſſe vno ore affirmabant. Via publica gradientibus vulgò acclamabatur, eorumque felicem cunctis fuiſſe aduentum minimi maximi dictabant. cumq; in poſtrema cõcione poſt ferias Chriſti à mortuis exiſtentis vnus ex Patribus beneuolæ ciuitati vltimum vale dixiſſet, & de hoſpitio tam officioſo gratias egiſſet; gemitus & lacrymas conſeſſus ipſe reprendit, teſtes amoris, obſides voluntatis. Egit Senatus de mittenda ad Collegium grandi eleëmoſyna; ſed noſtri duo vehementer obſtiterunt; nempe quibus animorum vna ſalus ex Societatis inſtituto propoſita eſſet.

## *Epitome trium Collegiorum quæ præterea reſtant.*

BELLIMARENSE domicilium pagos finitimos ſuo fonte irrigat: qui in eo operarij cenſi vix duo, panem otioſi non comedunt.

AREVALENSE Collegiũ dupliciter ædificare non intermittit. nam & proximos gnauiter adiuuat, & habitandi dilatat anguſtias; coëmto ſolo ad templũ pro fundatoris dignitate ponendũ, qui genere clarus & pollẽs diuitiis Collegium amplè dotauit.

LEGIONENSIS noſtra domus ſui non diſſimilis perſeuerat. ex Philoſophiæ incepto curriculo alter it annus. noſtri auditores ſe morigeros præbent & ſedulos. Latinorum numeroſa ſchola vrbanis montaniſque perutilis à ſua numquam præſtantia degenerat. Hæc ſunt, quæ Caſtellana prouincia geſſit hoc anno. Deum immortalem precamur, vt Caſtellanus hic ager floreſcat quotidie magis, quem vniuerſa Societas ſemper eſt experta frugiferum.

PRO-

# PROVINCIA ARAGONENSIS.

SVNT in hac prouincia de Societate duodeviginti supra trecentos. In Valentina Professorum domo quadragintaquatuor, ex his sacerdotes vigintiquatuor, Scholaris vnus, Coadiutores reliqui. In Collegio Valentino, duo & quadraginta; sacerdotes quatuordecim, prælectores quatuor, nempe Scholasticæ Theologiæ duo, Moralis vnus, vnus item sacræ Scripturæ; Scholares sexdecim, reliqui Coadiutores. Gandiæ vigintisex, sacerdotes septem, vnus Philosophiæ professor, Scholares vndecim, præceptores Grammaticæ duo, ceteri Coadiutores. Cæsarauguſtæ quadragintaquinque, sacerdotes vnus & viginti, prælectores duo, vnus Casuum conscientiæ, alter Philosophiæ; Scholares decem, reliqui Coadiutores. Bilbili quatuordecim, sacerdotes octo, professores Grammaticæ tres, reliqui Coadiutores. Turiasonæ sunt totidē, sacerdotes septem, prælectores Grammaticæ tres, Scholaris vnus, ceteri Coadiutores. Barcinonæ sex & viginti, sacerdotes duodecim, professores Theologiæ Scholasticę duo, Scholares sex, reliqui Coadiutores. Tarraconæ quatuor supra quadraginta, sacerdotes nouem, quorum duo Nouitij, tirones Scholares vigintitres; Coadiutores antiqui sex, totidem nouitij. Gerundæ vndetriginta, sacerdotes duodecim, prælectores quatuor, nempe Grammaticæ tres, Seminarij Humanitatis vnus: Scholares decem, vnus professor Grammaticæ, ceteri Coadiutores. Maioricæ sex & viginti, sacerdotes tredecim, prælectores quatuor, scilicet Grammaticæ duo, Philosophiæ vnus, vnus etiam

Casuum; Scholares quatuor, vnus professor Grammaticæ, reliqui Coadiutores. In sede Vrgellensi nouem, sacerdotes quinque, professor Grammaticæ vnus, Scholaris vnus, reliqui Coadiutores. Domus Probationis Oriolana nondum à nostris habitatur. Auxerunt sociorum numerum vigintiseptem: minuêre decem, ex iis dimissi sex, horum tirones tres; vixere quatuor.

## *Domus Professa Valentina.*

Hoc anno è domesticis grauiter morbo tentati multi; Dei tamen beneficio conualuere omnes. Enituit pietatis profectusque spiritualis in omnibus studium vehementer, nec minus proximos solitis Societatis officiis, ad pietatem informandi cura. Admissi in Societatem tres, vnus Coadiutor, Scholares duo optimæ indolis & spei. Piis meditationibus exculti nonnulli, inter quos nobilis quidam magno cùm sui, tum multorum aliorum nobilium bono. In omnibus ferè parochiis frequenter à nostris conciones habitæ, in quarum vna verno ieiunio concionatus vnus è nostris, postulante & astante Prorege, totaq; ipsius familia, & ingenti omnium ordinũ multitudine. Copiosi fructus in dies fuere frequentes confessiones. Ad nostras ædes magni fiũt cõcursus festis diebus matutinis ac vespertinis ad conciones audiendas, ad Eucharistiæ Confessionisque Sacramenta percipienda. Sollenne est nostros ad extremè laborantes iuuandos diu noctuq; vocari. Inuisa xenodochia, aditi carceres, ad fontes præsertim extremum subituros discrimen firmandos. quorũ vnus, cùm longè res alias ageret, quàm quæ mox moriturum decerent, nostrorum suasu & industriâ ad meliorem se frugem recepit. Alius latam in se capitis

pitis sentẽtiam diuinam esse vltionem palàm professus est, non tam pro notis criminibus, quàm pro occulta matris nece. Neophytus cùm esset morte mulctandus, inductus à nostris est, vt in Christiana religione decederet: purgauit animam confessione miro sensu pietatis, tantoque animi ardore sacram synaxim expetiit, vt eam obtinuerit præter morem, & in præconcepta spe omnium animos confirmauit celebri in ipso vitæ exitu suæ fidei professione. Nobilium Sodalitas haud modica in dies sumit incrementa, datque insigne virtutis & pietatis specimen: & vt mittam cetera, hoc anno trecentos omni humana destitutos ope è vinculis liberauit. Sodalitium alterum, etsi nobilitate inferius, non tamen virtute & pietate. Inter cetera, hæc ad memoriam insignia. Sæuit hoc anno dira quædam ac pestifera lues in Valentino agro, ex hoc cœtu fermè septuaginta, & in iis non pauci nudis pedibus, duobus è nostris viæ ducibus, Deiparæ ædes (distant eæ ab vrbe milliaria nouem) Litanias aliasque sacras preces in via piè recitantes composito agmine, pro communi salute ac bono deprecaturi petierunt. Ablatæ ibi animi sordes, salubri diuerberatione corpus subactũ, summa spectantium admiratione domum regressi. Celebrarunt iidem primi celebri pompa & apparatu diem, quo B.P.N. Ignatius è viuis excessit, serico peristromate ornato sacello, in quo Patris æterni Ignatium eiusque socios Christo commendantis imago colitur. euenit res ex animi sententia; aucta hinc in ciuium animis in P. N. pietas, & eam votiua pro beneficiis acceptis donaria ad eandem aram pendentia declarant. Inducti ad id fuere Religiosorum Ordinum huius vrbis exemplo, qui eadem Religionis officia in suos Beatos exercere solent. Mitto crebras per annum corpo-

ris castigationes, & ante has narrata de more exempla. Obita etiam hoc anno Regis iussu Neophytorum opida. Maurus quidam genere & religione in extrema lucta dare Christo nomen constituit nostri illi assidentis suasu; sacroque fonte lustratus, protinus obiit. Piorum in nos liberalitas maior, vt sexcentorum aureorum æs alienum fuerit persolutum. aucto etiam sacro instrumento, ad trecentos & quinquaginta.

## *Collegium Valentinum*

EXTREMVM clausit diem P. Ioannes Baptista Giner Theologiæ professor, & quatuor votorum professus, vir probitatis, modestiæ & eruditionis laudibus insignis: in huius locum suffecti nouem, Scholares septem, Coadiutores duo. Honestarũt, vt mos est, assertiones nostras viri primarij vrbisque Consules; confluxere litterati viri quamplurimi, & ex omnibus Religiosorum familiis peritissimi quique, ea opinione allecti, quam de nostrorum eruditione iam diu imbiberunt. Erectus est paries ad domus custodiam perneccssarius; & exædificata pars domus, opus quingentorum aureorum supra millenos. Absolutæ item lipsanothecæ duæ pulcherrimæ aureis circiter trecentis, locatæ in templo die Conuersioni D. Pauli Tutelaris nostri sacro, celebri pompa & frequentia. auxit lætitiam & celebritatem Prorex ipse suo aduentu. Opificum numerus, quem scripsimus in Collegio ad verbera & exempla conuenire, vehementer hoc anno auctus, vt fermè trecenti numerentur; quantus ex his fructus percipiatur, ex iis quæ subiiciemus, aliqua ex parte planum fiet. Pia quadam & laudabili contentione suæ conditionis Sodales, de quibus suprà actum est, imitati non absimilem ad

easdem

eaſdem Deiparæ ædes ſupplicationem inſtituêre, eademque pietatis officia exercuere, impulereque alios ad ſui imitationem. Horum quidam cùm ſui oblitus quendam in foro multis coram arbitris malè verbis accepiſſet; tanto eſt ſequenti die dolore tactus, vt pertæſus facti protinus laceſſitum eodem loco conuenerit, & ad genua prouolutus, veniam ſupplex obtinuerit: ſicque honor reſtitutus, redintegrata amicitia eſt obſtupente circumfuſa plebe. Cùm comperiſſent quidam ex eorum numero, adoleſcentem colaphos matri impegiſſe, ei vt intereſſet exemplo, ſuaſerunt. nec fefellit ſpes; ſic enim eſt narrantis verbis commotus, vt nec ſuſpiria comprimere, nec lacrymas continere potuerit: domum inde regreſſus, matriſque pedes ac manus non ſemel deoſculatus veniam exorauit.

## *Collegium Gandienſe.*

VT celebres hoc anno, ita frugiferæ concionatoris noſtri conciones Quadrageſimæ fuere. Quidam qui præ concepto in inimicum odio à confeſſione diu abſtinuerat, noſtro verba facente, ita eſt propriæ conſcientiæ ſtimulis actus, vt genibus flexis iniuriam publicè condonarit. Non diſſimili exitu alius, qui dato pretio ſicarium ad inimici necem induxerat, rediit in eius gratiam. Refloreſcit in dies magis ac magis noua Sodalitas omnium ordinum, vt aliàs retulimus. Ad depellendum gliſcentem morbum, & placandam offenſi Numinis iram, eadē ferè quæ à Valentinis Sodalibus acta. Deſignarunt duos & quinquaginta, qui hebdomadis ſibi diſtributis noſocomium adirent, fouerent recrearentque ægrotos: præbuitque ſe in tam pio munere ducem Dux Illuſtriſſimus Borgia: qui honeſtos Sodalium conatus ad-

modum promouet magno omnium exemplo. Erepti item ab eisdem è vinculis ducenti. Festum diem Assumptionis B. Viginis, à qua hoc Sodalitium nomen accepit, singulari hoc anno veneratione ac celebritate egerunt. In posterum tamen Illustrissimus Dux pro ea, qua Deiparam prosequitur pietate, ad suas voluit huius festi curam curas accedere. Quibus rebus commoti vtriusque ordinis opidani egregiè sunt in Societatem animati. Exoptant etiam suam Ecclesiastici Sodalitatem; dumque facultas expectatur, instituta illis priuata exhortatio, ad quam mirum est quàm sint frequentes. Translatum hoc anno Circumcisionis festum è templo maximo, vbi quotannis agitari solitum, in nostrum: quod non vulgare fuit amoris & beneuolentiæ in Societatem argumentum. Imploratum à multis, nec frustra P. N. Ignatij auxiljum, &, vt alia omittam, celebriora tantùm, & publicis tabulis ac testimoniis comprobata attingam. Virgo quædam diu membris capta, aliisque morbis exercita, inuocata P. N. ope, integræ est sanitati restituta. Ab epilepsia alia & colico morbo, quibus miserè cruciabatur, subitò erepta. Extremè item laboranti alteri, inuocantique eiusdem patrocinium, affuit, ademitq; letho. Illustrius postremum: Mulier quædam, quæ diro poplitis dolore vexabatur, cùm iret cubitum profusis lacrymis sese B. P. N. commendat; dein somno correpta cuiusdam per quietem P. N speciem sibi obiectam dixit; videbatur sibi B. P. videre secum ita hilari vultu colloquentẽ; Quia meum inuocasti præsidium, præstò adsum tibi, vt opem feram, tactoque manu poplite omnem ab ea dolorem depulit, sequentique luce ad debitas cælesti medico grates persoluendas ad nostrum templum accurrit. Expectatumiam diu domus membrũ cœptum hoc anno

ædificari Regis Duciſque liberalitate, quorum ille aureos mille liberaliter obtulit, vt irruentibus quotannis æſtiuo tempore morbis eatur obuiam. Sacra ſupellex aucta aureis mille.

## *Collegium Cæſaraugustanum.*

DECESSIT Frater vnus Coadiutor ſingulari probitate: eius locum impleuere duo item Coadiutores. Maxima eſt in hac vrbe apud omnes Societatis exiſtimatio, in rebuſque dubiis libenter ac frequenter noſtrorum ope vtuntur. Nullus Quadrageſimæ dies abſque concione in noſtro templo prætermiſſus. In Proregis aula ter per hebdomadas cõcionatus vnus è noſtris. Ad audienda geſta Sanctorum referri ſolita per annum veſpertinis horis, ſubigendaque voluntaria afflictione corpora multi ventitarunt ad nos. Duo, quorum alter in Iberum, alter in profundum riuulum ſe dare præcipites dæmonis ſuaſu conſtituerant, noſtrorum ſuaſu meliora iniere conſilia, pateſactis confeſſione criminibus. Itum frequenter ad hoſpitales domos; habitæ piæ exhortationes in publicis cuſtodiis. Excurſum hinc quinquies in vicina opida, magna multorum vtilitate. Extincta odia, æs alienum perſolutum, erepti è diuturnis peccatorum nexibus multi; auditæ penè innumeræ confeſſiones, totius anteactæ vitæ quamplures, ab ijs præſertim, qui D. Archiepiſcopo diœceſim de more luſtranti laboris ſocii fuere. Ad Neophytos erudiendos profecti duo; nec fruſtra. pateſecerũt aliqui noxas, nonnulli totius vitæ: in ijs duo à reliquorum conuictu & conſuetudine diſcedentes cum omni familia ſeſe ad veterum Chriſtianorum cœtum receperunt; ne prauo æqualium exemplo redirent ad vomitum. Quatuor Sodali-

tia, scilicet nobilium, opificum, Theologorum & Rhetorum pietatis fructus dedêre quamplurimos. Nobilium alumnorum benignitatem experti trecenti. E custodiis publicis educti, recreatique pauperes. Eorumdem suasu & operâ Bacchanalibus diebus horas quadraginta patuit sacra Eucharistia in nostro templo ad id apprime ornato: iteratæ per interualla conciones: percepta à multis sacra synaxis. affuere Reuerendissimus Archiepiscopus Præsulque Iauetanus, magno omnium exemplo, ingens vtriusque sexus multitudo: fructus haud minor, quàm pietas, frænata multorum licentia.

## *Collegium Bilbilitanum.*

MVTATVM hoc anno domicilium in latiores ædes, composita tradendæ Grammaticæ gymnasia Concessum nobis ab Antistite ædibus ferè continens templum ad munia Societatis obeunda. Legati à viro dignitate Ecclesiastica primario aurei mille. Iustrati circumiacentes pagi in quodam illorum dissidentes multorum animi sedati. Missi duo Archiepiscopo postulante ad subortos in pago satis opulento tumultus componendos; cessit res ex animi sententia. Confessiones multorum à prima pueritia repetitæ, alijque non exigui fructus percepti. Mulierculæ duæ quæstuariæ, mutatis in melius consiliis, quo facilius non solùm a scelere, sed etiam à periculo abessent, in Conuersarum cœnobium sese receperunt. Reuerendissimi Episcopi ad hanc vrbem aduentus, celebratus est ab vno è nostris Scholasticis eleganti oratione, summa omnium voluptate. Transferebantur D. Eneconis reliquiæ ad paratas sedes eximia pompâ; quæ cùm Collegium nostrum præteriret, excepta fuit à decem pueris ex iis, qui nobis

dant

dant operam, apprime ornatis, multigena carmina in sancti viri laudem recitantibus: qui dein totidem faces manibus præferētes religiosum agmen religiosè sunt prosecuti. Diuertit ad nostras scholas Antistes, fuitque ab earum alumnis dramate donatus, quod ipsi ceterisque è prima nobilitate viris gratissimum accidit.

## *Collegium Turiasonense.*

VIXIT Coadiutor vnus probatæ virtutis. Accitus in nostrorum numerum scholaris non vulgaris spei. Partheniani alumni haud exiguos in probitate fecere progressus. Philosophiæ curriculo dedêre finem publicæ theses magno omnium applausu, & existimatione doctrinæ. Antistes crebra in nos beneuolentiæ signa ostendit: interest haud rarò litterariis exercitationibus. Nec defuit aliis nostrorum opera. concionatum sæpe; acceptæ confessiones, traditus catechismus, inuisi ægri; nec animorum modò præsidiis, sed etiam subsidiis corporum instructi. ad carceres itum. confirmati extremè laborantes. Habitæ conciones per Quadragesimam in templo primario maximo fructu. Missi hinc aliqui ad confinia, non inutiliter laborarunt. extincta fuere exardescentia odia, & redintegratæ amicitiæ. Accidit in hoc Collegio quiddam ad eos, qui sese Societati dant, in sententia confirmandos oportunum. Nouitius quidam relictæ cognatæ nimio amore, & redituum Ecclesiasticorum spe allectus, castra deseruit; sed paulo pòst spe delusus, & à cognata, apud quam iacebat ægrotus, in nosocomium missus, diuinam est expertus vltionem, hisque miseriis afflictus miserè obiit.

## *Collegium Barcinonense.*

MIRVS auditorum externorum, vt sæpe scriptum est, ad nostros doctores concursus. Annuas theses illustriores reddidere Prorex Illustrissimus, omniumque ordinum viri grauissimi; iucundum planè omnibus spectaculum, probataque respondentis doctrina. Ea est omnium de nostris existimatio, vt non rarò de quæstionibus ad officium Christianum pertinentibus cùm ab omnibus consulantur, tum maximè ab Episcopo. Vtraque congregatio, scholasticorum scilicet & opificum, litteris, virtute & pietate sit in dies illustrior. Scholares alumni litterariis exculti exercitationibus, recitatoque coram Antistite iucundo dialogo, non vulgare eruditionis & ingenij specimen dedêre. Ex horum cœtu tres Societatem ingressi. Probatur omnibus opificum probitas: experti caritatem octoginta vincti, qui horum operâ, vinculis soluti sunt. recreati item ægri, & stipe collecta, induta egenorum corpora. Quibus rebus permoti Episcopus, & xenodochij præfecti quingentorum aureorum annuos census in hæc pia opera expendendos, eorundem curę commiserunt: quorum tanta est in commisso munere sollicitudo, opera & industria, vt ab eo tempore magna ex parte sit decedentium numerus imminutus. Christianæ doctrinæ summa quatuor in locis exposita diebus Dominicis. Non inutiliter laboratum solitis Societatis officiis. magnus præcipuè confessionum fructus. Religiosus quidam, qui exuto habitu miserè aliquot annos extra Religionem diuagabatur, vni è nostris confessus, recursantibus animo melioribus cogitationibus, eò rediit, vnde non licuit discedere. Ad exempla, & eam quæ

subse-

subsequitur, diuerberationem non minor, quàm superiori anno concursus.

## *Domus Probationis Tarraconensis.*

SPECTATA est tironum virtus in domesticis officiis; in peregrinationibus, patientia; caritas, in recreandis nosocomiis. Missi non pauci nec rarò ad circumiacentes pagos ad doctrinæ Christianæ capita tradenda, vnde multis parta salus. Nec suo muneri defuere veterani in lustrandis custodiis publicis, audiendisque confessionibus solliciti. & par labori perceptus fructus. Cùm quidam morti addictus ad supplicium duceretur, & reliquos in itinere cruciatus impatienter admodum pertulisset; ab vno è nostris patientiam edoctus, non solùm præsentes cruciatus horrere desiit, sed maiores multo, quin & in frusta discerpi pro resarcienda sceleribus illata Numini iniuria ardenter exoptauit. Ara maxima templi exornata, & tabula egregiè depicta. Ad id, quod ante verbera narrari solet exemplum, præter auditores quamplurimos, Archiepiscopi Collegij alumni omnes vnà cum præfecto accessere.

## *Collegium Gerundense.*

PIIS diuinarum rerum commentationibus fermè omnes domestici hoc anno perpoliti alacriùs in proximorum vtilitate operas suas posuerunt. Concionator noster diebus Bacchanalibus coërcuit multorum licentiam: cumque pro concione vinctos, & occultos præ pudore pauperes valdè commendasset, ostiatim ipse quæritans eleëmosynam, collegit abundè, & diuisit vtrisque. Offenderunt nostri de more nosocomium inuisen-

tes

tes morti proximum, qui quatuordecim annos in Societate egerat; inuasit exactum, vt narrauit ipse, malorum ac miseriarum cumulus vnà cum summa egestate ad extremum vsque diem. Quinis locis in vrbe & extra traditus catechismus non minori fructu, quàm frequentia: nec minor confessionum vtilitas. Liberata è potentioris impotenti libidine feminæ cuiúsdam pudicitia. à fraude dæmonis alia erepta, quæ graue crimen in confessione diu celauerat, sibi falsò persuadens ad cælestem percipiendum panem licuisse illud soli Deo confiteri. detexit illud, ceteraque vitæ totius, & in arrepto virtutis studio constans persistit. Missiones hinc aliquot solito fructu. Congregationis alumni consuetis pietatis & charitatis operibus intenti. Cùm in aliis litterariis certaminibus, tum maximè in eo, quo veteri maiorũ religione solet hæc vrbs Conceptionis Deiparæ festum celebrare, Scholastici qui nostris dant operam palmas omnes retulere: quo aliqua ex parte sedatus in nostras scholas excitatus turbo, & quod in hac re caput est, summa est in nos Episcopi beneuolentia. Is circumcisionis die apud nos prandere voluit; concionatum inter prandendum senis linguis audientium aures valdè demulcentibus.

## *Collegium Balearicum.*

EVOLAVIT ad superos P. Hieronymus Pical, vir non vulgaris eruditionis, nec inferioris virtutis. Acciti in nostrorum numerum duo magnæ spei adolescentes. Sacellum maximum dolatis lapidibus constructum. Excursionum per insulam copiosus fructus. Cùm decreuisset quidam in melius mutare consilia, expiauit confessione crimina; delusus diabolus ægrè factum ferens, ingentis co-

lubri

lubri ſpecie illius ſe oculis ſequenti nocte obiecit, ſuaſitque ſpe omni veniam obtinendi depoſita ſupremum adire diſcrimen. ſurrexit illico obſtupefactus, munituſque ſigno crucis & luſtrali aqua fugauit mõſtrum, & ſacrorum myſteriorum præſidiis frequenter munitus, ereptus penitus eſt à pertinaci dæmonis oppugnatione. Illuſtre edidit miraculum B.P.N. Ignatij chirographum, cuius virtutem experti ſunt ſæpe aliàs incolæ. Deſperata erat cuiuſdam puellæ ſalus. accurritur ad vltimum præſidium; affertur laboranti ſubſcriptio; hanc venerabunda deoſculatur. nec vota fefellit euentus. popoſcit indumenta poſt biduum, ſe valere dictitans, breuique ſurrexit è lecto. Inſtituta de Chriſtianis officiis prælectio non exiguos parit quotidie fructus, iis præcipuè, qui à noſtris extra inſulam Theologiam audire non poſſunt.

## *Sedes Vrgellenſis.*

EMPTVS hoc anno oportunus ſitus ad domum à fundamentis excitandam: collati ad opus à fundatore aurei quatuor mille, & mille præterea ad libros, alioſque domeſticos vſus. Circumciſionis primum feſtum multitudine, & Epiſcopi concione inſigne; is egregiè pro concione Societatem commẽdauit. Concionatus vnus è noſtris in templo maximo Quadrageſima tota matutino tempore, alter diebus feſtis veſpertino. Profecti hinc aliqui ad vicinos pagos, multis profuere. Abolita iurandi conſuetudo, reſtincta odia, redintegratæ amicitiæ, & alia pleraque magno multorum bono peracta; ſed vt imperatæ breuitati conſulam, referam tantùm duo. Mulier in montem proximum lignandi cauſsâ profecta, cùm ſubiiſſet animum opprimentium calamitatum, paupertatis præſertim,

tim, cogitatio, doloris vi illacrymare cœpit. affucit illico humani generis insidiator habitu & forma sicarij, cognitaq; caussa doloris mœrentē domum redire iussit, arcam pane refertam domi promittens: Quòd si, inquit, huc cum filiis in crastinum regrediare, & te ad maritum ducam, & ingentem conferam auri vim. Rei magnitudine obstupefacta mulier inuocat Deiparæ nomen: euanuit illicò diabolus horrido strepitu. pergit inde domum, promissos inuenit panes, eosque sine mora filiis distribuit. Sed vix ante cibum Iesv nomen protulit, cùm totus ille panis cumulus spectantis oculos effugit. Narrauit hæc nostris, & ab iisdem dæmonis insidias edocta est. Altera à periculo Christianæ fidei deserendæ, ob contractam cum lamia amicitiam, & à turpi cum dæmone ipso consuetudine, nostrorum ope erepta. Apertum anno vertente Grammaticæ gymnasium, datum lectionibus initium eleganti oratione, præsente Episcopo, aliorumque multitudine, nec sine plausu & gratulatione.

## PROVINCIA BÆTICA.

Est hæc prouinciæ Bæticæ vinea in septemdecim distincta areolas excultas vitibus quatercentum & octoginta, quæ à cælesti cultæ vinitore cælestibus irrigatæ pluuiis, quo magis sunt diuinis grauidatæ muneribus, eo fœtu vberiore turgescunt. Alit enim domus Professa sexaginta & tres, Collegium Hispalense plus vnum; Cordubense duodeseptuaginta; Granatense quinquaginta; Tregue-tense viginti; Malacense vnū plus; Biacense quin-

decim;

decim; Vbedense septem; Xerense decem; Gaditanum duodecim; Astigitanum quindecim; Fraxinetense septem; Caçorlanum quatuordecim; Guadixiense sex; Anglicanum octo; Montellanum septuaginta; Marcenense quindecim; Residentia Antiquerana quinque. Ex his generosis vitibus duæ & viginti ad cælestem traductæ sunt vineam, vt in fœcundiore consitę solo suis onustæ racemis magis lætæ, & largioribus alimentis satiatæ consurgant: in earum tamen loca substitutæ sunt duodequadraginta.

## *Professorum domus Hispalensis.*

NOSTRORVM sacerdotum charitas ad confessiones omnium, qui confluunt excipiendas; ad vinctis, qui sunt in carceribus omni Sacramentorum subsidio penitus destituti, opem ferendam; ad rudes doctrina mysteriorum fidei poliendos, atque ad nosocomiorum ægrotos subleuandos extenditur. Conciones assiduæ tam in principe templo, quàm in insignioribus vrbis parochiis, sanctimonialiumque cœnobiis habentur. Per totam hebdomadam in nostro templo ab vtroque sexu iuge conuiuium corporis Christi Domini celebratur. Itum est ad turpis quæstus domum, vbi tanto cum spiritus feruore à quodam è nostris concionatum est, vt aliquas ex illis mulierculis ab infami corporis diuulgatione, ab infamique lupanari ad Conuersarum claustra transtulerit. Inter eos, qui veluti oues errabundæ sunt nostrorum operâ ad bonipastoris pascua caulasque traducti, insignis quidam extitit, qui cùm dæmonis arte deiusus cogitaret, sibi à Deo iussum fuisse, vt sibi violentas manus inferret; nostrorum monitis ad sanam reuocatus est mentem, sibique à dæmone fucum

fucum factum fuisse cognouit. Alterius aduerso quodam fortunæ casu perculsi, vrgente præsertim dæmone, ita mens fuit de suo statu deiecta, in eamque redacta desperationem, vt se laqueo suspendere meditaretur. hic casu nostram venit domum; quem cùm de nostris sacerdos videret deambulantem inscius animi perturbatioris, illum ad confessionem incitat. titubat ille primò, & hæret magnæ præferens trepidationis notas. sensit illico sacerdos noster ex vultus perturbatione animum perturbatum, instatque: cuius hortamentis, & internis diuinæ dextræ impulsus motibus, perturbatus homo confessionem init, lacrymabundus prosequitur; tandem sacrosanctæ confessionis virtute tranquillatus finit. Nec solùm contra cupiditatum animorumque turbationum æstus, sed etiam contra irarum incendia, & contra aliena bona retinentium auaritiam pugnatum est. Placatus namque fuit cuiusdam animus, quem iracundiæ titillabat effusio, & paternæ iniuriæ vltionis suauitas exstimulabant. Quingentorum etiam aureorum summa per summam retenta nequitiam ad suum dominum rediit. Audicti erant igni decem, & sex iure, in nefandæ libidinis pœnam. hi siue dilationem supplicij quærentes, siue miserorum, vt aiunt, solatium, socios videlicet suę pœnæ patrati facinoris, vt reos, innoxios tamẽ, subdiderant multos; nostris tamen admonentibus ij, quæ facta dixerant iniustis criminationibus, postea infecta fuisse dixerunt, & quæ olim fuerant dicta, retracto postea iudicio fecerunt indicta. Pestis quæ superiore anno in vniuersam ciuitatem peruagata desęuiit, hoc in aliquas eius partes irrepsit, & sic nostris non defuit amplissima seges. nullum siquidem iis, quos vis perculerat morbi, è nostra domo officij genus abfuit. Quare ita sunt ciuitatis

incolæ

incolæ bene erga nos animati, vt præterquã quòd ad victum cultumque suppeditant necessaria, munificis tandem eorum subsidiis nostræ domui sit pene fastigium impositum. Nec solum intra vrbis mœnia sese continuit nostrorum ardor, sed ad alia quoque pertinuit opida. Duo sacerdotes in opidum Carmonæ sunt destinati, vnde quasi ex copiosissima messe laborum spicis turgentibus quàm onusti redierunt. In hoc opido cùm nefarius quidam homo iudicis sententia sagittis esset confodiendus, diabolico dolo ita obduruit, vt salutaria nostrorum ad confessionem hortamenta obstinatè respueret: tandem pia contentione fractus in sese rediit, fœdumque peccatorum enomens virus sese ad necem subeundam ritè disposuit. Excursum est etiam in oras illas, quæ tynnorum piscatu celebres sunt: vbi à duobus Societatis sacerdotibus ita fructuosè nostra sunt obita ministeria, vt nullus nõ ex tanta hominum multitudine, quæ piscatui operam nauat, conscientiæ maculas Sacramento confessionis absterserit. Est iam ad rectum perducta clericorum Sodalitas, cuius anno superiore iacta fuerant fundamenta. suum illi nomen dederunt septuaginta, quibus tres Ecclesiæ Canonici cum ipsius Ecclesiæ iudice voluerunt adscribi. Mirum sanè est quanta ex hac Sodalitate in vniuersam vrbem efflorescat vtilitas. Illius enim Sodales nequaquam sua modò salute contenti, proximorum quoque saluti operam dant. Xenodochia frequentant & carceres, expoliendis catechismo ad baptismale lauacrũ accedentibus suum quoque tempus impertiunt. Cùm cuidam ex his Sodalibus laicus audaciùs, quàm par erat insignẽ propalam impegisset alapam, tantum abfuit, vt Sodalis meditaretur vltionem, vt potius vltro donaret iniuriam, obuiumque illum officiosè sem-

per nullatenus tamen officio respondentem salutaret, perinde ac si ab illo nunquam tali esset iniuria concisus. Est hæc Sodalitas sub patrocinio Conceptionis purissimæ Beatæ Virginis, cuius vocationem miro sanè modò sortita est. Cùm Sodales omnes quodam Quadragesimæ die in xenodochium conueniissent, postquam omnia erga ægrotos charitatis munera obiere, precibus ad Virginem præfusis de vocatione eligenda sortes miserunt: tandem pueri cuiusdam iacentis in lecto ministerio purissima Conceptio Virginis sorte exiit. quamobrem Sodales omnes gratulabundi in genua procubuere Deiparæ gratias referentes, in cuius gloriam anniuersarium festum instituentes, hoc anno illud maxima celebritate peregere. Suum obiere diem Pater Franciscus de Herrera, Pater Antonius Crespo, & Pater Ioannes de Soria, viri profectò veri Societatis filij: & tres Fratres Coadiutores, inter quos Franciscus Bereña claruit omni virtutum genere insignitus. Hæc autem quæ de hac domo ceterarum omnium huius prouinciæ quasi parente dicimus, confessiones videlicet exceptas quamplurimas, restitutiones factas, frequentem Sacramentorum vsum, conciones habitas, nosocomia & carceres inuisa, catechesis institutionem, multos à flagitiosis amoribus reuocatos, ea ne sint locis singulis iteranda, de vniuersa prouincia intelligi volumus: quæ autem vnicuique Collegio peculiaria sunt, recensebimus.

## *Collegium Hispalense.*

QVAMVIS præcipuus huius Collegij scopus iuuentutis confluentis in litteris & virtute institutio sit; ad ceteros tamen omnes, qui confessionis ergò concurrunt, nostrorum quoque pietas redundat.

dundat. Mirum profecto est quàm arctus Dei beneficio mutuæ concordiæ nostrorum animos in hoc Collegio nexus astringat. Fratres Scholastici præterquam quòd in suis excolendis animis occupantur, eorum etiam charitas non domesticis solùm sese continet tectis; sed foras erumpit, & dimanat ad exteros. Ipsos namque diuinæ gloriæ cupiditatis admotis facibus suus quoque amor proximorum salutis inflammat, cui procurandæ viribus totis incumbunt. Excurrunt singulis festis diebus per vniuersam ciuitatem, ad otiabundos omnes in aliquod templum cogendos, vt Missæ interfint sacrificio, ad illorum conuenticula ad lusum aleatoriæ pagellæ discutienda, atque ad abiectissima huius ciuitatis capita, mancipia videlicet & Æthiopes, instruenda catechismo. Insignem apud omnes litterarum existimationem sibi scholę nostræ pepererunt. Idem hoc anno, qui superioribus in B. Virginis Annunciatæ Sodalitio ordo retinetur. Duæ denuo conflatæ Academiæ, ex quibus veluti ex seminariis quibusdam quinquaginta scholastici, vt generosæ plantæ sunt in varios Religionum hortos translati. Maiora in dies doctrinæ Christianæ schola recipit incrementa, ad quam maximus virorum cogitur numerus; non solùm vt fidei imbuatur elementis, sed vt sacra præmissa lectione piam aliquam ad virtutes cohortationem excipiat. Est aucta sacra supellex; noui libri accessere bibliothecæ; scholis licet adhuc vltima non sit imposita manus, hoc tamen anno illis inductum est tectum, solumque stratum lateribus. Excessit è vita Pater Hieronymus de Zaragoza, quem omnium virtutum illustrabat splendor: qui sic discipulorum per ipsos sex & triginta annos (tot enim fuit Grammaticæ facultatem professus) animos ad se conuertit, vt illum ar-

dentissimo pari admixto reuerentiæ prosequerentur amore, cuius potissimùm in die obitus sui dederunt specimen, cùm omnes collacrymabundi suo amantissimo parenti parentarunt. Excessit etiam Pater Didacus de Leon, cuius mentí cos proximorum salutis ardor subdebat igniculos, vt cùm assidua impediretur febri, adhuc tamen in Indos missionem procurandi sese, cùm rectè valeret, obstrinxerit sacramento.

## *Collegium Cordubense.*

CORDVBÆ tam doctrinæ studia, quàm spiritualia ministeria, qua solent, sedulitate tractantur. A nostris namque Fratribus externisque scholasticis magna cum frequentia, non minori cum laude publicæ disputationes sunt habitæ. Aliqui in hoc Collegio pia instruentes agmina in publica ciuitatis egressi sunt loca, in quibus habito de re diuina sermone quàm plurimos secum ad animi vulnera confessionis medicamine sananda reduxerunt. nec tamen intermittitur catechesis: illa namque rudibus explananda peculiari studio suum quoque tempus insumitur. Nostrorum ardor in animis pietate imbuendis Dei munere hoc anno illustriùs emicuit. Omnes siquidem sese mutuo lacessentes vltro summis à P. Rectore precibus contendebãt, vt concederet vnicuique à quotidianis domus exercitiis ad diuinarum rerum commentationem animum seuocare, vt inde ad ministeria peragenda alacrior rediret & vegetior. nec nostri solum, sed externorum etiam quamplurimi spiritualibus exercitiis ad pietatem informari non sine fructu voluerũt. Vt reliquas laudes Sodalitij B. Virginis sileam, ita se illius Sodales instituunt, vt non modò custodias publicas, & noso-

nosocomia ciuitatis frequenter inuisant; sed conterminos etiam Cordubæ populos Societatis sacerdotum imitabundi discurrant, omnia constanti animo ob sua ministeria oblata stipendia respuentes, ita vt verè in Societatis gremio lacteq; educati esse videantur. Itum est in Ramblæ & Montis Maioris opida. est cum Episcopo Cordubensi diœcesis vniuersa lustrata: vbi duo è nostris sacerdotes multorum amicitias publico malo dissolutas reglutinantes, virorum mulierumq; conscientias variis peccatorum tricis impeditas enodarunt. E corporis vinculis abiere Pater Didacus de Barajas, qui virtute prudentiæ apprimè insignitus Societatis legum fuit obseruator exactus. Pater Nicolaus de Rus, qui insigni cum Societatis existimatione, & vberrimo discipulorum fructu animum per ipsos septem & viginti annos Grammaticæ elementis tradendis applicuit. Pater Andreas Rodriguez, qui dum vixit inter nos in miram quandam morum suauitatem, in sui despicientiam & animi summissionem acquirendam proram suę contentionis obuertit. Petrus Lainez studiosus Philosophiæ, qui sui omnibus tam in virtute quàm in litteris expectationē concitauerat. Franciscus Nuñez, maxima virtute præditus Coadiutor tiro. septem tamen rerum humanarum despicientiam edocti sæcularem vitam cum nostræ Societatis disciplina commutarunt.

## *Collegium Montellanum.*

IDEM qui semper in Societatis ritè exequendis muneribus vitæ cursus tenetur. certatim enim opidanis vsurpantibus Sacramenta officia debita præstantur à nostris. nec industriæ infructuosus respondet euentus. In scholis B. Mariæ Annuncia-

tæ conflari cœpit Sodalitium, & vt principia sese explicare cœperunt, vberrimos nobis fructus conflatum promittit in posterum. Est inita in finitimum opidum expeditio, quæ ob conscientias aliquorum in impuro libidinum cœno volutantium expiatas perutilis fuit. Confluunt adhuc ad nos quotidie vespere clerici virique primarij, qui vno comitante de nostris tres ipsas horas Sanctorum exemplis lectitandis, serendisque de rebus diuinis sermonibus cum magna totius opidi admurmuratione traducunt. Scholastici plures, opidanorumque quamplurimi binis saltem diebus hebdomadæ in nostro templo acri se verberatione castigant. Quatuor clerici spiritualibus meditationibus sunt expoliti, ex quibus tantus in eorum mentibus fructus efloruit, vt nisi negotiorum aliunde detinerentur vinculis, duo sese iam Societatis vinculis adstrinxissent; adhuc tamen Dei pietate hoc animis consilium coquunt, vbi tempus commodum appetierit, erupturum. Tironum cura, & vigilandi labor in domando passionum impetu, excolendisque pietate animis summa sedulitate consumitur. sunt omnes ita integræ solidæq; virtutis sitientes (ob quod Deo potius agendæ sunt gratiæ, quàm eorum prædicanda sit laus) vt in virtutis itinere capessendo ardor ad id adiuuantium exercitationum flabello quotidie magis excitatus igneſcat. Ereptus est ex huius vitæ miseriis ad cælestia gaudia Frater Ioannes Rodriguez, antequam doctrinæ & virtutis eximiæ acquisitam supellectilem proximorum oculis explicaret. auxerunt nostrorum numerum quinque & triginta, inter quos insignes duo extiterunt, Pater videlicet Iosephus de Alderete, & Pater Ioannes de Leyua; qui cùm ille esset Cordubensis Ecclesiæ Canonicus, fuissetque Hispalensis & Cordubensis diœceſis

diœcesis Vicarius generalis, hic verò Collegij Hispalensis collega, nunc verò sacelli Regij Granatensis Capellanus; omnibus his nuncium remittentes sese in nostra Societate incluserunt, suos labores meliùs collocatos fore putantes, si eos ad Christi conuerterent famulatum.

## Collegium Biacense.

LAXATÆ hoc anno sunt quotidiani victus angustiæ, auctumque sacrum ac domesticum instrumentum. sacrum nobilium feminarum prolixis donis: domesticum liberalitate Doctoris Blasij Messia Giennensis Canonici; qui cùm nonaginta & eo ampliùs annos explesset, nobiscum vitæ reliquum commorari precibus exorauit, vbi ex venia P. N. Generalis in Societatem in extremo spiritu adscriptus, bonis onustus operibus, migrauit è vita. Is adhuc viuens præter quadringentorum aureorum censum in annuum victum, alios mille quadringentos numeratos in domus ædificationem, & redemptionem census cuiusdam erogauit. Academiæ publicæ auditores (vbi ex nostris vnus Theologiam summa cum omnium acclamatione profitetur) ad nos assiduè confluunt, & diebus sabbati, nostris hortatoribus ac ducibus, valetudinaria adeunt, ægrotos inuisunt, flexisque genibus certatim interueniunt. Femina quædam publico malo primario viro turpi adstricta pellicatu, ad bonam frugem se vnius è nostris concione recepit. Nec non excursiones obitæ in opida suburbana, ex quibus haud pœnitendus partus est fructus.

## Collegium Vbedense.

EMICVIT hoc anno Societatis industria in publicis ciuitatis dissidiis mira dexteritate discutiendis. Huius dexteritatis industriæque haud

obscura præbuit indicia grauissimum negotium, ad optatum exitum à Societate perductum. Inter huius vrbis in spiritualibus & temporalibus capita, quæ sese mutuo acri verborum contumelio-sorum perstrinxerant morsu, coortum est graue dissidium, grauissimum portendebatur vtrimque malum; eos namque dissidij flamma ex mutuæ animorum contumaciæ pabulo spiritus hauserat, vt nisi Dominus suam interponeret dextram, nulla hominum industria comprimi posse viderentur. Id Societati ab Episcopo Giennensi demandatur negotium, capessitur à nostris, tandemque diuinæ interpositu dextræ, nostrorum opera sunt controuersiæ omnes, magno vtriusque partis consensu, & magna totius vrbis admurmuratione dirimtæ. Duæ virgines, quæ a duobus principibus viris fuerant ex parentum domo ad turpem abrepræ pellicatum, à nostris ad suas reuocatæ sunt domus; & sic parentum animi ira furentes ad summam traducti lenitatem. Ad sacram augēdam supellectilem, & templi inchoati fastigium, librosque bibliothecæ emendos aliqua nobis incredibili largitate sunt donata subsidia.

## *Collegium Gaditanum.*

IN insula Gaditana præter incolas nautica turba non parum nobis facessit negotij, cuius confessionibus non minore vtilitate, quam labore excipiendis inclamatur, accessit & illud, quòd pestilens lues in aliquas vrbis partes sese violenter intrusit, sicque fuit à nostris in xenodochio & carcere tali fœdatis contagione subuentum. Nostrorum monitis aliqui per sacram confessionem fœdum peccatorum virus, quod vel per nequitiam, vel per obliuionem numquam eruperat, vomue-

runt.

runt. Cuidam ad vitia proiecto, & in cœno turpitudinis miserè volutanti à nostris iniectum est frenum, porrectaque manus, vt de illo miserrimo statu tandem emergeret aliquando. Cuius saluti pietas Domini prouidit optimè: illum siquidem paulo pòst ex huius vitæ periculis ad cælestis trãquilliratem seuocauit. Cuiusdam è nostris operâ militis nobilis ceruices sententiâ iudicis iamiamque feriendæ securi ex ipsius, vt ita dicam, carnificis manibus fuerunt ereptæ. Incola quidam pensile candelabrum nostro templo purissimo ex argento confectum, in vsus luminum consecrauit. Alter effictam pueri IESVS imaginem tribus ornatam vestimentis donauit.

## *Collegium Xerense.*

IN Xerensi Collegio nostri de more spiritualibus meditationibus instructi, ad laborandum in vinea Domini sese totos finxerunt: nec immeritò. industriam namque fructus exæquauit proximorum: vir siquidem ex primariis totius vrbis, qui inueteratas cum alio inimicitias gerebat, audita cuiusdam è Societate de condonanda iniuria concione, ita se repentè commouit, vt multis coram deposuerit odium, & quamplurimos abruperit codices, quos ad vrgendum aduersarium instruxerat. Nostrorum operâ præstitum est, vt publicæ ciuitatis viæ, quæ impudicis puerorum cantibus replebantur, nunc pudicis resonent. Excursio in vrbem Archobrixiensem inter insignes quos edidit fructus, hic insignis eluxit. Matrona quædam nobilissima vitionis in virum nobilem, à quo fuerat inusta graui ignominiæ nota, ita mentem alebat, vt quotidie magis obdurescens multis religiosis viris se præferret inexorabilem: rigidæ in-

ſtar petræ noſtrorum tamen verbis in blandiſſimam conuerſa ceram, ſibi quidquid noſtri de iniuria remittenda dixerunt, impreſſit. Sacrum auxit inſtrumentum caſula auro gemmiſque diſtincta, cymbalum quoque; quæ aureis mille ſteterunt.

## *Collegium Triguerenſe.*

CONCIONES in hoc opido miros habent, Deo fauente, progreſſus; ſed hoc anno mirabiliores habuerunt. Vir ſiquidem ex totius opidi primariis, qui ſuam domum veluti aleatorij luſus tabernam habebat expoſitam, audita de terribili Dei iudicio concione ita fuit commotus, vt publico luſui ſuæ domus aditum intercluſerit. Noſtrorum induſtriâ fuerunt duo alij proceres opidani ad mutuam animorum concordiam reuocati; quorum alter aduerſarium ad pugnam laceſſitum expectabat in agro: vnde mutua cædes, & inter conſanguineos ſæuiſſima imminebat ſeditio. ſed cuiuſdam è noſtra Societate ſacerdotis interuentu hoſtilem exuêre ſæuitiam, & fraternam quamdam induêre lenitatem. Excurſum eſt in finitima opida: quorum in vno cuiuſdam ſacerdotis parens, qui ſuum filium multis coram in templo calcibus & pugnis acceperat malè, quique nulla poterat adduci ratione, vt à filio peteret veniam, vt excommunicationis vinculis ſolueretur; tandem cuiuſdam noſtrorum ſacerdotis, & Patris Rectoris hortamento adductus eſt, vt in ipſo eodem templo propalàm ad filij pedes obuolutus audaciæ ſuæ veniam exoraret.

Colle-

## *Collegium Marcenenſe & Aſtigitanum.*

MARCENENSIS ſedes quamuis ex reliquis Societatis noſtræ miniſteriis quibus excolitur, opimos referat fructus, agminibus potiſſimùm piis, quæ ducuntur ad forum, optato reſpondit euentu. Adoleſcens ſiquidem, qui, cùm eodem tempore puerorum agmen appetebat forum, in illo ſeſe habebat, nullis potuit alterius adoleſcentis illum è foro conantis extrahere, impelli motibus, quin concionem ſacram expectaret audiendam; audiit & intimo cordis ſenſu percuſſus mulierculæ remiſit nuncium, cui pellicatus vinculis tenebatur adſtrictus: & tantum abfuit, vt ipſius mulierculæ importunis poſtea cederet tentamentis, vt illa potiùs conſtanter reſpuens, ad fortiùs reſiſtendum in matrimonij cõfugerit arcem. Maximus eſt virorum mulierumque confeſſiones ſacrumq; conuiuium adeuntium numerus, quem præclariſſimum Ducis Archobrixienſis inuitat exemplum. Opidanorum in nos liberalitas elucet maximè, & hoc potiſſimùm anno in centum aureorum eleëmoſynæ largitione, ad quandam domus noſtræ labantem deambulationem fulciendam, ſeſe clariùs explicuit.

In Aſtigitana vrbe à noſtris minùs commodum cum magis commodo commutatum eſt ſolum, vbi duæ contiguæ emtæ ſunt ædes, in quibus noſtri poſſent dilatari liberiùs. Confectum curriculum Philoſophiæ initus alter curſus excepit. Rhetoricæ & Grammaticæ lectionibus, alia Caſuum cõſcientiæ acceſſit explicatio. Iis qui detinentur in vinculis confeſſione purgatis, ſæpe à noſtris primùm cæleſtibus Euchariſtiæ epulis, ab

externo

externo deinde quodam nobili terrestribus saturantur.

## *Collegium Caçorlanum.*

INVISVNTVR à nostris loca finitima. Sacramentorum in hoc Collegio vsus assiduus est. Totius anteactæ vitæ factæ sunt confessiones non paucæ. Quidam cùm publica omnium offensione viueret, postquam nostrorum operâ pœnitentiæ Sacramento est ablutus, nullatenus postea potuit induci, vt idem repeteret flagitium, quo se cum alio obstrinxerat, licet ab illo precibus minisque impelleretur. Alter quadam visione perterritus, in qua sibi per quietem de obliuione confessionis corripi videbatur, statim cuidam è nostris omnes sui animi labes magno anteactæ vitæ dolore, futuréque emendatione propositâ detexit. alij à pellicatu ad continentiam, aliique ab animorum dissensione ad pristinam concordiam sunt reuocati. pecuniæ quæ vi & tyrannide fuerant vsurpatæ, ad suos dominos rediere. In carceres & in xenodochia à nostris itum est assiduè: in quibus non minùs animis quàm corporibus ægrorum suppeditatus est cibus. Subleuata est inopia eorum, quos pudore à corrogando victu deterritos fames vexabat. Militum cohortibus, quæ in hoc opidum diuerterunt, veniâ priùs à ducibus impetratâ, à nostris dictus est dies, in quo cùm confessionis lauacro animorum sordes abluissent, sanctissimo Dominici corporis cibo refecti, festum Deiparæ ea qua potuerunt pompa celebrarunt. Ad pia agmina quæ ducuntur ad forum, ad diuerberationemque, quæ in nostro templo fieri solet, præter scholasticos, magna laicorum multitudo confluxit. In quadam domo earum, quas hoc Collegium

gium præter conuictorium in hospitia scholasticorum destinauit, adolescens quidam ita se in castimoniæ integritate retinenda fortiter gessit, vt cum à quadam muliercula muneribus diu instigatus esset, numquam tamen suum animum flectere voluerit. Decreuit tandem muliercula se in adolescentis hospitium dare. excogitatum exsequitur, pulsat ostium: tum ille arrepto feruentis aquæ lebete per fenestram supra mulierculam effundit. sicque feruentis aquæ ardore libidinis ardor extinctus est, adolescensque in posterum euasit incolumis. Conuictorij fama per hanc prouinciam increbescit. conuictores quinquaginta numerati sunt; quorum sex cum duobus laicis spiritualia exercitia peregere.

## *Collegium Malacitanum*

QVAMVIS apertissimus semper in hac Malacitana vrbe explicetur campus; nunc tamen sese apertior explicuit, in quo Societatis explicaretur industria. Cùm enim pestilentiæ virus adspersam primò vrbem, eam penitus infecisset, aliquique essent destinandi de nostris, qui Episcopum adiuarent, in illis quos peccatorum & pestilentiæ virus imbuerat sanandis; omnes prompti & alacres hanc sibi quique prouinciam expetendo operiebantur euentum; sed super duos solùm tam felix accidit sors non sine pia cæterorum æmulatione: quorum vota labor & fructus æquant. Nec in hoc tantùm sese Societatis explicuit charitas; sed in apertum domus præbendo aditum tali contagione fœdatis: quod, & illustrissimum aliud exemplum charitatis, in proximorum animis, existimationem amoremque nostræ conciliauit Societati. Cùm duo è nostris sacerdotes in agro hominem

pestilenti

pestilenti oppressum lue, moribundumque offendissent, eum suis ipsi humeris in xenodochium publicum detulere, vniuersa ciuitate clamante nostros ea appetere ministeria, quæ cæteri tanquam abiecta & contagiosa repudiant. Præter hoc messis alia Societati ostensa fuit ampla: illis siquidem, qui ad triremes ablegati sunt, cùm in hoc portu hiemarunt, subuentum est à nostris. Spiritualia & tēporalia iis qui in custodiis tenentur, suppeditantur subsidia: nostrorum siquidem monitis aliqui viri pij, ad eos soluendos è vinculis, qui ob æs alienum detinentur, pecuniis corrogandis intendunt. Illustrissimus D. Thomas de Borja, Patris nostri Frāciſci de Borja frater, huius Ecclesiæ Episcopus sese nobis quàm humanissimum præbet. exceptus est in scholis breui quodam dialogo à nostris scholasticis habito. Sumus vrbis erga nos liberalitatem experti: septingentos namque aureos ad domui nostræ imponendum fastigium destinauit.

## *Collegium Fraxinetense.*

FRAXINETENSIS vinea etsi nouella, sic tamen eius fœcunditas numeroso fœtu se fundit, vt in annuo redditu vetustis exæquetur. Nostrorum operâ frequens Sacramentorum vsus instigantium defectu consopitus reuixit. Confessiones generales auditæ sunt multæ, pellicatus flammæ omnino restinctæ, prauaque iurandi falsò quæ in hoc opidum sensim irrepserat consuetudo sublata. Sodalitas quædam pia nomini IESV addicta, quæ iamiamque labebatur, fulcita & in pristinum statum reducta est. Ex qua quanta se effundat vtilitas quotidiana docet experientia. Aliquæ in vicina opida professiones institutæ sunt, in quibus ica

ita noſtri ſacerdotes obruebantur confitentium multitudine, vt vicarij mirarentur eos, qui antea violenter trahebantur, nunc lubentiſſimè confluere ad confeſſionem. Plurimi his in opidis à pellicum conſuetudine erepti. aliqui, inter quos duo potiſſimùm Parochi, concordati omnium irarũ fibris euulſis. adita ſunt xenodochia, & carceres non neglecti. In hoc opido Epiſcopi Badaxenſis ſuaſu ſacrarum virginũ cœnobium aditum eſt incitandæ pietatis gratiâ, illudque ad religioſiorem vitæ normam reuocatum. In altero finitimo opido adoleſcens impura ſuccenſus libidine ad illi ſatisfaciendum noctu pergebat incautè. ecce tibi in medio itinere alter adoleſcens obuius factus, impreſſa pectori manu repulit illum, inquiens, Quò miſer tendis? cur in tuum interitum prudens ſcienſque ruis? ſiſte gradum, illumque ad tuam referto domum. Dumq; pauidus adoleſcentem ſic ſibi loquentẽ corripere ſtatuit, euanuit ex illius oculis. quare in ſe reuerſus ad meliorem vitam ſe reuocauit. Gymnaſia magno ſcholaſticorum, maximo cum illorum prouentu, numero frequentantur. Sacra ſupellex, cuiuſdam ſacerdotis ſupellectile, quam nobis teſtamento legauit, aucta eſt.

## *Collegium Granatenſe.*

PRÆCIPVE Fratrum Scholaſticorum ſeminarij virtus eluxit, maximum virtutis ardorem cum litterarum amore copulantium. Vno omnium ore eximia legum noſtrarum cuſtodia, quæ in omnibus nitet, prędicatur. Tres ſunt ſuſceptæ excurſiones, ex quibus inſignis Societatis exiſtimatio, & vberrimus animorum fructus miniſteriorũ exercitatione comparatus eſt. Gymnaſia externa frequenti

quenti auditorum conuentu celebrantur, nec minus illorum sedulitate & progressu illustria reddantur. ex quibus quatuor virtute & ingenio probati adolescentes in Societatem admissi sunt. Inter ea quę Dominus obtulit Societati, vt eius in proximorum salute quærenda explicaretur industria, fuit sæuissima pestis: quæ cùm omnem fermè Bæticam inuasisset, ad hanc tandem aliquando vrbem furibunda pertinuit, inuasit primo vrbis totius fæcem; qua cùm xenodochium repletum esset, nec reperiretur, qui illius saluti spirituali corporaliq; consuleret, P. Rector aliquos è nostra Societate sacerdotes ad hoc munus subeundum destinandos putauit. Nec defuere multi, qui hanc periculosam aleam subire multis precibus contenderent: sed inter omnes duorum potissimùm sacerdotum, vniusque Fratris Coadiutoris pia victrix euasit pertinacia; qui ardenti spiritus feruore succensi, ad P. Rectoris pedes lacrymabundi conuoluti suos humeros huic molestæ & periculosæ prouinciæ sustinendę obtulerunt. Nec minus feliciter illorum cõtentioni & pio feruori respondit euentus: ita siquidem se in xenodochio moderando, & ægrorum confessionibus excipiendis gesserunt vt vniuersa ciuitas, & Illustrissimus Archiepiscopus quamplurimas Societati gratias egerint. Ex his qui xenodochium adiere, duos vis morbi perculit, vnus tamen tantùm excesit è vita: quorum in locum alij suffecti sunt duo, qui ambo contagio percussi obiere. Quod cùm Archiepiscopus & vniuersa ciuitas videret, ne ob ægram vrbis fæcem tot tamque præclari Societatis viri periclitarentur, à P. Rectore, ne illos vlterius mitteret, petiere. erga quod Societatis officium ita ciuitas se gratam exhibuit, vt illud in publica rerum gestarum annalia ad perpetuam rei memoriam

tiam retulerit. Inter fructus quos nostri ediderunt, hic illustris enituit. erat mulier sententia iudicis capite damnata: hæc incensa furore ob sententiam ita se ferocem præstitit, vt nullis posset adduci hortamentis ad conscientiam expiandam. aduocatur vnus è nostris, cuius verbis ita se repentè commouit, vt ex ferocissima leæna in mansuetissimam se conuerterit agnam, sua detestans scelera, illaque Sacramento confessionis abluens: cui beneficio ita se gratam ostendit, vt promiserit nostro sacerdoti se, cùm euolaret ad cęlum, à Domino petituram, vt citò vterque se mutuo in illo conspiceret. nec frustra. breuissimum siquidem post temporis interuallum sacerdos ille fuit primus, qui in xenodochio pestilenti morbo excessit è vita. Alij duo ægroti, quibus lingua ad loquendum erat impedita, nec poterant confiteri; vbi nostri vocati sunt, illico illis expedita fuit lingua, suaque expiauere crimina. Aliquæ restitutiones sunt factæ, dissidentesque aliquorum mentes ad concordiam reuocatæ. Multi tam scholastici quam externi nostrum templum per totum annum ad diuerberationem frequentant, horumque numerus & feruor augetur in dies.

## *Collegium Anglicanum Hispali.*

Ex Societate numerati sunt octo, ex alumnis sex supra triginta, qui omnes maxima cum animorum concordia, & in litteris, & pietate feruore se gesserunt Quatuor sacerdotes in Angliam profecti sunt, quorum quemdam in via hæretici cepere: sed Dei beneficio, ex illorum manibus euasit, omnesque in Angliam pedem intulerunt. Hoc anno sacerdos ex hoc Collegio profectus ob fidem interiit, quod magnam ciuibus pietatem

mouit. Confectum est Philosophiæ curriculum, duoque publicè theses magna cum frequentia & admurmuratione defenderunt. Festa D. Gregorij & D. Thomæ solemniter, vt semper peracta sunt, quorum in quolibet quatuor voto in Angliam redeundi se obstrinxere. Laxatæ sunt ædes, auctaque supellex sacra.

# PROVINCIA SARDINIÆ.

IN primariis quatuor Sardiniæ locis totidem sunt nostræ Societatis Collegia, Sassaritanum, Calaritanum, Ecclesiense & Algarense; quibus domus Probationis Calaritana addita. Aluit hoc anno ex nostris hæc prouincia 127. cooptati octo, desideratus nemo. Et quamuis aliquorum salus tentata; officiis tamen difficillimis, quæ Societas nostra obire solet, non defuit sollicitudo nostrorum, vt in vnoquoque Collegio seorsum videre licebit. ad quæ non parum tulit adiumenti Patris Visitatoris solers diligentia, qua animosiores & promptiores pro cuiusque viribus in suo munere obeundo redderentur.

## *Collegium Sassaritanum.*

DEGVNT in Sassaritano Collegio quadraginta tres: ex his nouemdecim sacerdotes, Theologiæ alumni nouem, Philosophiæ duo, domesticis ministeriis præstò sunt duodecim. Ex sacerdotibus profitentur Theologiam duo, alter Casus conscien-

conſcientiæ, Philoſophiam alter, humaniores litteras duo item ſacerdotes, Grammaticam alter nondum ſacerdos, qui omnes integra potiti ſunt valetudine; quare & fructus non pœnitendos reportaſſe certum eſt, cùm ſuo & oportuno quiſq; tempore exercitiis ſpiritualibus noſtræ Societatis non ſine animorũ ſolatio vacarit. Aſſiduis Theologiæ Scholaſticæ prælectionibus Caſuum conſcientiæ iam diu exoptata adhibita eſt, tum exterorum tum domeſticorũ ſolatio: cuius incommodum quamuis ſenſeramus diu, iam modò ſtabilem fore cum multorum progreſſu ſperamus. Cætera ſcientiarum exercitia, quæ noſtra Societas præſtare ſolet, Theologiæ ſcilicet, Philoſophię & litterarum humaniorum incedunt altiùs. Aſſidui ſunt omnium facultatum diſcipuli, quorum animi ardentiores fiunt præſentiâ virorum nobilium in publicis concertationibus; inquiſitorum præcipuè, & cæterorum qui operam auctam hoc tempore concernunt, & quaſi mirantur. Ex his maximam frugum copiam, tum in ſtudio ſcientiarum tum morum ſperamus. In præſenti verò eos legimus, quos morum differentia, & multorum deteſtatio peccatorum in omni perſonarum ſtatu aſſiduis noſtrorum cõcionibus affert, quos item Sacramentorum frequentia parit fructus, quos denique multorum totius anteactæ vitæ confeſsiones. Ex his vnum aut alterum relatu dignum aperiam. Vexabat mulierem diu ægram cacodæmon per ſpeciem æthiopis teterrimi, cauda atra & ingenti; cumque nullo modo fugare poſſet, quin per ſingulos dies cubile circumſaltitans appareret, vnius è noſtris monitu fugauit omnino, & aquæ luſtralis aſperſione. Habebat alius cohortationem, æterna ſupplicia eorum ante oculos proponens, qui peccata fideliter & integrè non

aperuissent. Adolescens, qui per octo annos grauem culpam celarat, statuit illam abluere: differt nihilominus. incidit in grauissimum morbum, nec aperit tamen (ita difficile est cùm semel occultaueris, aperire.) visus est cubiculum dęmonibus plenum per speciem videre, duos præcipuè qui arctissimè tenebant, vt suffocarent. iis angustiis excitatus vocat Patrem, cuius cohortationem audierat. confitetur, & in integram est restitutus valetudinem. Sodalitia beatissimæ Virginis, quæ iamdiu in hoc Collegio creuerunt magno animorum fructu, auctiora fiunt. quartum erectum hoc anno sub titulo Assumptionis B. Virginis eos continet viros, qui nondum matrimonij legibus astringuntur: cùm enim iam vna domus non caperet, & viuendi ratio sit diuersa, quò faciliùs eorum progressui prospiceretur, quasi in colonias discesserunt. Floret in dies, vbereſque iam tulit fructus; etenim ingressi sunt aliqui Religionem. Sensit alius, quàm sit vtilis congregationis assiduitas. Ægrè tulerat iniunctam pœnitentiam: discessit eo animo, vt numquam congregationem adiret. gerebat miser cum aliis inimicitias, qui cùm impigrè per viginti eum dies quæsiissent, tandem eodẽ die, quo animũ nõ redeundi ad congregationem ceperat, in eorum manus incidit graui in facie accepto vulnere. resipuit accepto malo, & mentem malam deposuit, & in pœnam criminis se eo vulnere affectum esse nouit. Habita est in hoc Collegio prouincialis prima congregatio, nondum antea habita in hac prouincia, magno totius ciuitatis applausu, nostrorum ex Patrum, quos præ oculis habent, tanto conspectu. nec sensit hospitum onus Collegium, imò abundantiùs refectum est ob ciuium & primatum in eleëmosynis conferendis munificentiam.

tiam Domus Professę templum, quod ex eleëmosynis fit, surgit, & est prope fastigium; breui speramus sacrosancto Missæ sacrificio aptum. Etenim præsentaneum erit adiumentum Petri Ferralis I.V.D. vita functi eleëmosyna: qui cùm arderet desiderio videndi in sua ciuitate Professorum domum, iamq; etiam viuens sua omnia bona offerret, parua re familiari contentus, vt priuatus cum coniuge viueret, filiis orbatus; moriens dum hæc moliretur, omnia bona Collegio mandauit, ea conditione, vt pro suis commodis domus ædificationi præstò esset, eo animo vt vtrisque prodesset. Huius viri semper nobis clara & honesta amicitia fuit. In arduis & difficillimis Collegij nostri rebus & in causis ciuilibus, quibus diu vexati sumus, eius semper diligentia eluxit, non solùm scientiarum adiumento, in quibus ipse claruit, sed etiam armorum, si res ferret, cum vitę discrimine. quod ipse pleno ore testatus est aliquando. res mira in viro sagaci, modesto & taciturno. Hanc notã subibat libenter, reputari scilicet eum, qui pro nostris rebus tuendis & conseruandis nimiam curam, omnemque sollicitudinem poneret. Hanc animi sui propensionem & beneuolentiam singularem moriens expleuit. nam & sua omnia bona externa quotquot erant, & id quod post mortẽ supererat proprium, ossa scilicet, in nostra Societate recondi voluit. Cumque impedimentum esset per Turritanæ Ecclesiæ Antistitem, quominùs in nostri Collegij templo mandarentur sepulturæ, statuit in alio seruari, quousque templi nostri ædificationi extrema manus imponatur. Cecidit sine dubio semen quod primi Patres seminarũt, in terram bonam. is enim erat ex primis Societatis nostræ discipulis: creuit scientiarum imbribus oportunis, tandem seminantibus retulit

centesimum fructum, ipsum tamen centuplo in cælis frui speramus. Ex hoc Collegio missi aliqui ad pleniorem frugum copiam referendam: nec frustra non enim modò multorum qui nostris sacerdotibus peccata aperiendi tenebantur desiderio satisfactum est, verùm etiam concionibus profuerunt multum. Aperuit vnus peccata, quæ per decem & septem annos tacuerat, cùm intellexisset tanti criminis fœditatem. In secunda feria Paschatis concionabatur alter, pacis pulchritudinem, fructus, animi tranquillitatem ante oculos proponens: permoti sunt decem & septem qui graues gerebant inimicitias, & inter sese reconciliari, magno non modò totius populi gaudio, sed admiratione. Alio in populo, in quo non assueuerant germana lingua concionantes audire, cùm è nostris vnum propria lingua audirent, ita satisfecit omnium animis, vt vix dicas. Id compertum est ex confessionibus supra centum totius vitæ, tum ex morum noua institutione, & bonorum restitutione, tum denique ex disciplina Ecclesiasticorum, quæ in pristinam restituta est pulchritudinem. Blasphemandi mos cùm acriter reprehenderetur, extinctus est omnino. Carnispriuij dissolutioni obuiàm itum est pia institutione precum per horas quadraginta. magno animorum solatio confluunt ad nostrum templum, non modò vt cohortationes audiant nostrorum, sed vt sanctissimo Eucharistiæ Sacramento reficiantur. nec solùm ij sunt ex congregationibus, sed alij plures; vt non iam carnispriuij ferias censeas, sed maioris hebdomadæ aut Paschatis festa, ex animorum pietate coniicias.

Colle-

## *Collegium Calaritanum.*

EXCESSIT per totum ferè annum Collegium Calaritanum numerum quadragenarium. aluit sacerdotes 12. ex his alter Philosophiam, alter litteras humaniores profitetur: Scholares verò non sacerdotes nouemdecim, tres Grammaticam docent, alter Seminarium intra domesticos parietes. audiunt Philosophiam octo, litteras humaniores & Rhetoricam septem, qui prouinciæ seminarium constituunt. Tandem domesticis ministeriis 12. dicatos tenet, quorum vnus legere & scribere pueros docet. Vberiores fructus ex scholis hoc anno pro maiori diligentia eorum qui eas regunt percepimus. Numerus frequentantium fuit auctior. in tribus enim Grammaticæ classibus, Humanitatis & Logicæ quadringentos numeramus discipulos. Proficiunt tum in Latina, tum in Græca lingua nostri, qui sunt ex seminario, eiusque rei specimen in solemnioribus festis præbent poëmatibus, epigrammatis, orationibus, quas sæpe & sæpiùs habent sancta & religiosa excitati æmulatione. Nec deest illa cura, quæ animosiores & promptiores reddit in via spiritus: superiorum instructi disciplinis, cohortationibus, exercitiis spiritualibus ipsi præiuere, subsecuti deinde antiquiores, quò magis iuuenum animi accendantur. Quare & in publicis & in priuatis officiis magnum sensimus adiumẽtum. Doctrinæ Christianæ docendæ consuetudo creuit: in quatuor enim ciuitatis locis informantur, non modò pueri, sed & grãdiores; in nosocomiis item, in carceribus, quos sæpe adeunt ad confessiones audiendas. Denique præter illa quæ communia sunt omnibus, illud vnum conati sumus pro viri-

bus in hac ciuitate morem quendam in corporis cultu parum honestum, qui iam irrepserat, tam in feminis quàm in viris, pro concionibus publicè & priuatim prorsus extinguere. Dissensio exorta erat inter duos huius regni Antistites ex contentione quadam propinquorum. ea fuit vnius è nostris in pertractandis animis dexteritas, vt omnino sedaret illam animi perturbationem. effecit vt inuicem inuiserent, sese amicè salutarent, & alter alterum inuitaret, vt in suo templo concionem haberet; firmissimæ pacis argumentum iis qui inter sese dissidentes cognouerant. Duo item huius regni capita dissidebant: inuitamus ex his maius, vt eo die, quo sanctissimæ Crucis exaltatio celebratur (hæc est nostri templi inuocatio) Missæ & concioni interesset. voluit & vnà nobiscum prandere sponte sua, & sufficere munificentissimè, quæ necessaria essent. hanc nactus occasionem Pater idem, audet & aliud inuitare: monet hos tantos viros de suo officio, quamque decet illos omnem animi molestiam pro tempore & loco deponere. dant ambo manus, amorisque redintegratio maioris secuta est. Crucis exaltationem variarum linguarum concionibus extulerunt nostri inter prandēdum magno audientium applausu, & non sine diligentiæ admiratione. Prætereo cæteras sedatas inimicitias inter primarios viros. hanc tamen non præteribo. Magna orta erat seditio in opido quodam propter homicidium. accensi erant omnes ex altera parte vindictæ rabie, maxima impendebant toti populo mala. Nouit vnus è nostris, scribit & accersit ad se viros (tanti sunt ponderis nostrorum epistolæ) tumentium corda ita placat, vt ex inimicissimis amicissimos faceret, cōdonatâ iniuriâ. Hoc anno in toto fermè Sardiniæ regno, ob imbrium & ni-

uium

uium abundantiam magna animantium peſtis ſecuta eſt: nec erat ſpes vlla frugum. publicæ preces & vicatim effundebantur a fidelibus, vt iamiam impendentia mala auerteret Deus. iis permoti qui ſunt ex congregatione B. Virginis (ij ſunt primarij & nobiliores, & qui totius regni magiſtratum gerunt) vltro quæ ad templi noſtri ornatū eſſent neceſſaria, ad ſymphoniam, ad concentum offerunt. Ardebat cereis luminibus vndequaque templum: ita verò detinebantur ſpectantium oculi, vt neque in templo, neque in choro, neque in ſacriſtia locus noſtris concederetur, ab ipſo diei ortu ad occaſum vſque ſolis. Habuerunt ex noſtris multi coram ſanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento cohortationes. Archiepiſcopus Calaritanus ſecunda die tanto allectus ſplendore, & animorum ad nos conuolantium deuotione, acceſſit: præſtitit idem concionandi munus poſt Miſſæ ſacrificium, quod pari animi ſolatio fecit: pluſquam quingētis ſacram ſynaxim eſt impertitus cum his qui ſunt ex congregatione, & noſtras ſcholas frequentant. quos cum iam templum non caperet, diſcedebant ad congregationum oratoria, vt grates Deo debitas agerent. In iis tribus diebus ex omni hominum genere auditæ confeſſiones. iubilæi ſpecimen præ ſe ferebat tantus hominum concurſus. multi non modò per horam, ſed per quinque & ſex horas magna animorum dulcedine, vt ipſi teſtati ſunt, orabant. Tribus B. Virginis cōgregationibus accedēs hoc anno quarta, cœpit quaſi arbor iuxta ripas florere: ſperamus fructus vberrimos ex his in quibus exerceri cœpit. aggregationis beneficio creuit altiùs. Dum proſperè noſtrorum miniſteriorum curſus dirigitur, non defuit aduerſa fortuna quæ auſa eſt retardare: ſed diligentibus Deum omnia cooperantur

in bonum. Duobus abhinc annis primaria femina in præcordiis noſtram Societatem habens, ſua omnia bona è vita decedens, huic Collegio legauit. Ægrè tulit frater, qui iam bona illa omnia propria, vel ſaltem maiorem partem reputabat. Rem ad iudicium vocat. nec defuit vnus, qui pleno ore diceret, non ſolùm hanc cauſam, ſed quotquot emergerent, contra Societatem noſtram ad extremum vſq; ſe defenſurum. Is erat vir doctus, & acri ingenio. rem aggreditur: ſed ipſo in limine (quàm bene afflictis rebus proſpicit Deus!) incidit in lethalem febrim. reſipuit: ſacerdotem ex noſtris (nec mora) vocat, veniam petit, non ſine lacrymis aperit peccata eidem. Hoc ſupererat ſolatij, dum per illos paucos dies vixit, videre aliquem è noſtris. enixè contendit ab iiſdem, vt corpus ſuum ſepulturæ mandaretur in noſtro templo; conceſſerunt libenter Patres. Quod ſibi magis carum erat in vita, bibliothecam ſcilicet optimis & nouis ornatam libris, reliquit teſtamento, pignus profecto amoris. Duæ aliæ primariæ feminæ bonam nummorum partem ſuis teſtamentis legarunt. Vicereginæ item liberalitatem experti ſumus, quæ propriam auro contextam & pulchrè diſtinctam veſtem ad altaris ornatum conceſſit.

## *Collegium Eccleſienſe.*

E Noſtris vixerunt in hoc Collegio ſacerdotes quatuor, vnus non ſacerdos magiſter Grammaticæ, reliqui Coadiutores: omnes in noſtris obeundis miniſteriis diligentes. Conciones quæ habẽtur diebus Dominicis poſt primum ſacrum, ſi vnquam profuerunt, in præſenti magis. Habuit concionem Quadrageſimæ tempore vnus, non minori animorum progreſſu. aboleuit eum morem

rem quo canendo alij alios iniuriis lacessere solebant. Magna pauperibus erogata eleëmosyna, iis præcipuè, quos pudor aut erubescentia vexat magis. Vsus Sacramentorum fuit frequentior. Statuerat mulier veneno coniugem interficere; consilium malamque mentem deposuit, dum sua peccata confessario nostro aperit: iamque cum eo, quem odio prosequebatur, tranquillam & tutissimam vitam agit. Totius vitæ peccata multi aperuerunt. Vnus per quadraginta annos peccata integrè confessus non erat; doctus à nostris pacatum post confessionem sensit animum. Inter alios qui in pristinam amicitiam rediere vnus fuit, qui per multum tempus quæsierat inimicum, vt vita priuaret. rem subodoratus vnus ex nostris, illius animum, qui lacessitus fuerat, sedauit. vocat in nostrum templum ambos: discedunt amici. Æris alieni bona pars restituta; multa item naufragorum bona, præcipuè litteræ ingentis valoris. multa item sublata, quæ parabant animorum præcipitia. Per mensem Octobris, dempto nemine, nostri omnes exercitiis spiritualibus vacarunt, non sine fructu. Duo sacerdotes missi sunt Bosam antiquam huius regni ciuitatem, ad fructificandum. habebant in templo maximo singulis diebus concionem, in aliis item ciuitatis ecclesiis cohortationes magis familiares. Doctrina Christiana informabantur rudiores, ad quam assiduus semper fuit totius ciuitatis concursus. Ex his secuta est inter coniuges præcipuè dissidentes concordia, auditæ confessiones generales nō paucæ, ob insufcientiam præteritarum. Adeunt nostri carcerem, nosocomium; animis medelam apponunt, corporibus eleëmosynam quæritant. Addunt stimulos ciuibus, vt harum rerum maiorem curam gerant in posterum. Illi verò excitati in suam ciuitatem

tot

tot collatis beneficiis ardent desiderio nostræ Societatis. incumbunt in hanc curam toto pectore, non modò ciues omnes primarij, ad quos spectat Reip. commodis prospicere, sed omnes quotquot sunt. Episcopum item eximiæ in nos beneuolentiæ cum iis, quos à consiliis habet, hæc eadem cura sollicitat. Scribunt omnes, qui Reip. Patres vocantur, ad Patrem Prouincialem, scribit & Episcopus omnium precibus exoratus, cuius epistolas maximum pondus habituras sperant.

## *Collegium Algarense.*

VITAM agunt in hoc Collegio duodecim, sex sacerdotes, & totidem Coadiutores: quorum labores non pauci, non modò in iuuandis exteris, sed in domesticis ministeriis præ Collegij angustia. numquam tamen defuit doctrinæ Christianæ docendæ vsus. Per duos menses docuit in nostro templo Rector Collegij, & vicatim. excitauit hæc cura alios ciuitatis magistros, vt diligentiùs sibi commissos pueros informarent. In maiori templo & aliis priuatis ecclesiis assidui fuerunt nostri concionatores; hinc iam frequentiores experimur omnes ciuitatis huius in Sacramentorum frequentia. Vna tantùm est in hoc Collegio schola; præ multitudine discipulorum & progressu, non omnes eadem docet magister, sed alios alia pro cuiusque captu. Eius diligentia eluxit maximè, magno totius ciuitatis bono. Sodalitium Virginis, cuius maior pars ex discipulis constat, augetur. Obeunt ea pietatis munera, quibus ipsa irrigatur & crescit. nosocomio & carceri adhibita est nostra diligentia. Pauperibus eleëmosyna largita, tam illa quæ corporis, quàm quæ animi medelam affert: qua quidem in meliorem fru-

gem

gem reuocati multi. Multa item mala, quæ in graues viros irrepserant abolita. Opus Collegij surgit indies. sex etenim hoc anno superiùs peracta cubicula, sub quibus bene instructas officinas ad domesticos vsus & idoneas habet. Duo Quadragesimæ tempore in aliam diœcesim discessere. alter concionem habebat in Cathedrali, alter confitentium peccata audiebat: deinde in comitatu Episcopi huius ciuitatis eius diœcesim magno animorum fructu perlustrant. videbantur enim nostros exspectare plures, vt ex maximis peccatorum fluctibus emergerent. Ita affectus est cuiusdam animus nostrorum officiis, vt omnia necessaria ad residentiæ domum offerat spontè, & liberalitate non parua, cuius votis in sequentem annum, per Quadragesimæ tempus speramus nos responsuros.

## *Domus Probationis Calaritana.*

ALVIT domus Probationis viginti, tirones vndecim, reliquos veteranos, ex his sacerdotes quatuor. cooptati septem tantùm, non plures capit angusta domus. In iis erudiendis nulli iusto labori pepercimus, vt tales euadant, quales perexigit nostra Societas. nec frustra; sensimus enim fructum non mediocrem, tum in corporis tum in animi mortificatione, in contemptu rerum humanarum tam publicè quàm priuatim, tum in iuuandis pauperibus & ægrotis, ea charitatis officia exercendo in hospitali domo, vt assolent nostri tirones. Adhortatus per occasionem vnus ex nostris ægrotos, multorum confessiones audiuit. ex his multi totius vitæ peccata absterserunt. Etsi domus hæc nostrorum in educatione sit tota, non omittit ea Societatis nostræ ministeria,

steria, quæ pro tempore & loco præstari possunt. Rudes docet doctrinam Christianam & pueros: confessiones non paucę audiuntur; circum vicina loca excurrunt aliqui dum licet, nec res aliter se habere potest. Hortantur enim loci oportunitas, & nostræ Societatis charitas, quæ proximorum necessitatibus semper adest. Peregrinati sunt multi per varia loca, eo quidem tempore quo aberat periculum, cùm vix antea auderemus. cecidit res ex animi sententia: nam & periculum abesse sensimus, & animorum progressum consecuti sumus non mediocrem. Ex hac domo discessit Pater, cùm iam tertium probationis annum persolueret, vt adiungeretur socius ei qui ex Ecclesiensi Collegio Bosam profectus est: ex quorum solicitudine & diligentia eos fructus quos suprà memini, percepimus. Mittat Deus Opt. Max. eam operariorum copiam, quos tanti agri fertilitas exoptat, vt læti aduenientes ad omnipotentis Dei gloriam & honorem manipulos portent vberrimos.

# PROVINCIA AQVITANIÆ.

## *Collegium Tolosanum.*

EST in hoc Collegio ex nostris triginta duo, sacerdotes quindecim, præceptores octo, quorum tres sacerdotes, auditor Philosophiæ vnus, Coadiutores vndecim, præter tres qui degunt in seminario Illustrissimi Cardinalis Ioyosæi, sacerdotem vnum, duos Coadiutores. Præter statos fructus, quos cum variis prouinciis communicarunt scholæ, etiam hæreticis ad saniorem mentem reuocan-

reuocandis non infrugiferè laboratum. Rediere supra triginta, quos ab Ecclesia repulerat error prauarum opinionum; multi, quos idem æstus abripiebat, confirmati, vt in fidei statione persisterent. Sed hæc atque alia externa domesticis subnectemus. Prospera commodaque satis omnia nostri habuerunt domi. nam duorum solùm modicè tentata valetudo: creditorum supra quàm sperabamus dilata fides, & quod insolens est, ad quingentos supra mille aureos processit hoc anno liberalitas eorum, qui Collegium alieno ære oppressum adiuuere. Qui replicata memoria annorum omnium maculas confessione abluerunt, ad trecentos tantùm non accessisse dicũtur. viri quidam reconciliati cum vxoribus, à quibus dissidebant: quin & duo cùm vxoricidium destinassent animo, nefarium consilium abiecerunt. Alij abducti à flagitio partus necandi. Nec minor exstitit fructus in aliis à turpitudine reuocandis; atque inter plurimas vni tantum eleëmosynæ procuratum, quantum adulter pollicebatur, vt abstineret à scelere. Illudebat dæmon malisque artibus imponebat multis; detecta fraus, & ope solemnium remediorum depulsa. Vnius puellæ rusticanæ spectata victoria de Orci tyranno, qui ad simplicis animi corrumpendam pudicitiam, ementita hominis specie, vt videri posset, sæpiùs puellæ oculis obuersabatur, & quà pollicitationibus, quà minis, viqúe etiam adhibita, vel ad stuprum, vel ad desperationem inopem puellam sollicitabat. hinc noscas dæmonẽ fuisse, quòd exhorrescebat quàm maximè salutaris signi impressionem, & quòd puellæ manum, cùm apprehendisset, sic exusserit, vt impressa ardoris vestigia relinqueret. cuius generis etiam antea fuerant nummi, quos in manu puellæ deposuerat. Deo nimirum ita disponente,

vt

vt callidi hostis caueret à dolis, cuius calorem tartareum persensisset. tandem in vrbem deducta ad nostrum templum cùm venisset, illis armis instructa, quibus hostem antea importunum à se repelleret ac triumpharet. In vrbe varius ac multiplex fructus nostrorum: nam præter conciones, toto anno habitas diuersis in templis (vt aliquando etiã sex è nostris variis vrbis regionibus conciones habeant. ita libenter à curionibus inuitantur, & à populo audiuntur) duorum qui quadragintadiali abstinentia in celebrioribus templis egerunt, emicuit bene locari operam: quam sibi gratam probauit Senatus, frequens supra quam soleret. In cœnobiis sacrarum virginum effectum est aliquid ad Dei gloriam; nam auctus numerus accessione nouitiarum. vni non defuit omen, cui cùm iam à puero precaretur parens eum sponsum, qui maximè Deo gratiosus esset, Christo desponsata est. patuit non irrita dedisse vota. & ne dotis penuria obstaret (quinquaginta erant aurei) primaria femina vltro in annos singulos pensionem pollicetur, dum nouum cœnobium reditibus suis fundetur. Præter adhortationes habitas ad moniales variorum Ordinum, præfectorũ rogatu, in vno spiritualibus commentationibus sic exercitæ, vt vix vlla fuerit, quæ non sanior & sanctior fieri illis optarit. Neq; hìc stetit exercitiorum fructus. Idem præstitum in celeberrimo vrbis cœnobio, cùm à præfecto, quem Priorem appellant, & magistro tironum ductum esset initium: vtque propagini consulatur, inducta consuetudo, vt qui ad sacram hanc militiam accedunt, iis exercitationibus inaugurentur. quod idem, vbi ponunt tirocinium, faciendum est, cum exomologesi totius anteactæ vitæ. Imò verò, quod erat optãdum, præpositus Prior, vir pietatis & doctrinæ laude conspicuus,

spicuus, ipse suis & dux & magister huius artis factus. Quare cùm instaret Patroni, quem auctorem instituti colunt, celebritas; induxit nouemdiale omnibus cœnobitis, vt missis reliquis huic vni feriarentur, quo sese melius ad proxima sacra compararent. itaque communis labor publicam attulit vtilitatem, ac tantam animorum lætitiam; vt ipsis etiam mirum sit, ac Societati nostræ, quasi hæc illis gaudia fecerit, vix satis gratias referre se putent. Particeps factus similium deliciarum alterius Ordinis magister nouitiorum, & vnus Parochus; quin duo alij cœnobitæ, eius loci in quo regularum obseruatio minùs vigebat, cùm essent nostrarum scholarum Theologiæ alumni, edocti hanc sacram Theologiam. vnde spes est (quando maximè nati ad concionum munia, neque deest ardor alios iuuandi) ad reliquos fructus partem aliquam promanaturam. Cum omnibus actum, vt librorum spiritualium vsus, qui penè exoleuerat, restitueretur. Itaque dati quidam in vulgus recèns, vt nouitate pellicerentur: nec spes fefellit expectationem. Nobis quoque hac parte laboratum: nam cùm aliquis post Theologiæ decursum stadium donandus esset sorbonica laurea & doctoratu, ac tantisper hunc quietis secessum amasset; crucis lauream in Societate nostra duxit potiorem omni magisterio. Non defuit nostrorum opera animam agentibus vel incarceratis, seu cùm peccatorum sarcina circa ferias solemnes omnibus deponenda, seu cùm capite damnati ad agonem vltimum animandi: in quibus mulierculæ vnius gratum pietatis & constantiæ spectaculum, quando ad despicientiam rerum humanarum suum ipsa hortatorem hortabatur. Parthenicum vtrumque cœtum ex eo florere intelligas, quòd propè triginta ad varias Religiosorũ fami-

lias miserit: his nempe lectis fructibus amat diua Virgo Deum munerari; neque nostræ oblita Societatis: partem accepimus. In maiori, quam dicunt, congregatione spectes cum voluptate florem illibatum Senatus & populi sub signis diuæ Virginis merere; at celebrioribus patronæ feriis ita videas Patres ad gratias & celebritatem vel precum, vel orationum & poëmatum confluere, vt credas Senatum ad diuæ Virginis indictum. Facilè intelligas quãtus sit reliquorum ardor, & quæ ab eo proficiscuntur. hinc enim discordiæ sublatæ, quæ inter primarios intercesserant: hinc largitionum in pios vsus liberalitas, vt aliquãdo vnius ad centũ aureos excreuerit: hinc fugitiuæ pecuniæ non contemnendæ ad auctores redierunt: quodque frequens est, multi optimates repetita totius vitæ memoria contractas scelerum sordes abluêre. Instant & rei bene gerendæ pro virili, qui sub annunciatæ Virginis sunt tutela scholares, qua frequentia constantiaque maiori, quàm solerent, qua piis commentationibus: non rarò etiam diuerberationibus, dum post assignatum meditationis argumentum psalmus quinquagesimus recitatur. Diuisa inter eosdem Christianæ pietatis munia sic libenter per classes obeunt; vt alternis Dominicis aut in xenodochio iacẽtes, aut carcere vinctos inuisant, & pia quidem animum allocutione, paupertatẽ etiam largitione, stipeq; erogata solentur. Reliqua toti Collegio vel solemnia, vel cum ceteris communia attingentur magis, quàm exponentur. Quamplurimi scelera non leuia, quæ pudore victi malè reticuerant, elocuti. Lites inueteratæ, discordiæque altæ familiarum vicinarum ad certam perniciem ruentium, quas nullius vel gratia, vel auctoritas poterat conciliare, nostri concionatoris congressu sublatæ. Cælesti agape pasti

pasti in nostro templo duodeuiginti millia. Tragœdia Maxentij elegans & illustris data : sed subiuncta præmiorum diuisio, fecit tragicomœdiam cùm dolerent victi, triumpharent laureati. Catechesi instituti rudiores variis parochiis. Excursum etiam in vicinas vrbes accitu Episcoporum aut opidanorum, vbi egere concionatores per ea tempora quæ nascentis Christi, aut patientis ferias antecedunt. At publicam bonorum omnium auxit lætitiam nostrorum ope duobus in opidis restituta suis sedibus Christiana sacra : à quibus olim præscripserant perduelles: & ab altero quidem, iam quadraginta erant anni, ex quo exulabat religio. Concionatum est ab vno è nostris Castris (vrbs est vigintiquatuor circiter milliaribus Tolosa dissita, & hæretica prauitate tota penè infecta) toto Aduentus & Quadragesimæ tempore, necnon Dominicis & festis diebus inter vtrumque intercurrentibus, tanto concursu, vt conciones sub finem habendæ fuerint in amplissima aula, in qua causæ aguntur, vt eo liberiùs hæretici interesse possent : quod & fecerunt probantibus, atque etiam nonnumquam lacrymantibus iisdem. Catechismus explicatus, & quidem habita præcipuè ratione rudium & mendicorum, quibus vt allicerentur aliquid eleëmosynæ distribuebatur. Idem factitatum erga incarceratos. In xenodochio verò ægrotanti hæretico, cui manus intumuerat, datum consilium, vt abiurata hæresi manum aqua lustrali lauaret. lauit & detumuit, sed cùm hæresim nondum repudiasset, vt instituerat, sensit postmodum eundem tumorem manum vtramque occupare. Data opera vt corrogatis eleëmosynis, pararetur vmbella serica Eucharistiæ deferendæ. Confessiones generales auditæ multæ, exercitia spiritualia tradita, edocti

ſacerdotes cæremonias Eccleſiaſticas. Reconciliati Eccleſiæ Catholicæ tres hæretici, aliiſque id deſiderij iniectum. Res fuit publica lætitia non indigna, cùm procurator Caluiniſta, qui differebat profeſſionem fidei, in morbum incidens, ſacerdotemque noſtrum, ſibi vt confitenti daret operam, conuocans, à Miniſtris interuenientibus accitu vxoris hæreticæ eſt occupatus. cœpit inter Catholicum concionatorem, & diaboli Miniſtros lis oriri, de anima decumbentis ad orcum, vel ad cælum trahenda. Huius quidem arbiter honorarius erat idem ægrotus, qui cælo cauſam adiudicauit; frendentibus adeò hæreticis, vt interpoſita fuerit opera Præſidis vtriuſque, Catholici & hæretici, qui poſt multam concertationem eum quod vellet facere permiſerunt. Nihilominùs tam obſtinata fuit proteruia hoſtium fidei, vt neceſſe illi fuerit officio diuendito ſe cum tota familia Biterras recipere; vbi hæreſi abiurata, generalem apud nos confeſſionem inſtituit.

## *Domus Probationis Toloſana.*

EGERE in hac domo Probationis ſacerdotes duo, Coadiutor vnus, reliqui nouitij. Præter experimenta & ſolita pietatis exercitia, quæ ſinguli nouitij certatim obeunt, ac ſatis longas peregrinationes, quas quindecim ad diuerſa loca ſuſceperunt, hæc pauca ſpeciatim ſubnectuntur. Vnus è nouiciis cùm aliàs legiſſet & audiſſet aquæ benedictæ hauſtu ſæpe ſublatas febres, ipſe aliquando febri ſatis moleſta agitatus (Tertianam vocant) cùm iam ſigna aduentantis æſtus in ſe præſentiret, fide plenus aquam benedictam ebibit: impendenti febri iter præcluſurus. & exinde febri prorſus liberatus eſt. Duorum adoleſcentum, qui

abiurata

abiurata pridem hæresi in scholis nostris, qua à teneris annis fuerant imbuti, iam nouitiatum erant ingressi, alterum saltem mater Caluiniano veneno iamdiu infecta obstinato animo eripere nobis, vel potiùs Christo, volebat. Quare dum filios alloquendi facultatẽ obtinuisset, modò hunc, modò illum lacrymis vberrimè ex oculis manantibus ac voce miserabili obtestabatur, sui vt misererentur, seque agnoscerent matrem, orbitatem suam adhuc recentem recordarentur. Quid plura? nullis ad tironum animos deiiciendos machinis pepercit; at immoti perstiterunt adolescentes, oculisque siccis matrem consolati, ab ea quamuis ægrè se expediuerunt, dolente quidem de victoria filiorum, de qua tamen gloriari poterat. Aliquot è nouitiis, dum è Monteserrato, quò peregrinationis caussa concesserãt, domum repetunt, inter montes Pyrenæos cibum capturi, diuertunt ad hospitium; in quo cùm tenuiter quidem vires refeciſſent, expensas longè maiores, quàm putarent, non tam à se factas, quàm exactas soluere eorum crumena sæpe sæpius excussa non potuit. Quid agerent non habebant, maximè cùm hospitis inclementia nihil de pretio remitteret. ergo animis ad Deum sublatis adhuc semel ad crumenam recurrunt, moxque argenteum nummum recèns excusum in ea reperiunt, vtique sibi subsidio, vt ipsi credunt, à B. Virgine missum. cùm talem nummum à nullo se accepisse probè meminerint, nec crumena toties excussa illũ occultare potuerit. inde ergo maiori in B. Virginem fiducia pleni, ac solito alacriores iter suum licet valdè asperum prosequuntur, haud dubiè præsentem B. Virginis opem insolita alacritate & fiducia attestante. Aliquibus iniecit voluntatem complectendi Societatem lectio vitæ B. P. Nostri Iguatij,

vt per eum ſemper augeat Societatem Chriſtus per quem dedit illi principium. Quidam noſtris nunc aggregatus, dum in votis haberet Societatem, viſus eſt noctu ſibi videre B.P.N. Ignatium, vt ſequeretur Chriſtum intrepidè adhortantem, eiſque quaſi manum auxiliatricem prætendentem. Verum fuiſſe ſomnium alacritas maior ad deſiderium implendum in eo relicta comprobauit. Duo erant candidati Societatis, quorum alter alterius conſilij & voluntatis erat conſcius. alter ergo quadam nocte viſus eſt ſibi videre ſocium è montis culmine deorſum ruere, ex eoque lapſu toto corpore ſauciari: experrectus mente futuri præſaga cœpit timere ſocio, ne lapſus corporis lapſum indicaret mentis. iamque vni è noſtris manè ſignificauit: nec vanus timor. nam cùm ſequenti die is cuius lapſus & inconſtantia in ſomniis prænunciabatur, aperuiſſet ſocio ſibi inter dormiendum viſum eſſe è monte quodam excelſo deorſum præcipitem ferri ſe, ita vt ſomnium ſomnio apprimè reſponderet, poſt duos dies abiecit religioſæ vitæ conſilium. Diceres præuiſum eſſe ſocij lapſum, vt alter eo cautior fieret. Vnus è nouitiis cùm iamdiu deſiderium viuendi in Societate concepiſſet, nec tamen cuiquam è noſtris aperire vellet, æſtuabat animo, quia vulnus latens ſanari non poterat: ergo inſultans aliquando ſocio eiuſdem ſecum voluntatis, inquit, Fac me leſuitam. tum alter, Irrides me; ſed num aliquid boni foues animo? paucis iis vltro ſocij animum tandem percuſſit, vt arcanũ tamdiu ſuppreſſum ab eo intellexerit, ac ſui officij amanter ſociũ admonitũ coëgerit, vt paulo pòſt ſeipſum vni è noſtris aperiret, ac demum vitæ inſtituto ſe adiungeret. Iocus planè bonus, cui ſucceſſit tam felix exitus: pluresq; poſſis tales optare ſocios quàm reperire.

Colle-

## *Collegium Burdigalense.*

VIXERE in hoc Collegio quadragintaquatuor de nostris, sacerdotes sexdecim, præceptores quatuor, omnes sacerdotes; Scholastici 20. quorum tres sacerdotes, & Coadiutores vndecim; præter quatuor, qui sunt in residentia Sammachariana, sacerdotem vnum, præceptores duos, & Coadiutorem vnum. Seminarium Theologicum nostrorum huc Tolosa deductum. Prioratus nobis nec-opinantibus à viro nobili nō ab vrbe procul oblatus & attributus. Eo nostri laxandis animis percommodo vtuntur. Locus quippe cælo iuxtà salubri est, & vtili solo. Quo die in eius agri possessionem itum est: rusticus quidam expedito iam ferro alterius rustici iugulo truculenter imminens, vnius è nostris interuentu, in ipso articulo qua precibus, qua minis à nefario facinore deterritus, adeoque iuncta cum aduersario dextera postquam genibus flexis vltro citroque venia impetrata est vicino, suis ac sibi est restitutus. Feriis paschalibus hæreticā perfidiam decem eiurarunt. Duo in illis nobiles, quorum alterius castellum (vbi primùm per edictum Regis liceret emergere) suis conuenticulis, conductisque conciunculis tenebriones de Caluini grege destinarunt. Accessere duæ mulieres & alij in eo genere complures. Confirmationis Sacramento multis inter hæreticos, lubrico videlicet & periculoso loco versantibus auctæ vires atque roboratæ. Simoniaci aliquot adducti malè partis vt vltro se beneficiis abdicarent. Marito persuasum, ne maritam adulteram ferro confoderet, sed suas potiùs res habere sibi iuberet. Conciones in ipsa hæreticorum ditione sanè fructuosas habuere nostri, vbi

vix ipsos annos quadraginta vox vlla fuerat audita veritatis: multorum ibidem confessiones exceptæ. Sacris denique sacerdos operatus frequenti concursu. Indoluere scilicet lupi Ministelli, sibi suis etiam in saltibus oues de faucibus extrahi. Ergo minaciter eminus vlulantes, edicunt ne salutari canum latratui quispiam aures daret. Ipsi verò quamuis sæpe vocati, sæpe prouocati, suis egredi lustris, & cominus cõgredi nunquam ausi. Missi cum Illustrissimo D. Cardinali suam diœcesim obituro, duo Patres ex nostris, qui solemnibus Societatis nostræ muniis obeundis in tanta messis vbertate sic assidui solidos ipsos dies accubuiq́ue fuerunt, vt vix cibo saltem capiendo tempus daretur. Adolescentem filium hæreticus pater abductum vrbe ad Ministrum Caluinistam deducebat, veneno scilicet hæreticæ prauitatis inficiendum. Ipso primo profectionis die, vbi patrem in taberna diuersoria dormientem animaduertit vigilans ac strenuus adolescens, clanculùm eo relicto rate conscensa, secundo non tam Garumnæ flumine, quàm Spiritus sancti flamine, nocturnus ad filios lucis in vrbem reuolat. Illi verò perbenignè ac liberaliter acceptum hodieq́ue pergunt alere, patre illo non modò nihil erogante, sed nec rogante quidem, vbinam sit gentium. Alter hæreticus vna vnius è nostris concione permotus, statim dimisso cœtu Patrem conueniens, pauciscp̃ pòst diebus hæresi publicitus eierata, Catholicam fidem summa voluntate complexus, in ea hodieq́ue perseuerat. Accessit quidam Scotus à suis Ministerio designatus: is quoque nostri concionatoris argumento, deinceps etiam disputatione cum illo habita peruictus, hæresim abiurauit; & quia populares eius in hac vrbe complures studium eiusdem in Catholica fide liberius profitendæ re-

tardã-

tardabant, aliò discessit operam Theologiæ daturus suis aliquando iuuandis, viatico interim à vitis piis operâ nostrorum adiutus opportuno. Iam hoc festiuum; hæretica mulier Catholicam ad audiendum Ministrum improbè sollicitabat. Audiam (inquit illa) si tu priùs concionatorem Catholicum audieris. Conuenitur, itur ad audiendum nostrum; captatrix illa muliercula capitur, & se deinceps nisi Catholicum doctorem negat audituram. Ingens auditorum concursus ad ædem nostram æstatis etiam æstu coquente factus: diebus verò Christi Domini natalitiis omnino tãtus, quantus nostra memoria numquã hactenus. Eam frequẽtiam Senatus cum Præside frequẽtissimus, sex viri ciuitatis Rectores, & Prorex ipse perbenignè cohonestarunt. Beatæ Virginis Mariæ Sodalitas, quæ nostris ante hos annos ferè vndecim vrbe pulsis, ad Franciscanos Patres concesserat, ibique hactenus durarat, tandem summa Patrum illorum voluntate, quasi postliminio reuersa magnos omnino fructus nobis varioſque pollicetur. Habita iussu Cardinalis Illustrissimi compendiaria Casuum conscientiæ ad Parochos explanatio sermone vulgari: simul sanctæ Missæ statas solemneſque cæremonias edocti permulti. Exercitiis spiritualibus cùm alij viri & adolescentes honesti sunt exculti, tum vnus honore ac munere publico præsignis, qui huius vnius negotij conficiendi causſa octo minimùm dierum iter cõfecerat; sed laborem fructus abundè compensauit. Duorum inimicitiæ sublatæ, ægri complures adiuti. In iis vnus sacrum viaticum, quod deferebatur, lectulo desiliens, supplex & humi stratus excepit. Alter illacrymans præsentem coràm Dominum tanto sensu pietatis allocutus est, vt circumfusæ coronæ lacrymas expresserit. Vir honestus

morti propinquior quàm putaret, noſtro quitum fortè cũ Illuſtriſſimo D. Cardinali propiùs aberat, accito, confeſſus, rogauit impenſiùs, vt ciuis alius quicum graues inimicitias exercebat, ad ſe venire ne grauaretur, veniam ſe petere coramque petiturum. Super hæc accepto ab ipſo Illuſtriſſimo D. Cardinali viatico plenariaque donatus indulgentia, diem illum clauſit extremum. Miles quidam glorioſus magna apud Caluiniſtas auctoritate, maiore ſui confidentia, farragine venenorum ab hęreticis vndequaque decem ipſis annis emendicata rhapſodiã non imprudenter minus quàm impudenter in ſacroſanctum Miſſæ ſacrificium idiomate vulgari (vt erat homo penè idiota) vulgauerat, & vulgo fucum fecerat. Eum è Societate nonnulli rogati per litteras à Theologis ipſis Pariſienſibus variis telis facilè confixerũt; vnus verò præ ceteris duobus voluminibus in eum editis gemino velut ariete ſic perculit atque proſtrauit, vt ipſi commilitones hæretici vulgò velut attoniti ſtuperent: tantaq; ſuauitas ſtili fuit etiam configentis, vt ſibi certatim libros illos qua prece, qua pretio compararent. Edax quædam tenaxq; ſcabies puellulæ genas frontemque populata, iam in certam oculorum perniciem graſſabatur. Eam parentes D. Magdalenæ (cuius in æde noſtra ſacellum eſt) voto concepto commendarũt. Nec mora, eo ipſo die puella meliuſculè habuit, altero verò deterſa funditus labe conualuit, & voti damnati parentes in eo ſacello volentes libenteſq; perſoluerunt. Furioſus quidam aquæ luſtralis adſpergine, ſimul cerea imagine Agni Dei ſanatus. Mulier impulſu dęmonis, primùm aptata ad collum reſte ſeſe fruſtra ſtrangulare nixa, ferro protinus arrepto duo ſibi vulnera, in gutture vnum, alterum in pectore altius impreſſerat. Clamore concidentis horribili

horribili exciti vicini accurrere, alij chirurgum, alij ſacerdotem noſtrum accerſere. perfectumque non ſine ſpecie miraculi, vt expiatis ritè peccatis, viatico inſuper, & Extremæ vnctionis Sacramento munita vitam, vt ſperamus, beata morte miſeram commutaret. Duæ puellæ hauſtu aquæ benedictæ ſalutari febrem illico depulerunt. Periſtylum ſibi ſenatus concionibus audiendis in æde noſtra faciendũ curauit opere pereleganti, idemque ſibi commodi ſeorſum iuncti curant Quæſtores ærarij Regis præfecti, vnà cum Cancellario ac Iuri dicundo præfectis; ſed & aliud periſtylum ſibi cogitant ſex viri vrbis moderatores. ſic flos populi deriuatus ad nos confluit. Quidam non obſcuro loco matrem in foro publicè verberauerat, eamque inſuper graui lite vexabat grandis iam natu vir: fortè illius mater cùm noſtro confeſſario conſcientiam aperuiſſet, rogauit vti pro ſe proque filio faceret. fecit ille, nec ita multo pòſt pertinax ac ferox ille homo, qui adhuc virorum nobilium, ac noſtrorum etiam preces ſuperbè repudiarat, pernegans ſe vnquam in gratiam cum matre rediturum, quibuſdam ex illis grauibus honeſtiſque viris præſentibus, nec tale quidquam expectantibus, derepentè ad matris pedes accidit, flens & veniam obſecrans: nec priùs erigi ſe paſſus eſt, quàm tertiò iteratam à matre benedictionem accepit. ea res omnino miraculi ſpeciem tota vrbe habuit, vſque adeò fuerat deſperata. De totius vitæ confeſſionibus, deque operibus miſericordiæ Societatis noſtræ ſolemnibus, de catechiſmo, aliiſque id genus conſulto tacemus, quia longum adeoque ſuperfluum eſſet eadem ſæpiùs tam vſitata præſertim inculcare.

Colle-

## *Collegium Ruthenense.*

ALVIT hoc Collegium viginti è nostris; sacerdotes septem, præceptores sex, quorum vnus est sacerdos; Coadiutores quinque, & Scholasticos tres, quorum duo Philosophiæ student. Horum opera domi foriſque multis vtilis fuit. nam præter scholarum exercitationes, quæ penè millenis profuerunt, etiam ad externos, & longè positos deriuata est vtilitas. sed primùm domestica tangamus. Concionatus est toto tempore Aduentus in primario templo vnus è nostris, cui frequens auditorium præter morem dedit operam. Classis Philosophiæ auditorum multitudine, & ingeniorũ flore sic floret, vt nunquam antea tam florens fuerit; cumque tam multos locus capere non posset, cogerenturque sub ioue pluuio dicta excipere, extructis intra classem temporaneis tabulatis angustiæ nonnihil laxatæ sunt. Discipulus vnus imprimis nobilis morbo decumbens, condiscipulorum precibus, vt petierat, commendatus, facta exomologesi quàm citissimè conualuit. Præmia solemnia, quæ iamdiu benemeritis dari desierant, liberalitate Reuerendissimi Episcopi magnificentissimè distributa. Addita tragœdia latina Iephte, quam splendidissimus apparatus, magnaque hominum frequentia cohonestarunt. E multis qui Societatem affectant, selecti octo præstantes iuuenes pietate & litteris, è quibus tres Philosophi in Lotharingum nouitiatũ missi; reliquos partim Philosophos, partim Rhetores excepit & fouet Tolosanus. Cæteri istorũ exemplo animosiores effecti oportunum admissionis tempus expectant. Hæc domi. Duo è nostris missi in Gaballiam, qui concionibus, familiari alloquio,

piorum

piorum librorum distributione cùm Catholicos, tum hæreticos adiuuerunt, populumque à choreis ad vespertinas preces suauiter traduxerunt. Alter tota Quadragesima cõcionatus Sanctafricæ (vrbs est ab hæreticis dudum occupata, in qua tamen constanter tertia pars ciuium Catholicam retinent religionem:) in ea ergo omnium penè Catholicorum excepit confessiones de tota vita confitentium. Ecclesiæ reconciliauit aliquot hæreticos: ex iis vnus iam septuagenarius, veritus ne in hæresi moreretur, instituit quàm maximè, vt quamprimùm restitueretur Ecclesiæ. Alia (erat enim mulier penè sexagenaria) cùm festo die Christi resurgentis hæresim publicè eiurasset, lacrymans ipsa lacrymas omnibus mouit. Ea res sic hæreticos malè habuit, vt sequenti nocte eius domum incendere sint conati, postibus illius resina & pice oblitis, igneque subiecto: atque ea sanè deflagrasset cum vicinarum omnium periculo, nisi Deus media nocte huc hominem deduxisset, qui clamore vicinos excitans diuinam prouidentiam piorum conatibus inuigilare ostendit Doctrinam Christianam edocti pueri, puellæq; præsentibus grandioribus, ipsisque etiam magistratibus. Præmiola ad accendendos animos eam ob causam distributa sic probata sunt, vt aliqui etiam ex parentibus hæreticis liberos suos vel mitterent ipsi in Ecclesiam, vel saltem eò proficisci sinerent ediscendi catechismi causa. Minister hæreticus hîc degens nostrum sua quotidie deliria populo propalantem, adeò reformidabat, preces vt indiceret ob eius decessum. Qui olim disputationibus omnes prouocabãt Ministri, nunc fracti alloquiis ea de re habitis, silentium colunt plusquam Harpocraticum, causæ scilicet suæ & viribus diffisi. Discedentẽ nostrum lacrymantes Catholici penè

omnes

omnes sunt prosecuti. Concionatus item vnus è nostris Lauauri (est hęc vrbs sedes Episcopalis) auditus est libentibus animis, concursu solito maiore; quem secutus est fructus non pœnitẽdus. Nam cùm vix tres quatuorúe in feriis Christi nascentis soliti essent cælesti pane refici, reperti sunt ducenti, aut his plures. Doctrinæ Christianæ explicationi, quę ter quothebdomadis fiebat, frequentes interfuerunt, non modò pueri puellæque, sed viri etiam grauiores.

## *Collegium Auscitanum.*

LABORARVNT in hoc Collegio septemdecim, sacerdotes septem, præceptores sex, quorum vnus est sacerdos, Coadiutores quinque. Affulsit nouus sol Archiepiscopus vir pius, & nostri amãs. Hunc excepimus venientem epigrammate & dialogismo. sequenti verò die ob felicem eius inaugurationem datum drama, cui titulus Ambrosius inauguratus. Iunctum socco cothurnum sic probauit, vt in annua præmia certam pecuniæ summam excitandis discipulis pollicitus fuerit; quin & egregiam diui Ambrosij tabellam in rei memoriam se propediem curaturum spopondit, interim alteram magni pretij diuæ Magdalenæ è Parisiensi nostro naufragio ære suo ob raritatem ereptam, dono mittens. Secundùm hunc diem die quarto in templo nostro piè faciens, & nostris & scholasticis ferè ducenis sacram synaxim est impertitus. Voluit idẽ apud nos quasi vnus è nostris semel iterumque prandere. Eius vicarius argentea pyxide non minimi pretij, Christi sacro corpori recipiendo nos donauit. Explicata doctrina Christiana à Patre Vicerectore in nostro templo magno concursu & fructu. Exceptæ confessiones generales

nerales plurimæ, & in his nobilis cuiusdam, qui iam toto triennio tam salutari remedio se priuarat. E cœno hæreseos emersêre terni, & in iis nobilis femina. Ad idem dispositi duo. vnus aliquis quinque beneficiis onustus, nostrorum suasu vnico viuit contentus dimissis cæteris. Floret vtraque parthenia Sodalitas, ea maximè quæ maior vocatur, accessione primorum ciuitatis. Discipuli longè solito plures Philosophicum stadium emensi, scilicet triceni septeni. Foris autem tres sacerdotes tribus in opidis Quadragesima & Aduentu concionati doctrinam Christianam rudibus explicarunt. Frequentem vsum Sacramẽtorum penè abolitum restituerunt, anicularum deliramenta exstirparunt, dissidia inter proximos, turbasque ciuiles pullulantes sustulerunt. Quæ de corpore Christi nomen habuit Sodalitas, iam penè labans concionatoris nostri hortatione, quæ defloruerat refloruit, pieque sancitum, vt Sodales singuli, singulis mensibus cælesti pane reficiantur. Alio in opido Sodalitium institutum sub titulo D. Nicolai, iis inter alias legibus, vt minimùm quinquies quotannis omnes communicent, ac si quid iurgij enascatur, de primorum sententia illicò componatur, qui pacem renuat, ex Sodalium albo expungatur. Gimontij hoc anno sacerdos vnus è nostris est concionatus Aduentus & Quadragesimæ tempore, tanta ciuium gratulatione, vt vnà omnes de Collegio nobis ædificando & dotando cogitarint, eaque de causa miserint ad R. Patrem nostrum Prouincialem primarios duos Consules. Ibi veteres inimicitiæ inter sanguine iunctos, qui annis septem eadem domo & mensa vsi fuerant, nec se vel verbo vno salutarant, sublatæ. Varia item odia inter diuersas familias capitali odio totos quatuordecim annos

dissi-

dissidentes, frustraque de reconciliatione ab aliis tentatas extincta penitus. Libri improbatę lectionis combusti, offerentibus vltrà possessoribus. Restauratum nostri suasu pia ciuium liberalitate magnæ Matris sacellum. Excursum deinde in pagum vicinum hæresi media ex parte infectum, concioque habita in ecclesia penè diruta: & quoniam à triginta penè annis concionatorem audierant nullum; illi è suggestu de vita rectè instituenda familiariter loquenti auditores detecto capite polliciti sunt se omnia quæ diceret facturos. tandem ibi tres ab hæresi erepti.

## *Collegium Agennense.*

VIXERVNT hoc anno in isto Collegio triginta-quatuor, ex quibus octodecim Collegij officia obeunt, sacerdotes sex, totidem præceptores & Coadiutores, reliqui sexdecim. demigrante seminario nostrorum Theologorum Burdigalam, hic per semestre spatium substiterunt. Scholarum fructus idem qui superioribus annis. Partheniæ Sodalitates florent pietate & numero; maior præsertim, quæ ex nouo sacello exædificato ad pietatem sensit sibi calcar admoueri. Rediere ab hæresi ad fidem tredecim, & in iis sacerdos sexagenarius aliusque vir nobilis. Libri pestiferi flammis vltricibus traditi. In vrbe hæretica, in qua à viginti minimùm annis synaxis nulla fuerat celebrata, post hortationem ad eam rem habitam, festo die cælitibus omnibus sacro, hæreticis inspectantibus, centum & sexaginta sub dio, quia templum solo æquatum erat, communicarunt. Redierunt in gratiam sexaginta hominum paria, inter quæ læta fuit conciliatio duûm primarũ familiarum & magistratuum, qui simul postmodum pane cæle-

sti sunt refecti. Alter tam atroces cum alio gerebat inimicitias, vt viginti annis confessione & communione caruisset: destitit tamen suasu vnius è nostris, & bene paratus Christi corpore est refectus. Excitatum incendium, & vicina quæque populans, iniecta cælestis agni cera benedicta extinctum est. In vico proximo res fuit vsque adeò noua, Catholicum concionatorem audire, vt vix vlla concione non fluxerint aliquibus lacrymæ, & quidem eo die, quo de patiente Christo fit sermo: pluuio quamuis cælo & lutulentis viis, tantus fuit concursus, vt aliqui deliquium sint passi. Sodalitium Rosarij B. Virginis in insula Iordana restitutum, mosque illius ter quotidie salutandæ postliminiò reuocatus. Explicata ab vno è nostris officia Christiana. Confessione facta vnus continuo morbo, quo decem & octo dies afflictatus fuerat, leuari cœpit. Alter itidem emisso B. Virgini voto conualuit. Idem posset dici de pluribus aliis ægrotis. Sublatus abusus confitendi ea quæ libido ferret. Miles quidam cùm iam abiecta militia rei augendæ operam dedisset, & contestata lite prædium quoddā amisisset, impatiens damni finire vitam decreuit. Priùs tamē, vt consueuerat, in nostro templo rei diuinæ voluit interesse, indeque editiorem quemdam tumulum quem Garumna alluit, petens, se post orationem derepente in fluuium præcipitat, IESV nomen identidem inclamans. Atque ille quidem mersus est, sed non demersus. Diuina enim vis hominem sustentabat, perireque non sinebat. homo ergo senex non sine Deo ad ripam enatans domum delatus, vni è nostris ad id vocato confessus est, sibique redditus suam vecordiam coram omnibus est detestatus. Obiit vir pius & doctus Theologus Ecclesiæ Cathedralis istius vrbis, vir amantissimus Societatis

tatis nostræ, & quam moribundus sanctam appellabat. Is ergo tum prædium, tum domesticam supellectilem Collegio nostro legauit.

## *Collegium Petracoricense.*

HABVIT ex nostris Collegium hoc viginti plus minus, sacerdotes octo, magistros sex, quorum vnus sacerdos, Philosophiæ auditores duos, reliquos Coadiutores. ex multis morbo vexatis obiit sacerdos vnus. Concionatum à nostris in summo templo non modò Aduentus & Quadragesimæ tempore, sed penè etiam totius anni Dominicis. Fructum tamen taceo, non quia exiguus sit, sed quia communis. Hæretici quatuor Ecclesiæ sunt restituti, totidem ex nostris classibus adolescentes in Societatem admissi. Præter solitas solemnioribus festis excursiones, discurrit vnus æstiuo tempore per pagos & opida magno cum fructu: nam sacerdotes à concubinatu retraxit, dedocuitque abusum quo spreta auriculari confessione, generalique contenti absolutionem impertiebantur, & ad sacram synaxim admittebãt. Hæresim professos Ecclesiæ reconciliauit, meditantes fugam ad hæreticos ita mouit suis de Eucharistiæ concionibus, vt palàm asseuerarint se numquam ab Ecclesiæ castris recessuros: quæ vt firmiora essent, instituit illis ex facultate Reuerendissimi Episcopi Sodalitium sub titulo Corporis Christi. Missus item auctoritate Illustrissimi Cardinalis de Sourdis, Archiepiscopi Burdigalensis ad populum multis ab annis hæresi infectum: cui muneri cùm inuigilaret, Ministelli hæretici nullum non mouerunt lapidem eum vt de medio tollerent, vel saltem eius conatum retardarent: placuit tamen Deo veritatem signis aliquot declarare.

Cùm

Cùm enim noſter de Aſſumptionis Deiparæ triumpho concionaretur, mulier hæretica perfricte fronte in Eccleſiæ contemptum nere cœpit; nes admonita damnatum opus intermiſit, donec eiu filius, qui tum fortè natabat, aquis præfocatus affertur. concurrunt vndique ciues rei nouitate ſtupefacti, tanto numero & impetu, vt cœnaculum alioqui firmum corruerit, & quinquaginta circiter viuos cum mortuo cõſepultos, obruerit. Aliud eodem tempore prodigium contigit. Contenderant hæretici de cæmiterio ſuorum cadaueribus deſtinando, cumque hortum cuiuſdam Catholici præter iuris ordinem ſibi vſurpaſſent, vnus ex hoſtibus exultare cœpit, ſibique & ſuis gratulatus: Ecquis, inquit, erit primus, qui ſuo corpore cœmiterium hoc conſecret; cumque alter Catholicus reſpondiſſet ipſummet fortè futurum; recuſat ille honorem, ſeniorique debitum addit: locum tamen deſignat quo ſepeliri vellet, ac mox domum profectus interiit, ibique primus ſepultus eſt Taceo pluuiam ſanguineam ad deterrendos homines à tanta impietate diuinitus miſſam. Sed cùm lapidibus noſtrum obruere meditarentur, hic Chriſti conſilium ſecutus, excuſſo puluere ad aliam migrauit prouinciam, vbi benignè exceptus gregem Domini magnopere eſt conſolatus. Rogatu Capituli, & ciuium Sarlatẽſium primùm hoc anno vrbem illam noſtri ſunt ingreſſi. Dici vix poſſet quanta amoris ſignificatione noſtrum exceperint concionatorem, quantoque cum concurſu eidem toto Aduentus tempore concionanti, ac doctrinam Chriſtianam explicanti dederint operam: aderant penè omnes à minimo ad maximum. Fructus inde conſecutus fuit frequentatio Sacramentorum in feriis Chriſti naſcentis. cùm enim aliàs penè eſſet nullus, qui extra Paſcha cæ-

lesti pane reficeretur, tum pauci reperti sunt, qui idem in natalitiis non præstiterint. Centum circiter de tota vita confitentibus aures datæ, & multis quidem qui nunquam omnino, aliis qui numquam id bene fecerant, reuocati multi à simonia. Cùm Priuatenses ciues sancta æmulatione vicinarum ciuitatum Lemouicensis & Petracoricensis, de Collegio nobis ædificando cogitarent; tandem obtinuerunt, vt interim dum negotium vrgeretur, concionatorem haberent vnum è nostris. Vix dici potest, quanta cum animi lætitia exceptus sit & auditus, iam ab anno 1599. & respondit operæ fructus: nam frequens Sacramẽtorum vsus introductus. voluerunt enim præcipuæ ciuitatis familiæ nostro confiteri. Sublatæ lasciuientium choreæ non sine difficultate, quod etiam obtentum est à Sodalitatibus quibusdã, quarum prisca pietas degenerarat in antiqua bacchanalia. Tenebriones nocturni assueti viuere ex rapto, repressi. A concubinatu multi retracti. confessiones generales auditæ plurimæ. vicini hæreticorum Ministri iussi tacere. reconciliati quamplurimi dissidentes, & in his aliquot coniugatorum paria. Quæ & similia cùm ciues videant nostrorum operâ præstita, ita afficiuntur, vt magis ac magis de Collegio ædificando & ornando cogitent. quam ad rem iam ecclesiæ aliquot pararunt donaria. Nobilitas circumvicina, vt fructus est particeps, ita amori non cedit: sic vt vnus illorum de Collegio nobis ædificando cogitarit, quod fortassis in alia pia opera commutabitur. alius ter mille nummos aureos coronatos malè partos restituit suis dominis.

Colle-

## *Collegium Biterrense.*

DIV multumque expetiti nostri Biterras appulerunt mense Iulio anni 1599. Collegij ergo ædificationem adeò vrserunt ciues, vt magnis licet impensis, locoque commodissimo tandem absoluerint, & sub diui Ludouici titulo dedicarint. Versantur ergo ex nostris ibi sexdecim, sacerdotes septem; quorum duo docent, alter Casus conscientiæ, alter Philosophiam; præceptores alij quinque, & reliqui Coadiutores. Alet enim Deo bene propitio plures in tempus futurum. redditus enim illius est quatuor millium trecentorũ Francorum. Scholæ vltra quàm in initiis sperandum foret, feruent & numero & splendore iuuenum ad omnem animi cultum propensorum Pietatem collige ex eo quòd quinque Dominicanorum familiam, vnus Capucinorum auxerunt, præter eos qui nostram ambiunt Societatem. Confessiones plurimæ auditæ, & scelera malè dudum occultata, bene patefacta: quòd scilicet intelligerent nihil apud nos antiquius secreto confessionis. quæ res exciuit aliquos, vt itinere permolesto trium quatuorue leucarum, ad nos, vt se peccatis expiarent, venirent. Reuocati à necromantia aliqui. reuocati hæretici ad fidem centum, aut his plures. In iis matrona nobilis, quæ quo antea petulantior in irridendis Catholicis, eò iam ardentior in iis imitandis, ac potissimùm in Sacris tribus aut pluribus quotidie audiendis. Alius magnæ apud hæreticos expectationis, & non modò Ministris permultis charissimus; sed ipsi etiam Bezæ hæresiarchę familiaris, ac propter eximiam doctrinam ab omnibus hæreticis honoratus; cùm vnum è nostris semel concionantem audisset, motus diuinitus

uinitus longo pòst tempore ſtimulante conſcientia fugam ab vrbe hæretica meditatur, & in noſtrum Collegium venit de rebus ſuæ ſalutis conſulturus. cumque Biterrenſes hæretici rem intelligerent, adeunt hominem, laceſſunt diſputationculis, minis perterrefaciunt: ſed fruſtra. abeunt igitur mentis impotem conclamantes. At ille ſibi talem inſaniam gratulatus, ſacellum noſtrum petit, ibique oratione latina non ſine lacrymis ad Chriſtum fuſa, magna Catholicorum lætitia hæreſim abiurat, ac tandem Auenionem profectus, indeque Romam diſcedens, pollicetur multa ſe de rebus hæreticorum ſcripturum, quorum ipſe teſtis eſſet oculatus. Similia poſſent addi quamplurima; ſed ex iis paucis reliqua colligentur. Quot enim in fide fuerint confirmati, vix dici poteſt, ſed hic fructus maximè cõſiſtit in adoleſcentibus noſtræ fidei creditis. mittuntur enim a parentibus hæreticis, nequidquã reclamantibus Miniſtellis diaboli: ſuntque reperti quamplurimi, qui bruta Miniſtrorum fulmina hoc nomine intentata audacter contempſerunt. Excurſiones multæ factæ ſunt in vicina opida, nec ſine fructu: repreſſi enim ſunt hæreticorum conatus, erectæ cruces, templa reſtaurata, nutantes in fide confirmati, & alia id genus. Vnus ætate ſenex graui languore animi oppreſſus dæmonis blanditiis eò adductus eſt, vt ſe ſuumque filium pernicioſiſſimo conſilio hoſti generis humani dedere cogitaret: ſed a tam impio conſilio ſuaſu vnius è noſtris, cui poſtea eſt confeſſus, eſt reuocatus. Ægerrima mulier, & penitus conclamata, ſimul vt ad extremum certamen vncta eſt, conualuit mirantibus omnibus. In Agatenſi miſſione (eſt Agatenſis ciuitas Epiſcopalis non incelebris) præſtitum, vt priſca ſæpius confitendi & communicandi conſuetudo,

quæ

quæ penè exoleuerat, reſtauraretur admirante ciuitate frequentem populi concurſum, ad ſacra myſteria percipienda.

## *Collegium Lemouicenſe.*

FVIMVS in hoc Collegio toto ferè anno quindecim ſedecímve, Patres ſex ſeptémve, præceptores quinque, Coadiutores quatuor. A Paſchate addita eſt quinta claſſis, quam plures quadringentis frequentant auditores, in iiſque plurimi nobiles. In vniuerſum nongenti ſunt ſtudioſi in quinque ſcholas diſtributi. Duo Carthuſienſium, ſex Franciſcanorum, quos Recollectos vocant, habitum ſuſceperunt. Duo in noſtram Societatem admiſſi ſunt, plures petierunt. Diſtributa ſunt diligentioribus publicè præmia, liberalitate Reuerendi Antiſtitis & Epiſcopi Lemouicenſis, dicto ad eandem rem appoſitiſſimo dramate, cui nomen Somnium vigilis. Hęreſim noſtrorum operâ ſex aut ſeptem abiurarunt. In fide nutantes plurimi cõfirmati: graues inimicitiæ inter plurimos ſedatæ. Martialis Mouretus procuratoris filius, grauiſſimo conflictatus morbo, atque à medicis deſertus, B. P. N. Ignatij precibus ſe commendauit, imaginem petiit, oſculatus eſt, ſtatimque melius habere cœpit, ac breui cõualuit: nunc beneficij non immemor Societatem noſtram ingredi meditatur. Luſtralis aquæ præſens remedium non animis ſolùm expiandis, ſed corporibus etiam morbo leuandis adhibitum; patuit mira eius vis in depoſitis, & quibus fruſtra medicorum auxilium expetitum fuerat. In quo genere puer ſcholarum noſtrarum ægritudinem, quam multi ob inſolentiam & grauitatem doloris incantationi tribuebant, non alio pharmaco vel

carmine depulit, auctore vno è noſtris, qui maiore ieiunio in vrbe Eccleſiaſten egerat, multiſque in aliis expertus fuerat, ſacræ huius aquæ hauſtum febrium ardoribus reſtinguendis potentiſſimum. Quin etiam Doctor medicus paralyſis dolore animo propè defectus, ſibi vitæq; redditus non Galeno, vel Hippocrati Gallum, ſed huic pio medicamini Chriſtoq; gratias debet. Tanta huius Collegij fama, vt ex vicinis caſtris & vrbibus, ad viginti imò quadraginta interdum milliaria diſtantibus cõfluant, expiandorum peccatorum, & petendi conſilij cauſſa. non ſemel etiam ex remotioribus vrbibus miſſi Caſus conſcientiæ ſoluendi. Confeſſionum maior in dies frequentia & fructus. his enim audiendis vacant ferè aſſiduè ſex Patres; & iam non mulierculæ tantùm, vt initio, ſed viri etiam graues, nobiles, Iudices, regij Quæſtores, aliiq́ue ciues ventitant. Aenti (quæ vrbs vnius diei itinere ab hac diſtat) Pater vnus tota Quadrageſima conciones habuit; alius toto penè anno catechiſmum in vrbe docuit. Ad vicina loca interdum miſſi præceptores concionandi cauſſa. Pro Aduentus tempore Francopolim (inferioris prouinciæ Ruthenæ caput eſt) vnus; Burgum in agro Burdigalenſi alius Pater, ad habendas conciones miſſi.

PRO-

# PROVINCIA LVGDVNENSIS.

Erimvs in hac prouincia socij ducenti & septuaginta, in sex Collegia, & domum probationis cum residentia Tonnonensi distributi. In Collegio Auenionensi octoginta, sacerdotes triginta; ex quibus duo Theologiæ Scholasticæ magistri, moralis vnus, Philosophiæ verò & Mathematices quatuor, septem sunt auditores Theologiæ: ex aliis, qui sacerdotes non sunt, quinque litteras humaniores profitentur, quatuordecim Theologiæ, nouem Philosophiæ dant operam: ceteri Coadiutores. in Collegio Turnonensi quadraginta versantur è nostris, sacerdotes vigintiduo; ex quibus vnus Theologiam profitetur, quatuor cum Mathematicis Philosophiam, duo Theologiæ dant operam & Casibus conscientiæ: ex ceteris autem quinque sunt humaniorum litterarum magistri, vnus Theologiæ & Casuum auditor, alter Rhetoricæ: ceteri Coadiutores. in Collegio Camberiensi & residentia Tonnonensi huic Collegio subiecta degunt viginti septem; & quidem Camberij sex sacerdotes, magistri quinque, ceteri Coadiutores; in residentia Tonnonensi sex versantur, sacerdotes quatuor, vnus catechistes, magister puerorum alius Coadiutor. in Collegio Anicienſi fuere plus minus duo supra triginta, sacerdotes quindecim, ex quibus vnus Casus conscientiæ docet: ex aliis verò magistri 6. reliqui Coadiutores. in Collegio Dolano numerantur è nostris 47. sacerdotes 22. ex quibus vnus Casus conscientię docet, tres Philosophiam, alter humaniores litteras, quatuor studeni Casibus conscien-

tiæ, ex aliis verò quinque humaniores litteras profitentur, totidem Casibus vacant, vnus Rhetoricæ, ceteri Coadiutores. in Collegio Bisuntino viginti, sacerdotes decem, ex quibus vnus Casus conscientiæ docet, alter Logicã, magistri humaniorum litterarum quinque, totidem Coadiutores; in domo Probationis Auenionensi tres supra triginta, quorum octo sunt veterani, sacerdotes quinque, è quibus vnus cum altero non sacerdote tertium probationis annum peragit, alius est nouitius, quatuor Coadiutores, ceteri nouitij. Admissi in Societatem septemdecim, dimissi è nouitiatu duo; è Collegio Auenionensi vnus, defunctus Camberij vnus.

## *Collegium Auenionense.*

DISCIPLINA domestica suum cursum & splendorem tenuit, studium mortificationis & solidarum virtutum idem cum superioribus annis, obedientia, fraterna charitas, demissio sui potissimùm apparuerunt: ad paupertatis propositũ confirmandum, renouata consuetudo Societatis ferendi ad superiorem omnia, quæ quisque priuatim haberet: non sine fructu. sic enim nouo iubilæi anno ad proprios & antiquos dominos omnia redierunt, amputatæ fibræ leuiculæ tenacitatis icuncularum, & aliorum huiusmodi; in singulis nouus religiosæ nuditatis ardor exarsit. sed fere quæ maximè excellunt in hoc genere, quia quotidiana, & cum reliqua Societate communia, prætermittenda: satis sit hoc veluti iacto fundamento fontes ipsos ex quibus tam præclara in salutem proximorum facinora dimanarunt, indicasse. Agnouimus sanè præclaram Gallicæ nobilitatis in Societatem vniuersam voluntatem: cum enim

prope

propè effusa Gallia in occursum Reginæ suæ Auenione iter haberet, non modò Principes viri nostros, qui se officij gratia salutatum venerant, humanissimè acceperunt, cum spontanea studiorum suorum in negotiis nostris pollicitatione, verum etiam familiarissimè domum nostram inuisere, lustrare templum, miscere variis de rebus priuatim colloquia voluerunt. Possem hic texere catalogum bene longum Senatorum & Consiliariorum regiorum, Equitum non infimæ nobilitatis, Ducum & Principum, Episcoporum, Archiepiscoporum, Cardinalium, qui omnes in hoc eodem officij vel humanitatis genere versati sunt; sed insinuasse sit satis. tãtùm quia inter istos vnus excelluit, non committam vt tam insignem in nostros omnes beneuolentiam, tam illustre non vulgaris sanctitatis exemplum tam breui commemoratione præteream. Is fuit Illustrissimus Cardinalis de Sourdis, idemque Archiepiscopus Burdigalensis Reuerendissimus. Is igitur, non modò quãdiu fuit Auenione, nostris vsus est quam familiarissimè, sed cùm de profectione Romana cogitaret, suos omnes in diem certum peccatis expiandis paratos esse iubet, ducit ad Collegium, coactam in congregationem B. Virginis familiam habita ab vno è nostris exhortatione, ad Sacramenta confessionis & Eucharistiæ comparat. ipse coram adest ad excitanda studia singulorum, præstolatur domi nostræ donec omnes ab exhortatione peccatorum sordes eluerint. quid plura? postridie eodem loco suos ipse sacro pane reficit, & nescias herine an familiæ totius pietatis sensus magis eluceat. tanti refert, vt ad omnia, hic maximè, ad virtutem domini & pastoris exemplum. Neq; hìc tamen Cardinalis optimi quiescit pietas, modestia, beneuolentia, agit cum nostris

ad

ad horam ferè prandij. at nihil tale cogitantibus familia dimissa nobiscum in prandio se esse velle pronunciat, vescitur nobiscum, cibis nostris tanquam vnus è nostris non minori silentio, modestia, reuerentia, quàm minimus è nostris. Alterum est in hoc genere beneuolentiæ non omittendum. Post aduentum in vrbem Sereniſſimæ Reginæ, cùm R. P. Laurentius Magius eam adiisset, tum vt qualiacumque studia nostrorum offerret, tum maximè, vt res Societatis commendaret; quod obsequium sibi esse gratum ostendit, simulq; recepit, oratione quę propensam in nos voluntatem satis indicaret, facturam se in re nostra, quantum sciret posſetque: cùm ergo eam adiisset, fortè tum erant in aula regia Duciſſæ Nemoracensis, Guisiana, de Ventadour, iubebāt bono animo esse, & breuem certumque nostrorum reditum pollicebātur, Quin, inquiebant, constitutum nobis est vnà cum Regina ad genua regia accidere, precibusque & lacrymis animum expugnare. Tertium quoddam est nouum omnino & insolens, atque his maximè dignum annalibus. Carpentoractum (ciuitas est primaria Venecini comitatus) dudum Collegium expetierat, atque hoc demum anno ita negotium vrgebat, vt propè res confecta videretur. hoc vbi Auenionenses intellexerunt (neque enim eos latere poterat, maximè quòd ea re Carpentoractenses liberiùs gloriarentur) veriti ne propinquitas noui Collegij splendoris aliquid auferret de suo, néve aliqui ex nostris propterea dilaberentur, conuocant illicò in curia municipali cœtum ciuitatis. contentio ingens oritur vicinas inter & propè germanas ciuitates. Romæ res agitur per procuratores viros primarios, studia Cardinalium vtrimque ambiuntur, coram ipso summo Pontifice negotium disceptatur.

ceptatur. propè iam actum erat in fauorem Carpentoractensium, cùm ecce tibi accenduntur animi Auenionensium furore dicam, an amore incredibili? nihil est tam coniunctum amori quàm furor, & quia inclinare in partem aduersam videbamur, in nos tota tempestas incumbit. Ponite vobis ante oculos imaginem offensi animi, & graues amicorum iras falsis rumoribus concitatas. quid offensio, quid ira, quid amor, quid opinio concepta suggereret, id omne Auenionēses nostri in suos publicè pronunciant, priuatim euomunt. vtrobique fortasse leuiores, sed tamen excusandi; quia, vt inquit ille, Res est solliciti plena timoris amor. Verbo absoluam, res vt in publico tumultu periculosior erat, quàm ipso exordio appareret, ita breui discussa de hominum mentibus caligine nostrorum orationibus, superiorum diligentia, prudentia Illustrissimi Prolegati, auctoritate summi Pontificis, qui totius caussæ cognitionem sibi reseruatam voluit, tempestas exorta conquieuit. Quòd tam ambitiosè Auenionenses de Collegio disceptarint, fecit scholasticorum numerus, & Academiæ nostræ existimatio. de hac diximus obiter ferè quod satis erat: tantū vnum addā, hæreticos ipsos tāti nominis fama permotos, frendeant licèt, & minas pro concione intentent Ministri, liberos suos iam liberiùs nobis erudiendos tradere. sed lepidum accidit, dum egregij illi concionatores grauiùs in parentes inuehūtur, vt vnus tanquam vi aculeati & amentati argumenti persuasurus in hanc orationem inciderit: Docti sunt Iesuitæ, fateor; ad pueriles animos imbuendos prompti & parati, non negauerim; ab his cognitio antiquitatis & historiarum petenda, verissimè dictum est; ab his poëtices & eloquentiæ præceptorum docta & subtilis explicatio, non inficior,

non

non abnego; vos tamen vt harum omnium humanarum scientiarum ac disciplinarum cognitione liberorum vestrorum ingenia excolatis, eorum animos ibitis perditum Iesuitarum in fide & religione impiis & nefandis erroribus? hæc fuit Ministri oratio, quam motus admirabilis animorum est consecutus. Si enim, exceperunt plerique qui aderant, ita est, vt hic noster est professus, cur non vno omnes consensu liberos nostros scholis Iesuitarum addicimus? neque verò fuit repentina & tumultuaria deliberatio; aliqui enim quod tum conceperant perfecerunt, neque denuntiationibus & terroribus conuenticuli consistorialis auocari à proposito potuerunt. Iam numerus scholasticorum quantum hoc anno creuerit inde licet colligere, quòd in tribus inferioribus ordinibus scholarum in antemeridianas & pomeridianas diuisio fuerit facienda; nihil tam nobis obest in classica, quàm locorum angustiæ. In cohorte Parthenica hoc anno supra centum & quadraginta numerati, viginti ad varias Religiosorum familias transierunt, plures ad eandem perfectionem aspirant: & certatum à Sodalibus non minus eruditione quàm pietate cum reliquis omnibus. Animaduersum enim in promotione ad gradus Philosophicos vix vnum aut alterum ex tanto numero non academicum extitisse, ex academicis quos non promoueretur relictum fuisse neminem. Erecta separatim pro Theologis academia, magnum vt speramus, saluti animarum emolumentum allatura. ex iis decem aut duodecim concionum Quadragesimales cum laude & fructu sustinuerunt. Altera ciuium & nobilium congregatio augetur in dies numero non magis quam feruore huic nomen dedit, & nouum publica professio splendorem attulit Illustrissimus Prolegatus;

plerisque

plerisque studiosissimè ambitur. hos inter cùm vir pius sępiùs admitti flagitasset, in grauem & lethalem morbum incidit. Moderatores re intellecta hominem antequam moreretur, admittẽdum iudicarunt. igitur venit ad ægrotum Præfectus cum aliquot Sodalium comitatu, salutat humaniter, alloquitur: sed qui responderet non erat; siquidem ægrum ante horas quindecim & vox & sensus propè omnis defecerat. pergere nihilominus Præfectus appellare hominem, quis esset, & quam ob causam venisset insusurrare. mirum dictu, vix audiuit Parthenicæ congregationis nomen & causam aduentus; cùm ecce veluti ex altissimo somno excitatus loqui cœpit, pronunciarè orationem eam, quam quisque quo die admittitur, solet, alternatim etiam respõdere ad hymnum in gratiarum actionem tanti beneficij; quo recitato simul obticuit, moxque suauissimè patrocinio diuæ Virginis recreatus, obdormiuit in Domino. Cùm esset obseruatum fore è multorum salute, qui hæresim abiurare parati erant, si essent qui recèns ad fidem conuersos re & opibus adiuuarent; Illustrissimus Vicelegatus eam prouinciam congregationi dedit, vt simul eorum animas & corpora curaret. hanc verò vltro recepit, & magno cum fructu continuo exercere cœpit: siquidem intra tres menses supra quindecim, qui ad hæreticos transierant, ad nos redierunt Hæretici aliquot multorum dierum susceptо itinere venêre Auenionem, vt agerent cum nostris, eorumque operâ reconciliarentur Ecclesiæ: inter quos duo adolescentes inductos se ad Catholicam religionem ea potissimùm ratione professi sunt, quòd apud nos templa, aræ & alia monumenta religionis antiquitatem redolerent; templa omnia, quæ passim in Gallia vidissent, à Catholicis Catholico ritu, &

Catho-

Catholicæ religionis vſibus conſecrata, ab hæreticis vel nulla, vel recèns ædificata cernerent. Liberati duo in carcere detenti interuentu noſtro: tertius per nos grauiorem animæ mortem euaſit. hæreticus is erat extremo ſupplicio afficiendus, quòd contra edictum Principis alium in Comitatu Venecino ad ſingulare certamen prouocaſſet. Neque verò vtiles labores noſtri ſolis hæreticis fuerunt; etiam perfidis Iudæis. merces operis fuit vnius Rabbini inter ſuos ſenis octogenarij admiranda conuerſio. Is poſt internam decem annorum pugnam, tandem manus dedit vero Meſſiæ Chriſto, quòd prophetias impletas agnoſceret. proque patria poteſtate qua fungebatur in puellam quinquennem, eam ſecum ad baptiſmum adduxit. Iurgia, diſſenſiones, odia, multorum annorum inimicitiæ partim repreſſæ, partim reſtinctæ. ſed inter cæteras nobilis fuit non vnius exulcerati iam pridem animi reconciliatio. nobiliſſimi erant Principes ciuitatis in duas factiones diuiſi magno Reip. malo, periculo maiore. res fuerat à multis fruſtra diuque tentata, ſed tandem à noſtris domi noſtræ ipſo ſacratiſſimo die Pentecoſtes, magna vtriuſque partis voluntate confecta eſt: cùm ipſi palàm & apertè pollicerentur, id a nullo alio, quàm à noſtris confici potuiſſe. Multa, præclara illa quidem, ſed Collegiis ferè communia omnibus, prætermittimus.

## *Miſſiones Venecinæ.*

INTER Venecinas ob viciniam locorum Arauſicanam numero, à qua etiam ordiemur. Arauſica vrbs celebris olim & maxima, vt ex parietinarum multiplici & inſana ſubſtructione licet intueri, Principibus Arauſicanis nomen & nobilitatem dedit:

dedit. eam vrbē ante annos trigintaquinque hæretici Caluinianæ factionis ex insidiis occuparant, eiectis omnibus, ad quos religionis, vel sacrorum cura pertineret, atq; ita grex fidelium oues sine pastore tot annorum spatio ritu sacrificij & Sacramentorum vsu caruerant. Sed hoc demum anno, annuente diuina misericordia, & beneficio Henrici IV. Galliarum Regis, Principe in pristina & auita ditione restituto, pastores ouibus redditi, Ecclesiastici regulares sæcularesque de consensu hæreticorum in partem vrbis admissi; conditio tantùm adiecta, ne Iesuitæ concionatores accederent. Visum est prudentissimo Principi, quoniam multa capita proponebantur ab hæreticis, huic ita respondere, vt neque abnueret, neque annueret. Pauci menses effluxerant, cùm occasio obtulit se huiusmodi nostros conuocandi, orta dissensione inter præfectum arcis, & eum qui iuri dicundo ciuitati præsidebat, hæreticos ambos. Catholici in præfecti partes discesserūt. Præses oppressus multitudine & potentia aduersariorum abire magistratu coactus, atque in eius locum Catholicus nominatus. Hic itaque homo Romanarum partium statim agere cœpit de concionatore Iesuita, breuique quod vrgebat obtinuit; hæreticis iam non valdè repugnantibus, quòd in eum concionatorem superioribus mensibus incidissent, à quo mirum quanta verborum seueritate castigati, quodque hominem Societatis pacatiorem fore crederent. Quare missus Auenione vnus è nostris. Is diœcesim ferè Catholicam esse comperit præter ciuitatem Arausicam: in qua etiam (quod magnopere mirere) licet hæresis annos propè quadraginta dominata sit, ciuium tamen Catholicorum numerus tertia parte maior semper extitit; imò si aratores, si transfugas, si fæcem eiusmodi plebe-

culæ eximas, pluſquam dimidia. Fides erat integra illa quidem, ſed pleroſque moribus & vita vix Catholicos agnouiſſes. ita omnia non modò impunè licebant, ſed etiam ſine acriore conſcientiæ morſu. hoc igitur primum curatum, vt concionibus, explicatione doctrinæ, vſu Sacramentorum, cæremoniis Eccleſiæ piè ac religioſè obeundis ſuo nomine digniores efficerentur. Verùm haud ſcio an quidquam aliud Catholicos in ſuſcepta religione magis confirmarit, quàm inſtitutæ ſupplicationis pompa celebris; altera in vrbe in peruigilio S. Eutropij Apoſtolorum diſcipuli, quem Arauſica ciuitas patronum agnoſcit: foris altera ad ædem diuæ Matris, ſuſcepta trium leucarum peregrinatione: atque in hac poſtrema conuenerãt Arauſicani Catholici ferè mille. Procedebant in primo agmine virgines candida in veſte, matronæ ſequebãtur, inde pueri adoleſcentulique, medium agmen clerus implebat alternantibus canonicorum & muſicorum choris; totus procedentium ordo conferta virorum turba cum cereis & facibus accenſis claudebatur. mira in vultu alacritas, in inceſſu modeſtia, in cantu pietas & religio elucebat. nemo deſeruit ordinem, nemo mutauit, nemo pluuiam ingruentem accuſare viſus; quæ res ita permouit hæreticos, vt ſeipſos ignauiæ reprehẽdere non dubitauerint. Hæc ferè cum Catholicis; iam hæretici reducti quatuor, atheus vnus. varios errores in priuato colloquio confeſſi ſunt ferè centum, quorum aliqui planè veritatem intuentur, ac ſentiunt nobiſcum: ſed nimirum quia homines ſunt, & hominibus placere ſtudent, impenſiùs à publica fidei profeſſione retardantur. magiſtellos ſuos ita vulgò iam damnant imperitiæ, vt noſtros longè ipſis antecellere, doctrinamque fidei, quam tradimus, non impro-

improbabilem' videri fateantur. Multa præterea, dum percurritur Arauſicana diœceſis, ad promouendam rem Chriſtianam appoſitè geſta ſunt. Paternis in Comitatu Venecino habitæ cõciones in Quadrageſima non ſine meſſe. duo hæretici Catholicis adiuncti: multi inter ſe diſſidentes conciliati: mulieres aliquot à turpi vita ad pudicitiam honeſtatemque traductæ: ſublatæ ſuperſtitiones: malè parta ſuis dominis reſtituta : xenodochij cenſus, qui à paupere domo ad familias locupletes tranſierat, reuocatus. Vnum accidit ad commendationem IESV nominis ſpectante populo celeberrimum. cùm enim mulier energumena inter ceteros ad ſacram ſynaxim acceſſiſſet, ac modeſtè ſimul & religioſè ſui compos accumberet; vbi diuinam hoſtiam in manibus ſacerdotis videre cœpit, furere illicò, tumultuari, horrendumque in modum clamare inſtitit: ſed à noſtro ſacerdote in IESV nomine ſilere iuſſa mirum dictu quàm derepentè, quàm ſerenato vultu quieuerit, quanta cum ſignificatione pietatis oblatum Chriſti corpus acceperit. Viſanum (opidũ eſt in eodẽ Comitatu) alterum è noſtris concionatorem habuit in Paſchali ieiunio: magna facta mutatio animorum, vt iam nobiſcũ penè conſpirent omnes, cùm antè non occultè ferrent ſuam à noſtris abalienationem. Plurimi qui numquam antè ritè confeſſi eſſent, expiati religioſè. Tres publicam hæreſim eiurarunt: nonnemo abiecit occultam. Sublatum eſt ſcandalum quoddam iam inueteratum & publicum concubinatus . mulier quæ cum offenſione totius opidi contumaciter à parentibus diſſidebat; perſuaſa tandem, ſupplex vt veniam peteret, & obedientiam pietatemque vel offenſionibus præferret vel opibus. Adita vicina loca non paruo fructu, inducti pij cãtus doctrinæ Chriſtia-

næ, miraque iam alacritate passim omnibus anni salutaria decantantur. auditæ nobilium confessiones, vnusque inter alios, qui iam biennio abstinebat Eucharistia propter inimicitias, nocendi voluntatem simul totius vitæ peccata melior senioque posuit. In feriam quintam Parasceues tam deuoto elegantique opere temporarium sacellum extructum à nostro Eucharistiæ asseruandæ, vt admirabundi accurrerent incolæ, plurimumque ad pietatem & reuerentiam excitarentur, cùm nihil vnquam tale se dicerent seniores in vita vidisse.

## *Missiones Oxitanicæ.*

HÆ quatuor fuere; Nemausensis, Aleptensis, Vticensis & Monspelliensis. Nemausensis superiore inchoata magnos hoc anno progressus habuit. id cùm hæretici verentur, nec vano timore præsagirent, consilium cœperunt in illa sua consistoriali synagoga de aditu in vrbem nostris intercludēdo. concionatori enim in Delphinatum suscipiendum iter fuerat, ad pium & felix prouectum ligione negotium. Vicerunt tamen curæ secundæ ne palàm repugnare viderentur: vicit prudentissimi Gubernatoris & Principum vrbis auctoritas, qui iam in negotio irreligiosæ religionis suæ, non sine aliqua religione molestiaque versantur. Igitur admissi sumus, ac velitationes illicò, mox pugnæ in occursu, demum totis castris vtrimq; certatum. inde trepidatio ingens in vrbe tota, quotidiana conuenticula, denunciationes Ministrorum, minæ non obscuræ: si quis esse cum nostris priuatim aut publicè auderet, excommunicationes palàm intentatæ: dara syndicis pecunia, vt re tanta curiosi & diligentes essent: certis locis dispositæ

disposita militum præsidia, excubiæ vigiliæque nocturnæ, lustratio pomerij, seuera exactio tesseræ, celerum obequitatio; quæ omnia ad eorum potissimum terrorem erant composita, qui se nostris adiungere cogitabant. Sed constat eum motum animorum vrbe tota secundò & tertiò fuisse, vt tantùm non abesset à tumultu: nec alia ratione, quàm metu armorum in Ministrorum fide teneri populus potuit. Iam verò, vt fortes viderentur atque intrepidi, ausi sunt principiò pugilem nostrum priuata disputatione lacessere: deinde vbi probatum aliquoties non venire rem è sententia, Patrē de statione & gradu moueri non posse, lumine disputationis tenebras errorū suorum suorum magis magisque clarescere; aliò conuertunt ingenia & artes, schedas, commentariola vel commenta potiùs, lucubratiunculas magistellorum & eiusmodi manuscripta spargunt in vulgus; sua etiam mendacia, ne in obscuro versentur, typis mandant, posteritati commendant: & commentariis commētaria, scriptis scripta, opusculis opuscula opposita typis etiam excusa conatus aduersariorū eluserunt, res nostras illustriores nobilioresq; reddiderūt. Igitur nostrum aggrediuntur non iam amplius verborum aculeis, sed lenociniis, laude, gratulatione donorum naturalium: palam etiam profitentur nihil esse in quo dissentiant, non aliud docere se aut credere, quàm doceremus. Quid multa? Patrem Caluinistam esse prædicant, præterea fictitiam declarationem, & fidei Catholicæ abiurationem nuperrimè editam ignoti prorsus & hactenus in Gallia inauditi pseudoiesuitæ, quem P. Edmundum appellant, tota vrbe proclamari, legi in tabernis & circulis, circumferri aliò spargique curarunt. Sed frustra conatur hæresis cursum veritatis Euangelicæ re-

tardare. siquidem inter tantas in vnum hominem conspirationes, non modò maxima Societatis laus, verùm etiam ingens animorum fructus beneficio supremi numinis locum inuenit. Primò enim hæretici triginta quinque relictis erroribus religionem Catholicam palam amplexi sunt. quorum è numero tres magistratum gerunt, vnus insigni eruditione clarus, nobiles duo, matrona primaria, & Ministri Geneuensis filius; cui tum fortuna domestica, tum puerilis educatio, tum ingenium satis ad ea studia natum breui Pastoris inter suos dignitatem pollicebantur. Deinde tota ciuitas ita commota concionibus, exhortationibus disputationibusque nostrorum, vt plerique submurmurent, se, si per edicta regia, quod iam agitur iure cõmuni & libero ciuitatis, suffragijs honorum & Magistratuum Catholicis vti liceat; palàm eam fidei doctrinam professuros, quam in recessu animorum iam agnoscunt, & vt veram, atque vt ad salutem necessariam amplectuntur. Cum Catholicis præcipuus labor, præcipua vtilitas: vix nomen suum in illa colluuie sustinebant. Vix vlla hos inter & Catholicos distinctio in vita moribusque, nulla præter Dominicum diem Festorum obseruatio, nulla religio ieiuniorum, nulla dierum ciborumque discretio, infrequentes in templis, rari in concionibus, in ritu sacrificij pauciores: ceterùm communia cum hæreticis omnia, domus, mensa, thorus, sepulchrum. quid ergo mirum si commisti inter gentes didicerant opera eorum? satis sit dicere, his tantis totque malis sua diuino beneficio quæsita remedia: eumque mox motum & animorum commutationem esse consecutam, vt animaduersa (non poterat enim non incidere in oculos) Catholicis incredibilem voluptatem, atque in fide admirabile robur adtulerit.

rit. Hęc in vrbe ſummatim: ſingula enim proſequi longum eſſet. itum etiam ad agros & vicina opida cum aliqua meſſe animorum. excurſum ad Arelatenſes, Tarraſconenſes, Belliguadenſes, ad ſancti Ægidij, & alia circumquaque loca variis occaſionibus: vbique cum fructu. Venio ad ſolemnem cum hęreticis concertationem: quam tamen antequam aggrediar, duo præmittenda ſunt, quæ mira Nemauſi accidêre, ad terrorem hæreticorum, & fidem illius veritatis, quam Miniſtrorum impietas oppugnabat. Ex hæreticorum ſentina neſcio quis iurare & peierare ſolitus crebrò in eum ſermonem incidebat, vt ſibi cæcitatem imprecaretur, niſi vti affirmabat ita res eſſet. valuit imprecatio, cæcus derepentè factus eſt. Præſul Catholicus cùm octauo die annuæ celebritatis ſanctiſſimi Sacramẽti populo benediceret, vbi thecã ſacratiſſimi corporis contingere cœpit, vidit clara & euidenti viſione diuiniſſimum os IESV Chriſti Domini noſtri: facies plena decoris, & maieſtatis lumine incredibili radiabat, lineamenta ſancti ſudarij, quæ circumfertur, imaginem referebant. atque hæc tam auguſta ſpecies in eo ſpatio, quod hoſtia conſecrata occupauerat, apparebat. Diceres Deum opt. max. hoc tam inſigni miraculo Catholicos omnes, & ſacerdotem noſtrum maximè, ad breui futurum certamen de reali pręſentia corporis Chriſti in Euchariſtiæ Sacramento comparare voluiſſe. Accipite nunc pugnam nobilem, nobilemque victoriam, cuius hæc fuit occaſio. Ediderat noſter in Miniſtrum quemdam Gratianopolitanum apologeticum doctrinæ de SS Sacramento quam Gratianopoli publicè pro concione docebat, quamque ſciolus ille vulgato libello voluerat iugulatam. Igitur capita Nemauſenſis Eccleſiæ, ita ſuas ſynagogas appellant, venienti malo

occurrendum rata, primùm in circulis & concionibus Apologetici auctoritatem eleuare : deinde ratiunculas aliquas obiicere, easque librariorum operâ spargere in populo : demum vt Theologos Burdigalenses, & alios Catholicorum in suis in Mornæum lucubrationibus imitarentur; centum circiter auctoritatum, quas citari falsò, vel non referri aut vsurpari fideliter assererent, inuentarium edere. Vulgus non tam ratione quam opinione ducitur. Quare concionator noster consilium capit hominis aggrediendi rationem dictorum scriptorumq; redditurus. sed nõ est repertus in consistorio, qui congredi vel etiam coram adesse auderet. res delata ad quendam Chamierum nobilem in his partibus Ministrum, Pastorem Ecclesiæ Montis Damarij, cuius etiam erant capita præcipuè in nos scripto euulgata. Mittitur igitur Diaconus cum notario qui Patri nunciaret, si diceretur dies, Chamierum minimè vadimonium deserturum. dicitur, accersitur Minister, venit. ac postquam in ærarij cameram conuenissent omnes, hora post meridiem ferè tertia (duabus enim horis à nostro expectatus est aduersarius) cunctique ascendissent; prior assurgit hæreticus, ac nescio quam precandi formulam præire cæteris incipit sonora voce. Noster contrà obsistere id esse contra decretum Concilij Laodicensis, quo vetamur cum iis quorum se similem esse vellet, commercium habere precationum ad Deum. visum est Illustrissimo Cardinali de Sourdis, qui tum fortè aderat, & moderatoribus disputationis viris primariis, quos sibi vterque cum secretario delegerat, vti quisque priuatim & in silentio suam funderet orationem. Oratione peracta, profert Minister librum de sacrificio Missæ, noster Chamieri manuscriptum. hæreticus Patris nomen re-

tec-

ter falsarios, Pater hæreticum inter plagiarios referebat; de falsis igitur & calumnia in vtriusque libris tota quæstio. Hìc ego non enunciabo singula, quæ diebus septem totidemque sessionibus disputata sunt, quæque fideliter excepta habentur in actis. narratio enim in iustum volumen excresceret. Vnicum indicabo quod media disputatione accidit, & in quo diuinam quandam eluxisse vim æqui & iniqui fateantur. Seniores & Pharisæi Caluinianæ synagogæ superiorum dierum actis propè exanimati, vt obstinatè confirmarent sese & plebem dubiis erroribus, & in aliquam veritatis lucem intuentem à sanis cogitationibus auerterent; consilium ineunt plenum fraudis & insidiarum, plenum calliditatis atque malitiæ: bibliothecam inuehunt in ærarium, accumulant codices codicibus, & libris libros. Interea hora consueta Catholici conueniunt, mirantur ingenia hominum, rident consilia & artes. facto initio cum proposita fuissent Ambrosij loca ad examinandum, neque Pater aliud cogitasset, ecce tibi Chamierus pauca præfari flagitat de Eucharistiæ doctrina, quam secta Caluini profitetur. annuunt moderatores. Hic ille professione fidei suæ primum iniecta, minuta quædam argumenta profert confirmandis erroribus: tum è pera monumentum antiquitatis & memoriæ commentariolum extrahit, indeque recitat notas librorum & pagellarum innumerabiles, quibus Catholicam transsubstantiationis doctrinam euertat: inuolat in librorum apparatum, voluit, euoluit, deuorat puluerulentos codices: modò à commentario ad libros transfert oculos: modò eosdem à libris ad commentarium refert: vagatur, vt animo & oratione, ita corpore & oculis, ac vix tandem post multas horas absoluit. hoc erat præ-

fari paucis, hoc Ambrosij locum examinare. Non defuerunt inter Catholicos qui subdubitarent, ne, aut longitudo temporis, aut rationum varietas, aut multitudo numerorum, aut apparatus auctoritatum Patri vel memoriam ademisset, vel rationem obscurasset, vel fregisset eloquentiam. Fuit etiam nonnemo, qui generosum Christi militem tam malitiosè circumuentum fleuerit; sed eosdem tamen mirificè recreabat eius in vultu serenitas, constantia, grauitas, coniectus oculorum, quibus lætitiã nescio quam indicabat. Euomuerat stomachum & blasphemiarum pestes omnes hæreticus, cùm noster plenus Spiritu sancto, munitus Christianorum armis signaculo crucis, orsus est ex tempore defensionem veritatis, cum ea dignitate, modestia, flumine orationis, grauitate doctrinæ, copia rationum, & firmamentorum omnium (nihil augebo dicendo) vt illicò aures, oculos, mentes audientium, non solùm voluptas incredibilis, verùm etiam admiratio ingés impleuerit. Aduersarij enim vestigiis insistens initio dicendi exposuit Catholicam fidem mysterij Eucharistici, eamq; testimoniis Scripturarum, & totius antiquitatis Græcæ & Latinæ firmissimis rationum momentis, ac miraculorum inculpata fide roborauit: deinde conuertit orationem ad partem refutationis, nodos omnes dissoluendo, ambigua quæ erant explicando, germanum Scripturę & Patrum sensum aperiendo, ita dilucidè atque perspicuè, ita solidè & grauiter, vt viri acutissimi fateantur, nihil se vnquam tale in eo genere vel audiuisse, vel legisse, vel vidisse. Depromserat ex illo suo pagellarum & numerorum armamẽtario infelicis memoriæ Minister omnia telorum & machinarum genera, quæ Sacramentariorum scriptis continentur & linguis, adhibue-

rat

rat omnia, omnia viribus orationis ingeniiqúe torserat; sed ea noster ita dissipauit ac perdidit, nullum vt feriret, pleraque, ne vanus esset ictus, in hostes ipsos retorqueret: tanta verò dicendi facilitate, tanta similium rerum vbertate & copia, tanto flumine ac torrente rationum, vt in eo actu Catholici diuinum nescio quid agnouerint, hæretici magum eum & incantatorem iudicarint: ita aduersus Dominum non est cogitatio neque consilium. Cùm iam sex ipsos dies disputatio tenuisset, & hæreticorum plerique nutarent (facilè enim etiam à rudioribús quam in partem victoria inclinaret, intelligebatur) Archisynagogi cõsistoriales disputationem, si quo modo saluo ipsorum honore fieri posset, claudendam primo quoque tempore censuerunt. Quare vt noster fusus fugatusque, Minister stetisse in aciẽ videretur, vltimas dicendi partes accusatori, nullas defensori relictas esse voluerunt. Cùm enim Chamierus conatu altero etiam insolentiori ructasset omnia, quæ notis illis vncti commentarioli continerentur, ac dicendo diem exemisset, luce altera cuncti conuenissent, Pater responsionem paratam haberet; ecce tibi missi à Præside Castrensis curiæ Magistratus, Patrem ac Ministrum sequi se iubent. venitur ad Præsidem: monet Præses conuentus eiusmodi Regi haudquaquam placere: docet quid alibi in simili negotio turbarum acciderit. quare se pro ea auctoritate, quam haberet, pergi vlteriùs in disputando prohibere. Ita parendum fuit potestati legibus armatæ, & cui non paruisse sit crimen: sed nullus fuit tam parum oculatus, qui non quod res erat existimauerit, nec ad alios quàm ad ipsos hæreticos prouocarit. porrò fructus disputationis is fuit, vt orthodoxi, qui sunt, mirificè fuerint in vera & antiqua Sacramentorum fide & religione confir-

confirmati, qui hæretici iudicio plus valent, fauerint Romanæ doctrinæ, & nonnulli de ponendis erroribus seriò cogitare cœperint; Præses ipse, qui pugnam diremit, paulo pòst, vt audiuimus, cum hac tum aliis disputationibus persuasus hæresim abiurauerit; omnes Chamierum plagij & calumniæ reum esse, nostrum nihil minus quam lege de falsis teneri cognouerint. atque de Nemausensi missione hactenus.

ALEPTENSIS non annua, vt superior, sed tantùm Quadragesimalis, messem non pœnitendam dedit. tres abiurarunt hæresim, quam iurauerant: Catholici circiter quinquaginta, qui defectionem à fide meditabantur, in officio & fide & religione maiorum conseruati: discordiæ magni momenti compositæ: curatum vt loco sacro perpetuò & decenter Eucharistiæ Sacramentum asseruaretur, vtque ad ægros religioso & honorifico comitatu deferretur: crux insignis grauibus ob aduersantes hæreticos superatis difficultatibus publico loco erecta. quidam molesto periculosoque morbo decumbens concionatoris nostri, vt vulgò est creditum, visitatione sanatus.

VTICÆ alius è nostris versatus est maiore etiã cũ fructu. Ea in ciuitate multis ab annis hęretici dominantur; sex Caluini errores, quos à puero imbiberant, ritè expiati posuerũt: inde Ministrorum in nos odiũ, doli & artes fabricatæ, vt suos à nobis auerterẽt, falsi rumores & calumniæ disseminatæ, quæ tamen (quia nuda veritas ipsa se prodit) auctoribus suis plurimum obfuerunt. Inde in ministeriali synodo eo tempore Vticæ coacta, ex variis lacunis & antris tenebricosorum hominum, decretum excommunicationis in eos promulgatum qui concionatorem Iesuitam audire præsumeret. Templum magnificum olim & elegans, sed ante triginta

triginta annos dirutum, magno Catholicorum consensu, & communi conspiratione etiam hæreticorum, instaurari cœptum. In concionibus frequentia vel maxima. Hebdomadariæ cohortationes ad Canonicos & Clericos de ipsorum officio ritè ac decenter obeundo suam laudem & vtilitatem habuerunt; de habitu clericali, horis canonicis, confessione absoluta, claue iurisdictionis in Sacramentorum administratione, & aliis eiusmodi admoniti paruerunt. denique, quæ diuina est misericordia, ea in moribus & honestate vitæ facta mutatio, vt alia facies vrbis appareret, Reuerendissimus Vticensis nostros diutius secum esse flagitarit.

Missio MONSPELIENSIS, si non primaria, certè inter principes numerari debet, siue ob celebritatem vrbis, & potentiam hæreticorum in ea, siue ob fructus admirabiles, quos vnus è nostris labore semestri reportauit. celebritatem facit vrbis amplitudo, academia medicinę nobilissima, & senatus triplex: potentia verò Caluinistarum tanta, vt omnia possint. Eam in vrbem penetrare sæpe fuerat in votis & Catholicorum & nostris; sed hoc demum anno collegium Canonicorum, re iam deliberata, negotium strenuè vrgere per litteras, nosque omnino in suam fidem ac tutelam recipere cœpit. Exigua spes erat, tamen visum est tentare euentum rei, & iter ingredi qua se via aperiebat. admittimur in vrbem ea lege ne supra dies octo moraremur. concionamur illicò. Hic verò hæretici, quòd iis inconsultis habitæ à nostris cõciones, furere palàm, varia versare consilia, eiectionem eius, quacunque ratione fas esset, deliberatam habere. quod vbi Catholici intellexere, coacto consilio mittunt ad Consules, qui nunciarent haud esse æquum, vt a Ministris concionato-

cionatores acciperent, ex pactis & conuentis datam optionem eligendi quem vellent, sibi gratum & ratum esse quem habebant, rogare id vt sibi æquis ipsorum animis facere liceret. Consules subueriti, ne, si pertinaciùs obsisterent, seditionis auctores viderentur, nostrum quindecim alios dies esse in vrbe permiserunt: atque hæc prorogatio temporis, semestris moræ fuit initium. Nostrum satis firmata sede, seriò de negotio missionis suæ cogitare cœpit. Cum Catholicis labor omnis, quòd & fructuosiùs opera cum eis collocari posse videretur, & hæreticos non temerè exacerbandos iudicaremus. Quis verò explicet, quã multa, quàm potiùs omnia religiosi & externi cultus ornamenta vel quæ nunquam in vsu fuissent, instituta; vel quæ rarò vsurparentur, celebriora reddita; vel quæ penitus interiissent, ad vitam reuocata? non enumerabo singula. satis sit omnia dixisse. Reddam hîc tamen vnum aut alterum, quod speciem miraculi habuit, & piam religionem cerei agni renouatam magnopere confirmauit. Excitatum fuerat in vrbe incendium tam repentinum, tam ingens, vt populatio magna timeretur. iam tria ædificia consumpserat, neque humana auxilia quæsita proficiebant, neque spes extinguendæ flammæ apparebat. Igitur pia mulier & nobilis, fide feruens cereum agnum coniicit in flammas spectante turba omni. mirum dictu. ignis illicò furere desiit. Catholici rem miram prædicant, hæretici tam præsens remedium admirantur. Puella item nobilis Senatori Catholico desponsata, cùm in equo peteret suburbanum; equus oneris impatiens miseram excutit, terit pede, ferit calcibus, sed nullo vulnere, nullo (quod magis mirere) doloris sensu. id illa acceptũ refert virtuti ceræ consecratæ quam à Patre acceperat, & quam præcipuo

cultu

cultu venerabatur: neque solùm id apud se liberaliter agnoscit, verùm etiam vbique sępe & iucundè prędicat. Sublata pernicioſa consuetudo, quam ritus Caluinistarum induxerat, non baptizandi infantes, nisi Dominico die. Festorum celebritas persuasa, non tam oratione concionatoris, quàm vindicta diuina mox insecuta, quę ancillam aquarum inundatione penè submersit. Graues inimicitiæ compositæ, & multæ, quarũ vna, in duas factiones vrbe distracta, iam à duobus annis maiora in dies incrementa capiebat. Res ab arbitris & tribunalibus ad sicarios venerat, vt lis alterius morte finiretur, nec erat qui auctoritatem suam interponeret. non irrito conatu noster tamen audet rem arduam & difficilem, aggreditur, tentat singulorum animos, extinguit odia. Ter aut quater confecta res videbatur; toties ab hoste humani generis vlcera renouata: sed demum vicit Patris constantia, virtus, auctoritas. Data vtrimque fide conuocat capita familiarum in locum ab omni suspicione & periculo liberum, iubet nominare & adducere secum arbitros. res coràm & vtrimque ambitiosè disceptatur: postque varias agitationes lite composita dant manus, dant amplexus & oscula, tanta lætitia singulorũ, vt lacrymas tenere non possent; tanto gaudio & applausu totius ciuitatis, vt ipsi Consules licet hæretici, de tam præclaro in commune bonum officio Patri gratias agendas iudicarint. Atque haud scio an nobis quidquam aliud magis omnium animos mentesq; deuinxerit: nisi fortè quis curam ægrotis adhibitam vel anteferat, vel certè non inferiore loco ponat. Sanè fuit etiam ea toti vrbi gratissima & vtilissima: præsertim morientibus, quorum nonnemo, quam animæ salutem obstinatè neglexerat, nostrorum admonitu respicere cœpit. Vir clarissi-

clarissimus Senator & Protopræses designatus, cùm in lethalem morbum incidisset; sacerdotem nostrum ad se vocat, apud eum ritè peccata deponit, iubet eius suasu ferri ad se longo cereorum ordine, & pompa celebri sacrum viaticum pignus immortalitatis & gloriæ noua res fuit & inusitata: iam enim à viginti annis in vrbe Monspelien si tanti Sacramenti solatio ægri morientesque caruerant. sumit post deuotam adorationem Christi corpus, edit palam Catholicæ & Romanæ fidei professionem, ac paulo pòst inter manus concionatoris nostri felicem mortem cum vita feliciore commutat. Demortui funus duplici oratione funebri cohonestatum: quod officij genus, vt alia superiora charitatis obsequia, ita permouit Protopræsidem virum grauissimum, defuncti Senatoris parentem, vt antea neglectam Catholicorum caussam magno animo susceperit, ac totam familiam cunctis ipse prælucens piè & christianè instituì voluerit: viduia verò cum propter nimiam in ornatu cultuque corporis elegantiam iam à duobus annis ab vsu Sacramentorum abstineret; posito luxu se totam Patris arbitrio commiserit, aliasque suo exemplo & adhortatione ad tam sanctum modestiæ & pietatis propositum pertraxerit. Valuit etiam ad demerendam ciuitatem capitum doctrinæ Christianæ mense integro accuratior explicatio: quam pueri nobiles & ingenui eo studio & ea discendi alacritate excipiebant, vt sæpe supra quadringentos auditores ad tam nouum & iucundum spectaculum allicerent. Sed nihil ita iuuit ad omnia, quàm concionandi munus: aderant semper ad tria millia, sæpe plures, atque in his triplex senatus, viri cùm nobilitate, tum Iuris & Medicinæ scientia spectatissimi. Porrò cũ infirmiori sexu singularis extitit fructus,

ad

ad multorum etiam virorum ſalutem. Vna præ ceteris potens auctoritate & opibus, atque inter Principes Galliæ feminas nobilitate paucis inferior, non ſibi magis conſilio ſanctiſſimo, quàm reliquis omnibus clariſſimo exemplo profuit: maximè quòd ea variorum ornamentorum, & fucandi capilli puluere neſcio quo auctor haberetur, quodque nulli dedecus eſſe poſſet Principem tam prudentem, tam nobilem, tam gratam omnibus imitari. ac videtur Deus opt. max. quodam veluti miraculo, quo eam dormientem à mediis incenſi lectuli flammis ita liberauit, vt ne veſtigium quidem in veſtibus & capillis appareret, piam eius voluntatem probare & confirmare voluiſſe. Hinc factum eſt propter inſignem in vita & moribus omnium ordinum mutationem, vt charissimum noſtrum Patrem cuncti haberent, neque ſe parem eius ſtudiis & laboribus referre gratiam poſſe prædicarent. Hæretici ipſi depoſitis odiis reuereri cœperunt, videre amicis oculis, æquis auribus audire, probare dicta factaque omnia, morum ſuauitatem & liberalitatem vultus eo magis amare, quòd noſtros tetricos eſſe & auſteros paſſim audierant. Sed non licuit diutiùs in vrbe agere. certis enim de cauſſis iuſſus eſt noſter à Superioribus cedere illicò, & primo quoq; tempore redire Auenionem: ſimulque incredibile ſui & Sociorum deſiderium reliquit. Poſtea intellectum eſt quàm diuino conſilio res Societatis adminiſtrarentur: paulo pòſt enim Catholicos inter & hæreticos ingens orta ſeditio, quæ propè Epiſcopum extinxit, Proregem ipſum cedere vrbe coëgit: cuius ſeditionis mirum ſi non auctores habebamur, ſi adhuc in vrbe fuiſſemus.

## *Missiones Pontificiæ.*

PROCVRATÆ hoc anno cum Illustrissimo Vicelegato & summo Pontifice missiones ad opida vicinarum ciuitatum, quas incendium hæresis miserè deformauit, felix initium habuerunt. ratio omnino Apostolica est; mittimur summi Pontificis nomine cum mandatis & auctoritate scripto explicata, accipimus ab Episcopo diœcesis quid agendum, vbi commorandum, quantum temporis res & negotia requirant. in quolibet pago vix paucioribus diebus quàm octo, neque pluribus quàm quindecim, nisi fortè in celebrioribus opidis, commoramur. Concionamur summo manè & sub vesperum: meridie explicamus rudimenta fidei Christianæ: horis intermediis confessionibus audiendis operam damus, aut agimus aliud ad bonum opidi, & salutem animarum: Parochis, sacerdotibus & aliis huiusmodi, qui promouere rem Catholicam possint, monita damus, vt quod sui muneris est, diligenter & fructuosè exequantur. nemini graues nos exhibemus in victu & vestitu, atq; in eum finem pecuniæ quantum opus esset, à summo Pontifice imperatum. denique omnia omnibus efficimur, vt omnes Christo lucrifaciamus. Iam verò loca, ad quæ adhuc accessimus, ferè sunt in Delphinatu, quòd ea prouincia auxiliis huiusmodi potissimùm indigeat. Prima excursione, diœceses duæ, qua parte maximè succurrendum, peragratæ; Vasionensis nimirum & Tricastrina. In singulis opida lustrata minimùm decem, quorum duo in Prouincia, totidem in Arausicano Principatu, reliqua sexdecim in Delphinatu sunt. In paucis Catholici dominantur. in plerisque hæretici numero superiores,

in

a nonnullis vtrique æqua parte regnant templa n toto illo tractu locorum ferè nulla, quare vtuntur Catholici priuatarum domorum oratoriis, quæ tamen ſtabula rectiùs appellaris. beneficio pacis habent omnia hoc tempore, aut Parochum aut ſacerdotem; quibus alij ſedecim, alij viginti, nonnulli etiam triginta annis caruerunt. quibuſdam in opidis ſatis amplis ſeptem aut octo Catholici, puſillus grex, cum aliis quadraginta aut quinquaginta, qui commorantur in villis ſatis remotis, paræciam implent quocumque venimus, quaſi de cælo delapſi, ita à Catholicis accepti fuimus. Conciones cõcurſu frequenti celebratæ, auditæ confeſſiones de tota vita quamplurimæ maximo cum fructu: odia compoſita: peruerſæ in moribus conſuetudines amputatæ: publica & horrenda blaſphemiæ licentia, quæ in opido quodam graſſabatur, repreſſa: extremæ Vnctionis vſus, qui propè abierat, reuocatus: templa tria aut quatuor iam ædificari aut inſtaurari cœpta: ſolemnes in choro preces, quæ ab annis triginta fieri deſierant, à Canonicis hortatu noſtro palàm recitatæ: confeſſarij qui in caſibus reſeruatis, & abſolutione à cenſuris Pontificis auctoritatem ſibi aſſumſerant, officij admoniti: formula abſolutionis, quæ à pleriſque ignorabatur, edocta. hæretici circiter decem ad ſaniora conſilia redierunt: plerique alij profiterẽtur Catholicam religionem, quam animo conceperunt; niſi potentia & impotentia dominorum, qui maiori ex parte ſunt hæretici, impedirentur.

MISSIO ad Montem Damarium vel Ademarium, vulgò Montelimart, ſicut & ſequens Vapingenſis, quoniam fuere in Delphinatu, cum Pontificiis iungi poſſunt. Igitur apud Damarium Montem ſacerdos vnus è noſtris quadrimeſtrem

posuit operam magno cum fructu. in ea vrbe viuit inquietum hominum genus, & curiosum inprimis, vt fert ingenium hæreticorum; Catholici tamen non pauci. inde ingens totius ciuitatis desiderium, vt noster cum Ministro congrederetur; sed recusauit hæreticus, quòd diceret sibi cum Iesuita non licere rem esse. Nouem aut decem numero Catholicorum accesserunt. Sacramentum Confirmationis, quod iamdudum propter tyrannidem hæreticorum conferri nequierat ab Episcopo, occasionem dedit de eo agendi in concionibus, & aliquot viros ac mulieres ad Catholicam fidem pertraxit. Festo B. Virginis in cælum assumptæ trecenti circiter (res olim inusa) ad cæleste conuiuium comparati. Catholici præceptores in vrbem inducti, qui magna cum laude, & æqua omnium voluntate, etiam liberos hæreticorum erudiunt. agitur præterea de femina proba & Catholica, quæ idem officium virginibus præstet. Vltimo bimestri excursũ ad opida vicina magno comitatu Catholicorum Montis Damarij, frequenti concursu opidanorum, fructu non pœnitendo. Est verò portenti simile, quod dicam, verum tamen. noster concionabatur de variis vitæ periculis & exitu incerto: & eo ferè momento quo dicebat fore fortasse vt aliquis eo die ex hac vita migraret; mulier hæretica, quæ ante aliquot annos cælites deridens paralysi laborare cœperat, ceruices sibi fregit, & infelicem animam cum pestilenti spiritu efflauit. Vapingum (Gap vulgus appellat) sedes Episcopalis, in Delphinatu, sacerdotem alterum è nostris habuit ad conciones Quadragesimales. diuortia magno cũ gaudio ciuitatis composita. curatũ, vt quod antea non asseruabatur Eucharistiæ Sacramentum, iam cum ea reuerẽtia & honore, quo par est habeatur in promptu.

Erectum

Erectum præterea Sodalitium ad promouendam tanti Sacramenti religionem, cui intra menſem nomen dedêre ſupra ducentos, plerique nobiles, aut inter ſuos primarij. Doctrina Chriſtiana ter in hebdomada explicata tanto cum fructu, vt pueri ipſi barbatis hæreticis ruborem & timorem incuterent: Catholici deinceps idoneum aliquem habere ſtatuerint, qui rem tam feliciter inceptam proſequatur. Aliquot qui defectionem à fide meditabantur, in caſtris Pontificiis retenti: reuocati quatuordecim qui defecerunt, illuſtri multorum maximè vnius exemplo, qui cùm ob ingenij ſagacitatem atque prudentiam nomen haberet inter ſuos, litteras publicas acceperat ad miſerum munus exercendum clamoſi Miniſtri. Is igitur poſt conciones auditas cœpit cum noſtro priuatim agere de præcipuis religionis noſtræ capitibus. certatum eſt vtrimque acerrimè: ſed tandem poſt quinque horarum diſputationem deſignatus Miniſter manus dedit, agnouit errores, ad pœnitentiæ portum confugit, ſeque palàm medio in foro Catholicum eſſe profeſſus eſt. Hìc hæretici iocum credere, ridere fucum, tam bellè hominem ſimulare ac fingere gratulati; ſed fabula verſa eſt. variè enim tentatus à variis ſeriò dolere ſe dixit, quòd tamdiu in errore perſeueraſſet, ac rogare, vti quem amaſſent peruerſa docentem, iam meliora exemplo ſuadentem amplecterentur. atque vt nulli ampliùs dubitationi locus relinqueretur, ſpectantibus omnibus pſalmos Dauidis ex Marotti Gallica & metrica verſione, dedit ignibus & flammis. Magna ſpes maximarum rerum non Vapingi modò, verùm etiam in reliquo Delphinatu, ſi pax diuturnior, perpetuatio miſſionum, miſericordia Dei, vt fecit hactenus, annuerit, cui ſit honor & gloria.

## Collegium Turnonense.

TVRNONENSIS Collegij fructus is hoc anno fuit, quem ab eo Collegio, quod infectis hæretica ciuitatibus peste circumseptum veluti propugnaculum præsidiumque est omnibus, expectare Catholica Ecclesiâ, & Societas nostra debuit. nam cùm omnium circumquaque vrbium Antistites & rectores, ipsique etiam ciues vtilitatem, quæ ex nostris hominibus percipitur, agnoscant ac prædicent; scholarum quidem nostrarum disciplinam ita omnes expetunt, vt hæretici etiam non pauci filiis eam suis partim per litteras, partim ipsi coràm petiuerint; dummodo ad eam admitterentur, de religione parum solliciti: numerusque in scholis omnibus lectæ ex finitimis prouinciis iuuentutis est octingentorum aut amplius. Confiteri autem nostris sacerdotibus ita magni faciunt, vt procul etiam dissiti nobiles, aliique; vel eos huc frequentes adeant, vel hac causa subinde accersant ad se. Concionum porrò sic amantes sunt, vt alios, cùm nostros non possunt, audire nolint. habitæ itaque anno propè integro quinque in vrbibus, quæ in vicino sunt maximæ, conciones hos præcipuè fructus pepererunt. hæresim deposuere amplius quàm centum, plerique dissuadentibus atque omni ope operaque auertentibus propinquis, aliisque, & ipsis adeò Ministris, nonnulli cum iactura aliqua facultatum suarum, aut non sine iacturæ metu. In his fuit Ministri demortui filius, qui nocte per somnium admonitus fuerat, vt ad nostrum sacerdotem peccata confessurus accederet. fuit qui, quòd videre visus esset per visum nocte magnum terræ hiatum, in quo flammis arderent hæretici, iique potissi-

mùm,

mùm, qui templa ſpoliarant & euerterant, ita perterrefactus eſt, vt poſtridie manè ad Patrem noſtrum adierit cum tota familia, vt hæreſim ceteraque peccata confeſſione expiaret. fuit denique qui cum ſocio pariter hæretico excommunicatus, ob quoddam non admodum graue furtum, ſubita ſocij morte commotus nihil fuerat, adeò vt negligens quidquid illud eſſet excommunicationis, ne cogitaret quidem tam lubrico & periculoſo loco poſitus de remedio ſibi proſpicere: cùm derepentè ſic ex brachio quo facinus admiſerat laborare cœpit, vt nulla medicorum ope ſanari poſſet, aut eorum etiam curatione dolores, quos ſentiebat grauiſſimos, leniri. Biennium ſic abierat, curamque cum ſpe ſalutis abiecerat: ſed amicorum Catholicorum ſuaſu petiit, vt ab excommunicatione vtraque ſolueretur, ſolutoſque ſenſim Dei bonitate mirabili brachij dolores, cùm de peccatis ſtatim poſtea confiteretur, ſenſit. Inter omnes autem Catholicæ religionis deſertores Eccleſiæ reſtitutus fuit, & religioſæ familiæ ſuæ, à qua multis antè annis profugerat, ſacerdos, qui à noſtro concionatore victus, relicta concubina reditum ſibi ad ſuos Fratres multis lacrymis multo Catholicorum fauore facilem fecit. abſoluti præterea multi fuerunt, qui cum hæreticis communicaſſent aliquando, tamen inter Catholicos catholicè viuebant, Eccleſiæ vel non omnino reconciliati, vel non legitimè: innumeri verò ſeſe in fide corroborarunt publicis concionibus aut priuatis adhortationibus informati confirmatique. Venit etiam ad nos ſenex annos decem, vt aiebat, vltra centum natus, qui quadraginta totis annis in montibus inter hæreticos non hæreticus vixerat, neque aures tamen eo tempore toto concionanti cuiquam commoda-

rat, neque commodari sibi confitenti petierat Cum Ministris Caluinianis duobus locis disputatum est, vtrobique bis, alio etiam loco semel sic vt in celebri frequentiq́ue vtrarumque partium conuentu certa claraq́ue pro nostris vbique steterit victoria. eorum libri aliiq́ue vetiti multi sunt igni traditi. Effectū pariter est, vt sacerdotes aliqui, & in vita sanctiores, & in officio doctiores essent. nec neglecta est puerorum ac rudium hominum Christiana institutio, propositis etiam quorundam liberalitate præmiis est exornata. Confessiones peccatorum à primo repetitæ, sunt à quàm plurimis exceptæ: redintegratæ quoque sunt a non paucis, quas sacrilegus pudor integras fieri non permiserat. quin etiam auditæ sunt ab iis, qui vel salutis incuria vel sacerdotum inopia, vel vindictæ libidine, per multos annos ab iis abstinuerant: atque in vniuersum vt communicandi confitendiq́ue consuetudo celebrior ac frequentior esset, effectum est. in eumq́ue finem Sodalitates aliquæ sunt alicubi restauratæ, alicubi etiam instauratæ. restitutum inde est æs alienum plurimum, & furto vel fenore quæsitum; simoniacis contractibus aut itum est obuiam, aut præscriptum remedium: coniuges grauiter dissidentes, ad mutuam animorum concordiam sunt reuocati, cùm alter alterum vulneribus per propinquos occultis artibus inflictis ad necem non semel expetiisset. Femina quædam in iurgio sub vesperam cum viro suo habito per iracundiam se dæmoni deuouerat, à quo stimulata nocte insequente tanquam canis in lecto coniugi adlatrabat; sed ori admoto pane benedicto, nuncium dæmoni remittens, liberata est, visaq́ue ab eius ore quasi musca euolare. Nobilis vir quidam fœdis suis factis valdè ignobilis vixerat, cùm ecce morti proximus

rimus horrendis admodum ſpectris terretur torqueturque : nec corpori tamen, nedum animo medicinam fieri patitur, quaſi nullum ab eo morbo mortis ſibi periculum eſſet. ſed à cognatis amiciſque vocatus ſacerdos è noſtris perfecit tandem, vt mutata mente ſaluti ſuæ proſpiceret, deſitque confeſſus illa terriculamenta paucis iis horis, quibus hanc lucem adhuc vidit, videre. Adoleſcens quidam ad decimumquintum circiter annum ætatis, Euchariſtia nondum ſumpta, peruenerat; cùm circa feſtum Paſchatis, venit ad eum nocturnus mutuſque ſpiritus: qui vbi cubiculum in quo iacebat tumultu compleſſet, pauimenti lateres omnes diſturbans, inſedit eius faucibus ac ſtomacho, premens atque ſuffocans eum, vocem certè, ac ſenſum propè omnem intercludens. per annos duos cum dimidio ſic hominem vexarat, noctibus iis in hebdomada duabus, quæ diem Dominicum & diem Iouis ſanctiſſimo Sacramento ſacrificioque corporis Chriſti conſecratum vtrumque conſequuntur. Galliam Belgiumque percurſarat, eo vbique noctibus illis per horas propè quatuor infeſtabatur dæmonio pari ſemper ratione. cùm verò in patriam reuertiſſet, & rem domino, cuius in officina laborabat, retuliſſet; deductus ab eo eſt ad ſacerdotem noſtrum: qui vbi eum re cognita ad confeſſionem communionemque comparaſſet, dedit ei ceream agni Dei imaginem. Venit vt ſolebat nocte inſequenti dæmon, lectum circumcurſat, iuuenem terret, ſpectra neſcio quæ ei ante oculos obiiciens, & neſcio quos ſonos ad aures inſibilans; ſed eum non attingit. clamat puer, herum aduocat, qui ad eum aliàs accedere iis horis, quibus eo in cruciatu eſſe conſueuerat, cùm tentaſſet, vi quadam occulta eum remorante ad cubiculi fores, repulſus

ſemper fuerat; tum tamen liberè nulloque obſtante acceſſit, & vexatum diu adoleſcentem, conſpectu præſentiaque ſua recreauit. De cetero quietus ab infeſtante ſpiritu fuit iuuenis, excepta Dominica die poſtea, qua communicare cœpit: cum enim res pro concione fuiſſet ad populi ædificationem expoſita, dolens ſe detectum diabolus rediit nocte; ſed lectum obiens perterrefacere quidem eum voluit, & vehementer etiam perterrefecit, tangere autem munitum agno Dei non valuit, nec amplius poſtea rediit.

## *Collegium Camberienſe.*

RECREATA aliquantulum ex proximorum annorum peſte belloque ciuitate, & vniuerſa prouincia, miniſteriis & laboribus conſuetis, eo maiori alacritate quo diutiùs retenti fuerant, repetendis fuit locus. Inſpexerat nuper Collegium R.P. Prouincialis, auxiliaque ſubmiſerat, itaque domi & foris ſtrenuè labores inſtaurati. multi itaque de primaria nobilitate noſtrorum operâ in mutuam, duo treſque in Eccleſiæ gratiam damnata hæreſi reſtituti: in iis adoleſcentes duo Geneuenſi in lacu ab ineunte ætate lutoſa Caluini fece imbuti. eorum alter domo nobilis, in ephebis Principis honorariis apparebat; alter cuiuſdam nobilis erat aſſecla, qui eum ad nos erudiendum & fide Catholica informãdum adduxit. Reſtituta anno ſuperiore cum ſcholis Sodalitas, ad omnem doctrinam & pietatem refloreſcit. Illuſtre eſt generoſum cuiuſdam Parthenici factum, ac tutelaris Virginis ope præſenti planè inclytum. erat is Marchionis cuiuſdam Principi chariſſimi chariſſimus, & ipſe Marchioni ſecretarius: cùm tardius equo ſæpiùs ceſpitante herum Principi obuiam feſti-

festinantem sequeretur, petulanti cuiusdam cachinno exceptus est. grauiùs id ille scomma tulit, & malum minatus est. postridie in vico sibi cùm occurrissent, recruduit dolor, & ad manus vtrimque ventum; per inguen in imum ventrem sicula lethale vulnus accepit secretarius. vicinam chirurgi in officinam semianimis delatus, vbi spiritum mentemque aliquantum recepit, confessarium requirit ocyùs, simul viuátne qui læserat, an liberè fugerit, saluum se eum cupere, atq; omnem ei vltro noxam vitamque condonare. quod idem sæpiùs Prætori iustitiæque ministris, qui super ea re interrogatum venerant, & Principis iussu sicarium prosequebantur, protestatus est. Adest confessarius, & è Sodalibus præfectus, & alij nonnulli. magno conscientiæ sensu confitetur, preces pacemque Superûm & Sodalium poscit, vnum veritus ne se aut mortuum suffragiis, aut superstitem cœtu Sodales excludãt. assiduè in magnis doloribus & acerbissimis cruciatibus Litanias rosariumque Virginis percurrere, pacem nominatim ab ea exposcere, meliorem frugem vitamq; strictiorem in posterũ polliceri. Socij de more inuisunt, solantur, adsunt, Litanias B. Virgini tutelari pro salute vitaque Sodalis, secundùm scholas vespertinas communiter in sacello persoluunt. Mirum dictu. cùm ante orientem solem occubiturus diceretur (neque enim vulneris altitudo præ sanguinis ebullientis copia explorari adhuc potuerat, & rupta ilia credebantur) plurimumque ei febris illa nocte permetueretur; Sodalium precibus effectum, vt sine febre commodè placideque quieuerit, & triduo pòst multa sanie & tabe sponte de vulnere profluente, dubia & hactenus anceps spes vitę, certa securaque, sic tamen vt perpetuò ex coxa claudicaret, pronunciaretur à medicis.

dicis. sed vt vitam, sic coxam integram paulo pòst restituit Patrona Virgo, vulnere (ita Virgine præseruante & sospitante) admirando, vt sica quasi ad artis ostentationem impacta, neque viscera in imo ventre, neque neruos aut musculos in inguine grauiùs læsisse sit inuenta. Statim vt tantillum ingredi potuit, voti reus, & moræ impatiens ad sacram Eucharistiam in templum nostrum pedes perrexit, & deinde in Sodalitio veniam cum lacrymis petiit, hortatusq; est vt iræ moderarentur. Eorundem Sodalium eluxit charitas, tum in paupere quodam Sodali, peregrè profecto & ægroto, quem & collatitia pecunia & emendicata purgandum sanandumque curauerunt: tum in defuncto altero ritu Sodalitatis efferendo, Sodalium quolibet cereum candidum præferente, magna spectantium approbatione, nunquam à fundata ibi Sodalitate vsurpata ceremonia. Quatuor de eorum cœtu hoc anno sacerdotes prima libamina Deo obtulere: qui deinde in varias parœcias ad suos recedentes mirificos cohortationibus, catechesibus, exemploque in primis suo fructus ediderunt. Vnus Societatem nostram, duo trésve Cappucinorum familiam sunt ingressi. Diuersarum familiarum Religiosi aliquot in Sodalitate numerantur, qui alios item Religiosos exemplo & monitis tum ad arctiorem disciplinam, tùm ad Sodalitatem pellexerunt. Benedictinus ex iis monasterij haud procul à Geneua Superior, domi priùs exercitiis spiritualibus ad aliquot dies excultus, auctoritate exemploque suo monachos sibi subditos ad meliorem arctioremque disciplinam traduxit, atque ad eam rem plurimum precibus Sodalium se profecisse, quas identidem per litteras popposcit, testatur. Sanctorum, qui in sortitione mẽstrua sibi obtigerint, studiosissimi sunt, duoque

duoque qui iam in castris Cappucinorũ sunt, ad ea se sententiis illis vrgentibus compulsos asseruerunt: alij in patriam reuersi longiusque positi, etiam à viginti & ampliùs leucis eos expetunt, perferrique magna religione curant. Cùm verò neque templum, neque classes loco positæ nobis sint, sed iis in angustiis, vt ipsa loci facies adolescentes iuxta parentesque deterreat; Serenissimus Sabaudiæ Princeps, qui ad omnem honestatem suos litterarum studiis conformari percupit, maximum & vrbi huic & toti prouinciæ ornamentum, & verò adolescentibus ad studia non minimum incitamentum ratus, si templum classesque nostræ aliquam haberent dignitatem; ad nos diuæ Catharinæ sacro die, procerum comitatu septus, Senatoribus assectantibus, ingentique omnium ordinum frequẽtia & concursu, se contulit, ad nouum classium templique ædificium primum lapidem iacturus Instruxeramus designatam templo scholisque futuris aream eo aulæorum, tabularum pictarum, & ceterorum huiusmodi ornamentorum cultu & apparatu, qui honorificentiorem augustioremque redderet ceremoniam: sed eam longè illustriorem discipulorum nostrorum solers labor, & ingeniosa industria reddidit; qui multiplicibus carminum & emblematum, tum vario & elegãti artificio, tum auro, argento, aliisque huiusmodi pigmentis pulchrè interstinctorum dædalmatis, aulæa ac crucem præcelsam media in area de more erectam venustissimè festiuissimeque depinxerant Secundùm sacrum solemni ritu ab Episcopi Vicario factum, ad locum primario iaciendo lapidi præparatum, aëre innumeris facibus, quas Princeps ipse, nobilitas senatusq; præferebat, collucẽte, & suauissimo symphoniacorũ Ducis ex familia concentu,

iucundissi-

iucundissimè personāte, instituta supplicatiō. Dux ipse in fundamenta descendit, magnoque pietatis sensu & animi exultantis lætitia primum lapidem collocauit. eam ceremoniam breue & appositum excepit drama, discipulorumque pio Principi de litteris, patria & religione meritissimo festæ ac faustæ salutationes, gratulationes acclamationesque omnia sic ei placita acceptaque fuere, vt cùm recognoscendis iis bonam vespertini temporis partem magna voluptatis significatione tribuisset, ea postridie ad filios Principes Taurinum transmiserit. quo apparatu cùm primum lapidem Princeps collocasset, duo millia aureorū ad opus persequendum destinauit, Collegioque drama remisit, & eodem vt deinceps beneficio frueretur, velle se confirmauit. Tam piam Principis munificentiam Senatus ciuiumque sequi cœperat pari studio liberalitas, gubernator ciuitatis & primus Senatus præses sibi quisque sacellum ædificādum depoposcerat. Reuerendissimus Tarentasienſis in palos & publicas fundamentis in aqua solidandis ligna & materiam, Dominus Maurianensis lapicidinam concesserant. Matrona quædam primaria vt ceteris esset incitamento, auream catenam sexcentorum circiter aureorum, quam pulcherrimam habebat, in ornamenta templi sepositurat, nec reliquarum illi studia concedebāt. Dum ventis ita vteremur secundis, ecce bellum subitò exarsit, atque omnia quatefecit. at non ita multo pòst dedita vrbe, & scholæ sese erexere, & cetera omnia eo magis redintegrata, quo frequentior vrbs fuit. Patuit tum sanè Gallorum in nos voluntas: omnium enim ordinum ex iis ad nos venêre quamplurimi, etiam Principes multi, imò ipse Rex Christianissimus non semel sacri causa sacellum nostrum inuisit, Superiorem de Collegio

& numero nostrorum, multisque aliis, beneuolè ac familiariter, est percontatus, ipsumque Collegium ac eius bona in suam fidem diplomate dato recepit, sæpeque, vt pro se Deo funderemus vota, palàm efflagitauit. quæ res, vt inimicos Societatis, qui nos vrbe pellendos putabant consternauit; ita amicos, quos huiusce rei metus perculerat, vehementer recreauit. Nunquam aliàs tanta confitentium ac communicantium seges, sed in festo Sanctorum omnium maxima. ad nos enim Principum, Ducum & ceteræ Galliæ nobilitatis confessionis caussa tantus cursus fuit, vt ciues in aliud tempus reiiciendi fuerint. Venit interea tandem Illustrissimus Cardinalis Aldobrandinus, qui R P. Rectorem ad eum honoris caussa profectum comiter admodum & humaniter accepit, nec ita multo pòst, Collegium inuisit. Concideranat magna ex parte reditus nostri, sed iacturam tum Cardinalis, tum Principes Galli, tum vel maximè Rex, suis eleëmosynis leuauit. Venio nunc ad missionem Tonnonensem. E toto Chablatio superiori anno Serenissimus Dux Caluinianos Ministros deturbarat, atq; vt ibi Curiones, à Reuerendissimo Geneuensi constituerentur curarat. quod vt audiuit S.D.N. Clemens VIII. sex è nostris ibi esse voluit, vt incultum illud Augiæ stabulum repurgarent, & hæreticis Geneuensibus sese opponerent: quod & fecerunt strenuè atque feliciter. nam ex sex illis athletis duo trésve Tonnoni concionibus habendis, confessionibus audiendis, doctrina Christiana tradenda, & pueris etiam litteris imbuendis sedem fixere: alij vicatim perambulantes eadem munia obierunt. Atque vt ex paucis quæ hîc libabimus huius missionis fructus eluceat, schola numero discipulorum & pietate ita floruit, vt ipsi etiam hæretici ad eam suos filios

miserint:

miserint: ex quibus vnus matrem hæreticam ad nostros adduxit, nec priùs destitit, quàm illa ad veram fidem se reciperet. In alterius animo cùm is error insedisset, vt nullius monitis sub vna specie ad sacram synaxim impelli posset, tandem vnius è nostris operâ consilium mutauit, & paulo pòst confessione ritè animo expurgato feliciter diem vitæ clausit extremum. Sodalitas SS. Sacramenti multis in locis instituta; Rogationum solemnes supplicationes quæ omnino obsoleuerant, restitutæ. nec sine fructu actum cùm hæreticis, quippe in dies singulos hæretici plerique Caluini castra deseruere, quin & pagi integri ad veram fidem reuocati. quæ sua reputantes damna Gebennenses ministelloſque suos passim agitari animaduertentes, eosdem nostrorum disputationibus prohibuere. Mulier quæ obsurduerat, admotis sacris lipsanis auditum recepit. æger puer ad D. Mauritij facto ab vno è nostris sacro, in pristinam valetudinem est restitutus. Mauriennæ etiam ex hoc Collegio cùm per Quadragesimam fuissent duo è nostris sacerdotes, præter ordinarios ministeriorum nostrorum, in frequentatione Sacramentorum, morumque profligatorum castigatione permultas easque valdè ridiculas ex animis plerorumque euulserunt superstitiones, pæneque aniles fabulas. plus ibi in metendo quàm in subigendo & præparando solo laboratum. vsque adeò nostrorum ductum peramanter & reuerenter sequebantur. Hoc inter cetera eximium. Cùm superiori bello, & quæ bellum excepit grauissima lue, profanis in locis multa essent sepulta cadauera, neque eis vel per ignorantiam, vel per incuriam essent iusta persoluta; effecit concionator, vt à parentibus consanguineisque defunctis inexpiatis per sacra parentaretur tum publicè,

publicè, tum priuatim : factum insuper, vt plerique vel oratoria, crucésve fossis superstruxerint, vtque collecta ossa in cæmiteria, locaque sacra ex profanis Catholico ritu transferenda curauerint.

## *Collegium Anicienſe.*

IN Collegio Anicienſi omnes pro Societatis more domi foriſque multiplex occupauit labor. Miſſiones factæ in vicina opida atque prouincias ſeptem. In iis præter ſuperſtitiones libri hæreticorum magorumque peſtilentiſſimi ſublati : Catholici à frequentandis hæreticis deterriti : conuicti hæretici, atque ex iis ad fidem traducti aliquot: ſopita diſſidia, & ea quidem, quę non exigui putabãtur momenti. Quod foris, idem præſtitum pro viribus domi. Adoleſcentes duo ſcholaſtici noſtri, viginti circiter annorum vterque, honeſto & liberali loco nati, caluiniſmum edocti à puero, Catholicæ veritati manum dederunt, & hæreſim iurarunt. Concludam propoſito nobili diuinæ bonitatis argumento. Anicij vir hæreticus vulneratur lethaliter; curatur ſedulò ab ipſius amicis & domeſticis, vt eiuret hæreſim, fidemque Catholicam profiteatur : adhibiti duo è noſtris ſumma vi eius obſtinationem animi oppugnant. profectum nihil. die qui fuit illi ſupremus, pomeridiano tempore, chirurgi & medici apprimè Catholici nunciant conclamatum eſſe, illum ante diem clauſum moriturum, proinde ſaluti animæ conſuleret. His oppugnatus machinis, ſiue vt in loco ſacro ſepeliretur, ſiue vt ſe tot cohortationum moleſtia liberaret, ſimulat ſe velle Catholicum mori, profiteri fidem Romanam. ſed dolus deprehenſus eſt, quòd nollet ſacramento firmare ſe corde credere, quod ore profiteretur. adde quòd fidem

Catholicam de vero corpore Christi interrogatus abnuit: quam ob rem sacerdos noster detractam laruam omnibus ostendit, hominemque vehementissimè est ad suam salutem pro breui quod adhuc supererat spatio cohortatus. tum ille apertè profiteri perstitit se in Caluini & Ministrorum fide mori velle: videbaturque non obscurè à malo dæmone agitari. Sacerdos ergo penè desperans de illius conuersione recedit paulo pòst rediturus: iubet interea, vt aqua lustralis afferatur, eaque vir ille & locus circùm aspergatur. Faciunt verò etiam amplius, aquam sacram vino mistam ægro propinant. mirum dictu, paulo pòst quieta & pia mente æger iubet accersiri sacerdotem: qui continuò adest, hominem Dei digito penitus immutatum videt, suique dissimilem, edentem Catholico ritu signum crucis, ac religiosissimè comparatum ad omnia salutis remedia. quid plura? hæresim eiurat, Deoque professionem solemni iuramento sancit, peccata confessionis Sacramento expiat, & sacrosanctum Christi corpus de tanto mysterio pro breuitate temporis edoctus sumit cum lacrymis. denique tanta fuit hominis immutatio, vt omnes incredibili gaudio perfusi aduerterent neminem alium à Spiritu sancto tam subitò, tam abundè hominis in hæresi educati mentem illustrare & instituere potuisse. res vt gesta, & à me exposita, pro concione in templo maximo magna omnium acclamatione narrata est. Haud scio an absre futurum sit illud adiungere. B. P. Ignatius, cuius tunc natalis agebatur dies, piè fuit à quibusdam è nostris pro illius miseri salute inuocatus.

Colle-

## Collegium Dolanum.

IN Collegio Dolano confessionum atque concionum messis haud pœnitenda. communicantium censa sunt in nostro templo capita sexdecim millia. Tria Virginis Mariæ Sodalitia, altiores quoad pietatem & cultum Deiparæ promouendum in dies agunt radices. ex maiori vnus Societatem ingressus, duo ad alia se contulere; alter quidem eremitis piè vitam agentibus se adiunxit; alter autem celebri quodam opido ad docendas litteras humaniores accitus, cõfessionis menstruæ, quam in nostris scholis rationem acceperat, vsum inuexit. Sodalium quidam cùm grauissimis torminum doloribus biduo conflictatus esset, nocte ingruente ad sanctissimæ Virginis matris imploratione illicò vis morbi remitti cœpit, sospesque conualuit. Scholæ florent. Vnus honesta familia oriundus, cùm ita grauiter decumberet, vt iam ab omnibus medicis depositus haberetur, nihilque amplius remedij in humanis suggereretur; parens vterque vnius è nostris consilio, ad B. P. Ignatium perfugium habuerunt: ad quem cùm vota supplices fudissent, accepto ipsius B. P. chirographo, propria manu quibusdam in litteris exarato, adolescenti osculandum tradiderunt, deinde collo appendentes, anhelanti iam ad mortem pectusculo applicuerunt. mirum, ipso temporis puncto immanitas morbi se fregit, paucisque pòst diebus integræ sanitati stupentibus medicis, vimque Superum in tam insperata curatione agnoscentibus adolescẽs restitutus: quod eius parens etiam scripto & syngrapha confirmauit. Mira quorundam pietas, & in constringendis corporis motibus insolitus ardor. certatim enim

sibi arma comparant ad carnem subigendam, cilicia, funiculos, zonas ex hirsutis & asperioribus pilis confectas, aliaque id genus. Pridie Idus Nouembris in area Collegij Iezabelis acta tragœdia, cum dramate sphyngis, andapódosi totius fabulæ ad solemnem præmiorum distributionem liberalitate Domini de Dicey militiæ Dolanæ præfecti. Et hęc quidem in vrbe: nunc verò variæ in varias vrbes & opida excursiones. Nobis tandem aditus diu expetitus Salinis apertus est: vbi non pauca è re diuina gesta; illud imprimis quòd tres pestifera errorum prauitate ab Ecclesia diuulsi ad optimæ parentis gremium redierunt. Eorũ vnus cùm hæreseos venenum simul cum lacte nutricis perbibisset, & totis vigintiquinque annis Pœnitentiæ Sacramentum exhorruisset, demum suborta cælesti luce oculos in veritatem intendit. Alter cùm quinquaginta annos nunquam ritè peccata expiasset, vtpote, qui nunquam bene solutus hæresẽ nodis, quibus astringebatur, magno & doloris sensu, & ingenti lacrymarum profusione ingentem peccatorum sarcinam deposuit. In gratiam multi rediere: duo inprimis viri nobiles & potentes, qui totam vrbem pugnantibus inter se, vt fit, factionibus distrahebant. ita enim sacerdotis nostri contentione, & singulari demissione se ad alterius pedes non semel abiicientis præfractior emollitus animus, vt magna furoris flamma illicò consopita refrixerit. plures sacerdotes atque Religiosi, alioquin à nobis alieniores, fuere deuincti. Quantus porrò concionum fructus, litteræ à Magistratu ad Superiorem datæ testantur: nimirum numquam se aliquos maiore vel fructu vel admiratione audiuisse. tamen ex hoc vno licet colligere, quòd cùm accepisset populus, factam concionatori nostro, & socio qui additus erat illi

sacerdos,

sacerdos, grauiores nodos soluendi potestatem, tantus vitæ maculas eluere volentium factus sit concursus, vt bona pars vrbis alioquin frequentissimæ, vel generalem ediderit confessionem, vel quidquid acriùs conscientiam vrebat in eorum aures exonerarit: atque ad id facilius assequendum haud parum antelucanæ conciunculæ à Patre socio ad seruitia & rudiorem plebem habitæ profuere; necnon catechismi explicatio cum coronarum, & id genus præmiorum distributione, quæ bipartito puerorum & puellarum agmine, B. Virgini Litanias concinendo, non exigua (vt in nouo iucundoque spectaculo) totius ciuitatis vel approbatione vel delectatione. Eadem propemodum seges in duobus opidis à duobus aliis. sed in priore illud non omittendum: puer anniculus cùm atrociori morbo cruciaretur (nunc enim carnibus exesis vix hærebat, nunc præter modum horribiliter toto corpore intumescebat) pro concione, quæ die sanctorum Innocentium habebatur, auditorum precibus commendatus, & litato pro illo innocentis Agni sacrificio, non ita multo pòst conualuit: materque ad nostrum cum filiolo gratulabunda; En, inquit, cuius salus non ita pridem conclamata, haud dubio sanè argumento innocentes illos, in quos Herodiana sæuiit impietas, innocentem puerum mortis faucibus exemisse. In altero autem ad quatuor vel quinque primas conciones adeò repentina ab improba iurandi consuetudine, inueterata odiorum simultate, fœda verborum licentia, ad diuini nominis venerationem, amoris mutui concordiam, linguæque sanctimoniam facta traductio; vt omnes tantam rerum commutationem mirarentur, nouamque faciem opidum induisse faterentur. Itum etiam ad quoddam sacrarum virginum cœnobium,

bium, omniumque totius vitæ confessiones exceptæ.

## *Collegium Vesuntionense, seu Bizuntinum.*

IN Collegio Bizuntino ad quinque humaniorum litterarum classes duæ hoc anno accessere; Logicæ vna, alia Theologiæ moralis: quare aucti redditus, Collegiumque nouo ædificio. Theologum nostrum non pauci Doctores, viri præterea graues, etiã ipse Proepiscopus & Officialis, vterque nostri peramans audiunt aliquando. quare fore speramus hæc vt lectio Casuum plurima sit nostris ceterisque allatura commoda. Scholasticorum numerus ad 800. est. Habẽt parthenici Sodalitatem centum viginti. maior verò congregatio constat vrbanis ferè totidem. Vnus eorum morti proximus syndonem, qua proximè sepeliendus erat, voluit semper habere ad caput, homo simplex ac feruens spiritu: atq; ita crucifixum alloquebatur, sæpissimè ob oculos positum, vt esset spectantibus stupori. narrabat tunc nostris postquam etiam vt bene habuit, audiisse se vocantis tubæ sonitum, visos angelos ipso D. Michaëlis festo die, Diuum eundem sibi apparuisse, hortatum esse bono foret animo, vitam suppeditaturam: & præterea duos è Societate læta occurrisse fronte, qui se monerent de recuperanda valetudine, quare viæ plurimum adhuc superesse, & laboris pro Dei gloria suscipiendi. Visum secuta est valetudo præter medici sententiam testantis miraculum. Alterius Sodalis crus plumbea glans affecit casu nescio quo, mortem vt immaturam timeremus; quò globulus extraheretur, adhibenda erant flamma & ferrum: ea verò ita patien-

ter

ter tulit, nullum vt ederet penè doloris sensum nisi vsurpatione nominum Iesu & Mariæ. Planè è materno Deiparæ sinu haurire se talem patientiam prædicabat adolescens: qui vt conualuit, globulum B. Virgini in beneficij memoriam attulit. Doctrinæ Christianæ nonnihil interrupta explicatio, quo auidiùs expectabatur, eo maiore frequentia fructuque est resumpta, habitaque non tantùm ad pueros, verùm etiam ad vinitores, quorum hic ingens numerus, initio perquàm felici. Cùm dæmon ex obsesso puellæ corpore, quod annos iam vigintitres occuparat, abire nollet, nisi daretur facultas sacerdotem eum Societatis, qui tam multas Christo lucraretur animas inuadendi, abiit tandem nullo sui relicto vestigio. Etiam foris constitit nostrorum fructus quina excursione. quodam in opido nostrorum suasu erectum à fundamentis templum ingenti ausu, omnium ad opus consensione, feruore maximo. Eadem effectum operâ, vt maiore in æde altaria omnia distributa honestioribus matronis ornentur: res est quæ & pietati inseruiat, & multorum incitamento. Curatum item plurimis molestissima eximeretur conscientiæ vexatio, quòd multis retro annis ex cædua domini prohibentis sylua ligna extraxissent. ingens sanè damnum, magnumque restituendi negotium, quod in dies excresceret. effecit noster sacerdos, ea lege dominus loci vt remitteret suis, vt pro se quisque extruendo templo liberè quidquam daret. Ibidem superioribus annis catechesis instituta renouata est resonante æde puerorum cantu, accurrentiumque plausu. quare præter binas supplicationes mysteria mortis Christi referentes (facto nunquam ibi viso) duplex catechismo datum publicè præmium, ex vicinis opidis concursu maximo ad nouum

ſpectaculum ſanè gratiſſimum. Gaudet etiam hoc opidum Sodalitate ſanctæ Vrſulæ noſtrorum ſuaſu & cõſilio. Alio in loco res accidit commendatione digna: noſter inter concionandum exemplo vtitur non leui, quo probat Euchariſtiam propulſandis ignibus, incendioque extinguendo poſſe plurimum. poſtridie eius diei ventus ſurgit maximus tum minimè ſuſpicantibus. acclamatur ad ignem, qui domum inuaſerat. plebs concionis non immemor ſanctiſſimum Sacramentum efflagitat. affertur quantocyùs; viſus ſtatim ignis ante eius cõſpectum effugere. ſed alias duobus aut tribus locis occupat ædes diceres dæmonem huc illucque flammarum globos ſpargentem. Sed dum igneus turbo ſeptem octoque peruadit domos, noſter, vt poteſt, hortatur in tanta rerum deſperatione, cereoſque agnos in ignem iniicit: ſuas etiam vices obit Parochus circumferendo SS. Sacramento. ad miraculũ tandẽ incẽdium clauſere duæ particulæ agni ſerico veſtitæ, poſt incẽdium ipſis in ædibus igne cõſumptis inuẽtæ omnino illæſæ: imò altera inter cineres charta obuoluta. integerrimæ redduntur ſacerdoti noſtro, multis ad rei commendationem ſibi efflagitantibns. Vltimum adſcribam. Par coniugum ita lemuribus domi vexabatur aſſiduè, vt non ratò vxor huc illucque raperetur conatu maximo: ſed noſtris confeſſi, & ſacra ſynaxi armati, necnon agno benedicto, nihil in poſterum domi audiuere, vel ſubiere periculi. Duo alij vt peccata confeſſi, & menſa cæleſti excepti noſtro in templo, ſunt à dæmonum erepti præſtigiis. Arcebatur mulier à templo feria quaque quarta hebdomadæ, ne ſacro poſſet intereſſe: ſed mox vt agni particulam de collo appendit, à tantis moleſtiis ſe liberam eſt mirata.

Domus

## *Domus Probationis.*

QVI tirocinium ponunt, omnes impensè nauant operam propriis noſtræ diſciplinæ virtutibus comparandis & augendis. argumentum illud eſt non obſcurum, quòd in valetudinario verſati ſunt more quidem ſolemni, fructu verò quàm aliàs maiore tum ſuo, tum ægrorum. nam pleriſque confeſſiones totius anteactæ vitæ ardore nouo ſuaſerunt; in quo non minore aliquando labore atque difficultate, quàm ſtudio fuit deſudandum. Certè vnus de numero infirmorum, homo militaris & nimiùm efferus, tandem adductus eſt, vt omnia vniuerſæ vitæ crimina, apud ſacerdotem Ieſuitam, quod pridem extimuerat, piè & religiosè depoſuerit, nouuſque è milite veterano catechiſtes ei qui ſibi proximus, quem olim hæretica labes infecerat, fidei noſtræ rudimenta ſpontè atque peramanter ad aliquot dies inculcauerit. Neque verò vnus ille dumtaxat fructum cepit confeſſionis: complures enim à pari medicina parem hauſere ſanitatem. eſtque inuentus, qui deſperato penè corpore, vbi curaſſet animum, ſenſit in dies ſe conualeſcere; donec viribus integerrimis vtraque vita donatus ſolum patrium repetiit. Denique ſi mortem alij non effugerunt peracta confeſſione, in morbis certè grauiſſimis, neque patientia, nec in obitu conſtantia caruerunt. Quanto animi feruore in plateis Chriſtianæ doctrinæ rudimenta expedita, quanta animi alacritate pauperum ritu mendicatũ oſtiatim, quàm ſecura mente de prouidentia cæleſti peregrinationes ſuſceptæ, quàm ſtrenuè omnia probationis munia ſint obita; narrare omitto, quia communia: vnius tamen conſtantia planè ſingularis

nequaquam reticenda. Hic honesto loco natus paucos in tirocinio menses exegerat; cùm ecce tibi duo auunculi eius Auenionem properant, sacellum Nouitiorum in quo fortè omnes post augustissimam synaxim precabantur, intrant: notatum adolescentem in turba reliquorum facta re sacra adoriuntur: ac post varia certamina frustra tentata, quò validiùs eum impellant, eò demum matrem aduenisse maximo cum vitæ discrimine contestantur. Immutata fronte iuuenis hæc audiuit, diuinaque virtute confirmatus animi signa dedit admodum virilis atque generosi. vrgebat interim auunculus vterque, nato vt fas esset ad afflictissimam in hospitio matrem adire; rationi consentiens esse, vt quæ parens leucarum quinquaginta & amplius molestissimum susceperisset iter visendi filij, aliquid ipsa solatij reciperet à filio; ipsammet ad eum venturam profectò fuisse, nisi morbus ex itinere longissimo contractus, & angore vehementi auctus obstitisset. P. Rector vbi rationes audiuit, ipse prior domum in quam mulier diuertisse dicebatur, petit, aduētus & morbi veritatem exploraturus. mox domum redit, inquietos & moræ non patientes reperit, nec sedari verbis potest, nisi promissi solutionem adiungat. Quapropter vnà cum nouitio (altero socio, & ambobus auunculis comitatus) denuò visit mulierem. matri sistitur filius, quem illa vt conspexit, præcipitanter è lecto, cui non ægrota, sed lassata incumbebat, exsiliens præuolat in collum eius, arctissimeque pignus sibi percarum stringens habenas maternis affectibus laxat: per cælites mortalesque omnes filium obtestatur, ne matrem dolore contabescentem perditum eat: capiat eum viduitatis affectæque iam ætatis commiseratio. Adolescens memor illius, Siccis oculis ad vexillum

lum crucis euolandum, ea dicit, vt graui eius religioſoque ſermone ad tempus aruerint maternæ lacrymæ; docens multis, quo loco beneficium vocationis habere debeat. Propè ad veſperam ventum erat. igitur reliquo certamine in ſequentem diem dilato inuitatur ad prandium noſter: quod P. Rectore volente non recuſat. Poſtera die non tam ad epulas quàm ad prælium profectus, amicè primò excipitur. diſcumbitur, multi vltrò citroque ſeruntur ſermones. at machinas iunctis viribus admotas adoleſcens magno animi robore pariſque conſtantia ſuſtinet. de prandio victæ partes victorem quaſi triumphantem in arcem Nouitiorum, & ſi nondum animis beneuolis comitati ſunt: & in ſacello poſtquam filio præeunte & monente mater orauit tantulo tempore, ſurrexit ab oratione mente vultuque ſedatiore. licet enim fuerit iterum in lacrymas victa, oſtendit tamē id ſe facere potiùs amore naturali foras erumpente, quàm voluntate peruicaci. Quam ob rem extremum vale crebris ſingultibus interruptum conſtantiſſimo filio datura, eum ad genua prouolutum, ac benedictionem ſimplici vultu flagitantem videt; at renuit exorari primò (quaſi ſpes aliqua ſit, ſi neget quod petitur, obtenturam ſe quod contendit) tandem iuuenis intrepidus ſibi ipſe arrepta materna manu non ampliùs repugnante benedicit, exſurgitque tam hilari vultu, quàm mater diſcedit afflicto. Non deſunt aliorum exempla, qui in recta obſequendi religioſè Deo ſententia egregiè ſibi conſtiterunt, licet inuitis atque vetantibus conſanguineis.

PRO-

# PROVINCIA GERMANIÆ SVPERIORIS.

NVMERAT prouincia Socios 341. defuncti sunt quinque; ad Societatem admissi quatuordecim. reliqua præcedenti anno ferè similia.

## *Collegium Ingolstadiense.*

DOMESTICORVM feruor exstitit singularis. sex catechismis superiori anno habitis, adiecti quatuor alij. Sæpe in platea a deambulantibus pueri instructi, non sine præmiolis. Parochianis à Parocho desertis à nostro succursum, atque etiam tempore pestis sacra, conciones, Sacramenta ministrata. Confessiones de tota vita, vel de multis annis exceptæ septuagintaquinque. Ciuis nostræ defensionis interesse ratus mediam ciuitatem, nisi nostrorum opera intercederet, Sacramentis casturam, aut in hæresim lapsuram affirmauit. Ab hæresi absoluti quadragintatres. Hos inter penè sexagenarius post diuturnos conscientiæ stimulos, ex loco hæretico cum familia Ingolstadium migrauit, ne migraret ad inferos. Homo doctus nouem annis ita hic versatus est, vt Catholicorum concionibus nunquam, hæreticorum in vicinia nonnunquam interueniret: audito tamen semel concionatore nostro, ita flexus est, vt grauiter affirmaret, non se perfidis rabulis vnquam amplius aures daturum, ex eoque nostrum audit assiduè. Iuris studiosum curiositas huc adduxit, pietas detinuit. venerat videndi magis quàm audiendi gratia. Ecce autem eo die, quo iam conuersus a nostro SS. Eucharistiam sumpturus erat,

parens

parens hæreticus bene manè de longinquo inexpectatus aduolat; miratur, & increpitat filium, qui se inconsulto religionem mutasset, abducturus etiam in locum hæreticum. Filius SS. Eucharistia nihilominus percepta, postridie nostrum conuenit, parentis aduentum, reprehensionem, insidias aperit; sibi graturn, fortassis etiam vtile fore, si noster parentem adiret. Adiit & ita placauit, vt ab illo consultus quoque fuerit super filij in hac academia commoratione, enmque reliquerit hic lubens, hortatus Collegium nostrum vt frequentaret. Denique nil propius factum, quàm vt dum perditum it animam filij pater, inueniret suam. Alius ex eiusdem Patris nostri congressu bona fidei semina conceperat, sed inimicus homo superseminauit zizania: nam partim dæmonis suggestione, partim prauo sociorum sermone peruersus, subitò potius vrbem deserere statuit, quàm hæresim. Inter multos malos conscios repertus est vnus bonus, qui repentinum hominis consilium ad Patrem perferret. Adiit hominem Pater, eoque adduxit, vt præcipitis insaniq; propositi veniam deprecaretur: & quam ob caussam citius antè erat discessurus, eam ob caussam diutius postea mansit, nimirum vt Catholicæ fidei dogmata posset condiscere. Fuit qui animum induxerat Styriam repetere, hortaturus parentes, vt solum potius, quàm animum mutarent (alterutrum enim Sereniſſimus Archidux Ferdinandus fieri iusserat, nolens habere subiectos sibi, qui non essent Deo Ecclesiæque;) sed breui animum sic mutauit ipse, vt domum festinaret hortaturus parentes, vt fidem perfidiæ, patriam exilio præoptarent. Quidam vitam potius quàm sectam ponere paratus, ita ab sententia deductus, vt hæresim peius exilio & morte iam oderit: nec modò

Catho-

Catholicum fieri, sed & facere pulchrum duxit; socium suum seriò hortatus, vt cælũ patriæ (quo vno hamo adhuc suspensus hærebat) ne posthaberet. Haud grauatè secutus est alter doctorem, quem vidisset priùs facere, quàm docere. Alius sæpe iuratus nunquam se Ecclesiæ reconciliatum iri, multis aliquando donis à cognato suo ad fidem allici potuit, pellici non potuit. Bis térve cum illo congressus noster effecit, vt cederet verbis & veritati, qui noluit muneribus & gratiæ; sociumque dehortantem, contrà vehementer ad se cohortaretur imitandum. Quidam desiderium præ se tulit adeundi cum Patre nostro Prædicantem, vt de religione audiret conferentes. Dant se itineri, in cuius medio dolens ille & gemens, ait, minimè necesse esse vlteriùs progredi, se iam agnoscere nostræ religionis veritatem falsitatemque suæ. Eo amplius de huius conuersione laboratum est, quòd ab eius nutu & exemplo penderent ex sociis duo, qui etiam fidem eius continuò æmulati sunt. Cuidam scriptum quoddam veræ fidei argumentum noster dederat; quo ille cùm nimiùm stringeretur, foras ad Prædicantem quatuor millia passuum exiuit, & tanquam Magno alicui Alexandro Gordîum nodum soluendum obtulit, quin etiam petenti donauit liberaliter, quo facilius responsum eliceret. sed citiùs ex pumice aquam expressisset. Iuuenis spe frustratus domum regreditur, factum sociis indicat; vnus de sociis Patri; Pater Prædicantem inuisit: Prædicans quemquam ad se venisse, vel scriptum aliquod argumentum se accepisse negat, pernegat. Iuuenis ad Patrem rediit cinctus angustiis: videbat, si Catholicus fieret, patriam terrestrem relinquendam fore: si non fieret, cælestem. Vicit tamen & victus est amor qui debuit. libros hæreticos

quos

quos antea non vendidisset magno pretio, Patri & Mulcibero postea libens dedit nullo. Aliis duobus Prædicantibus frequenti congressu, tum voce, tum oblatis scriptis os obstructum. Ciuis Ingolstadiensis dum negotia sua foris persequitur in hæretica ciuitate, lethali corripitur morbo. inuitant illum hæretici ad sacrilegam suam cœnam: respuit. instant importunè, oportunè, sed frustra: comminantur se illum in plateam eiecturos, ni pareat; non proficiunt hilum. Vbi verba se perdere sentiunt, ad vim conuertuntur; nolente & reclamante ægro, Prædicantes accersunt; quos cùm ille iam adesse intellexisset, in infirmo corpore firmissimum gerens animum vim vi repellere parat pietatis magis quàm imbecillitatis memor: minitatur, si accedant, se vltimas in eis vires experturum, non modò bolum ipsorum & Bacchum, sed etiam conspectū & alloquium abominans. Tum verò tanquam impius desperatur, deseritur ab omnibus, nemo illi vel frigidam amplius ministrasset, etsi prolongare vitam potuisset, excepto paruo filio itineris comite, qui & corpus eius curauit pro virili, & animam aduersus pestifera hæreticorum Sacramenta & solatia excitauit, donec eam Deo certaminis spectatori reddidit. Puella septimo ætatis anno hæreticis commissa fuit, interque eos ita nouem annis versata, vt Catholicam religionem cum omnium stupore mordicus retinuerit, carnes diebus interdictis iniuriosè licet in os iniectas, egesserit; & Norimberga tātùm confitendi communicandique caussa huc venerit, maiore quàm pro ætate & sexu constantia. Studiosus ante hac Pragam delatus, ibique paucis diebus commoratus, omnium vitæ dierum errorem correxerat, nemine magis dolente, quàm parentibus: qui proinde filium ad aliam academiam prorsus

prorſus hæreticam tranſmiſerunt, dato amicis & patrifamilias, apud quem diuerſaretur, negotio, ne eum vſquam ad Catholicos dimitterent. ſed inſpectatores ſuos iuuenis ſancto illuſit dolo. Iniecit ſodalibus deſiderium luſtrandi Ingolſtadij: diſcedentibus ſocium ſe adiunxit, ſpecioſo prætextu latentem tegente cauſſam. Huc vbi venit, comitibus furtim deſertis, Collegium petit, conſcientiæ maculas eluit, cæleſti alimonia roboratur, paratus etiam patrimonium, ſi neceſſe ſit, propter fidem amittere. Reuerſus in illam academiam re feliciter ſimul tecteque perfecta, reſcripſit Patri noſtro, ſe per eandem ſimulationem proximè Herbipolim conceſſurum. Parentes & filius; coniugum duo, ceteroquin inimicorum nouem paria recõciliata. Editæ in lucem Apologiæ tres, pro Societate duæ, vna cõtra Lermæum Caluiniſtam, altera contra pſeudocatholicum ſeu caluinopapiſtam, eò peſtilentiorem, quòd ille apud ſuos tantùm nos traducere conatus eſt, iſte etiam apud noſtros: tertia pro Catholicis doctoribus & dogmatis contra calumnias præconis Lutherani: Commẽtarius græcolatinus ſancti Gregorij Nyſſeni in pſalmos, nunquam antehac excuſus: Vindicatio item locorum quorundam Tertulliani contra deprauationes Franciſci Iunij Caluiniſtæ: tomus primus de Cruce recognitus & auctus: fecundus græcolatinus in lucẽ primùm datus: volumen Orationum Leonis Imperatoris itidẽ græcolatinum, neque antè impreſſum. Exercitia ſpiritualia tradita duodeuiginti. Alias Religioſorum familias complexi quinque, Societatem vnus. Vnius ex maiore congregatione B. Virginis memoranda extitit charitas. Studioſum vehiculo ex Vngaria aduectum, Vngarica febri, vel inſania potiùs laborantem, hoſpitio & lecto ſuſcepit ſuo eique,

eiq́ue omnia obsequia diu noctuq́ue exhibuit. Morbus à peregrino in hospitem migrauit: hic vitam illius morte redemit sua; & æger ostendit, quantum religioni studuerit sanus. Perpetuò aliquid orabat; insaniebat propemodum sine insania, adeò precibus, obedientia, comitate circumstantes exhilarabat. Defunctus & sepultus est magna solennitate: iuuenis non modò virtutis, sed & ingenij doctrinæq́ue ornamentis ita excultus, vt præceptor eius diceret Principi Cancellarium esse mortuum; adeò iam in Iuris cognitione processerat. Vniuersa illum Academia sic luxisse visa est, vt nullum ex studiosis alium. Qui ei morbum pro hospitio, mortem pro conseruata vita attulerat; iam tum valens, primus obuoluto capite interlugentes prodiit.

## *Residentia Biburgensis.*

TEMPLVM Allerstorffense D. Virginis votorum nuncupatione percelebre, maxima ex parte funditus de nouo ædificatum, ad vsus nostros populiq́ue accommodatum, multò quàm antea fuerat, capacius, elegantius, artificiosius. Serenissimus Dux Wilhelmus cum Serenissima coniuge comparuit postridie dedicationis; casulam, antependium, puluillum & thecam corporalis, omnia ex serico villoso rubicundo attulit secum, plura pollicitus. Serenissimus Maximilianus misit aureos ducentos; nobilis quidam triginta tres; sacerdos triginta; alius argenteum cyathum, cum aliis quibusdam ad vsum templi pertinentibus, æstimatione 14. plus minùs aureorum. In templo S. Leonardi altare quatuordecim auxiliaribus Sanctis erectum contributione variorum.

## *Collegium Dilinganum.*

RECEPTI in Societatem quatuor. ſpiritualibus commentationibus exercitati nouem. Cuiuſdam cœnobij Prælatus, cùm minùs iam commodè officio ſuo fungi poſſet, Illuſtriſſimo Principe noſtro agente, eadem exercitia obiit dies quindecim, eo fructu, vt libenti animo perſonam, quam ægrè ſuſtinebat, depoſuerit, ſeque ipſe in ordinem redegerit. Non minorem vtilitatẽ ex iiſdem meditationibus ceperunt alii monaſteriorum Prælati & ſubditi. In præcipuo cœnobio ſuppeditata conſilia diſciplinæ conſtituendæ. Ex alio magnum malum, ne in plures contagio manaret, ſublatum. In aliis conſultum ſtudio literarum. Graue periculum, quod alij imminebat, noſtrorum conſilio depulſum. Abbas quidã curauit hîc imprimi ſua impenſa meditationes R.P. Vincentij Bruni de Chriſto paſſo, Germanicè à ſe verſas, & ſingula exempla in ſingulos monachos hîc litteris operam dantes (ſunt autem ſupra octoginta) diſtribui. In duplici Sodalitate B. Virginis penè trecenti numerãtur Varias Religiones ingreſſi octo. Vnus diſcedens Sodalitati obtulit quadraginta aureos, alij alia. Frequentia ſtudioſorum ita creuit, vt neceſſe fuerit, Humanitatis ſcholam diuidere; tantam multitudinem nunquam vidimus. Reuerendiſſimus Epiſcopus Collegium & academiam crebrò viſit, veſtem multam aræ, ſacerdoti & miniſtris in aula academica coëmi curauit, impenſa ampliùs ſexcentorum aureorum. De tota, vel penè tota vita confeſſi ampliùs octoginta. Aliqui odium graue poſuere. Tabellarius hac tranſiens, ſacellum noſtrum ingreſſus, vidit frequentes ad quendam noſtrum accedere: quo argumento

gumento virum bonum esse coniectans, consilium repentè capit confitendi. Confessus dixit confessario nobiles viros ad quos iret, pluribus annis non esse confessos, si ipsum esse tam bonum virum nossent, venturos profectò. Monuit hominem confessarius ne sineret eos perire. Triduo pòst venit vnus, deinde etiam alter. Ab hæresi domi foriſque absoluti circiter octoginta. inter eos Illustris viri coniux, quæ ita pertinaciter antehac retinuerat errorem cum lacte nutricis haustum, vt viris doctrina & auctoritate præstantibus, præcipuisque Patribus nostris, & marito egregiè docto nunquam cesserit. nunc tandem iuuante Deo, cessit vni nostrorum, & filiolos duos, quos in disciplinam hæretico concionatori tradiderat, reuocauit. Mulier morti vicina accersiuit nostrum: obstabant negotia, quo minùs veniret statim. sub noctem vbi venit, illa paulo pòst quàm cum eo de salute sua egisset, placida morte defuncta est. affirmauit maritus eam, nisi nostro præsente, mori non potuisse: quòd interfuisset sæpe cùm ille animam agentibus præstò esset, & vt sibi mors ipso alióve de Societate præsente obtingeret, Deum precata esset assiduè. Perpurgatæ bibliothecæ duorum Principum. Oblata Collegio Bibliotheca Patrum in quinque tomos diuisa, Opera DD. Chrysostomi & Hieronymi, vini dolia ferè decem, vestis holoserica amethystina pro duabus casulis, & alia.

## *Collegium Monachiense.*

OBIIT Fredericus Braber, spectatæ virtutis, industriæ, laboris Coadiutor, annis amplius quadraginta in Societate exactis, magnæ in omnes charitatis, animi æquitate ac magnitudine

præstans. Huius loco in nouitiatum missi tres. Viguit inter domesticos in exigendis à se pœnis ardor & æmulatio. Vota Professorum edidit Pater vnus, Coadiutorum formatorum duo: sacerdotio initiati sex. Editus sermone patrio liber vtilissimus contra hæreticos, doctis admodum probatus. Commentationibus B.P.N. eruditi quinque supra sex illos nouos sacerdotes. Quadraginta horarum oratio bis instituta. Extra Paschα Christi corpus perceperunt in nostro templo trigintaquinque millia quadringenti. Venerat quidam peregrè, doctusque ritè confitendi rationem à confessario domum iam redierat, sed curis plenus. erat in animo totius vitæ peccata ad memoriam reuocare, & exponere sacerdoti; sed perdifficile id visum homini litterarum ignaro. Modum ergo excogitat nouum, vt in bacillum quemdam referat omnia, figuris quibusdam creta consignatis. Baculum illum secum afferens remenso itinere bene longo, contendit ad confessarium, & erectum ante se baculum identidem inspiciens voluit, reuoluit, atque vt vnumquodque explicasset, digito delebat, eoque modo facilè singula in mentem reuocauit. Venit alius, homo iam octogenarius, hospitio accipitur ab anu quadam, templo nostro assueta. Hęc de proximo bene merendi occasionem nacta, sermonem ingerit de rebus piis, commendat confessionem peccatorum, eiusque vtilitates. Ille simile in vita nihil, multa in contemptum sacerdotum & confessionis audisse se iactabat apud suos, vana omnia afferens, quæ de confessionis modo & commodis prædicarent sacerdotes: sufficere Deo confiteri. Anus contra proferre in medium quę didicisset à no strris. Quid plura? Tantum pondus Deus addidit verbis illius, vt cedere cogeret senem quamuis pertinacem.

cem. Totam enim noctem traduxit penè insomnem, de confessione instituenda cogitans, primosque pueritiæ annos memoria repetens. Manè victrix illa præmonito priùs confessario quid cum homine egisset, prædam adduxit, quam diabolo eripuerat, obsitum annis & peccatis seniculum, sed iam culpas cum dolore detestantem. confessus & ad magistram suam reuersus: Iam verò, inquit gratulabundus, mihi videor ex integro restitutus; reddidit mihi vir iste (confessarium intelligebat) cor animumq; perditũ. Totius vitæ aut plurimorum annorum peccata detexerunt quadringenti. Redierunt ad Ecclesiam trigintaquatuor: retracti duo iam-iam abeuntes. Consilium voluntarię necis ereptum desperabundis duobus. Persona ex laqueis diaboli, cui se deuouerat, expedita. Ad opera pietatis plusquam mille ducenti aurei applicati, præter eleëmosynas pauperibus conquisitas, peccandique pericula auersa. Dissidentes plurimi, præsertim coniuges, ad concordiam reuocati, ita vt datis dextris veniam mutuò peterent. Instituta de nouo exhortatio ad mendicorum gregem, quem Sereniſſimus Wilhelmus conuinas habet ordinarios. Vnus catechistarum minimum sexaginta adultos ad generalem confessionem permouit. Sodalium Partheniorum consueta pietatis officia omitto: vnus libros hæreticos in amici bibliotheca repertos non paucos in conspectu illius libentis exussit.

## *Residentia Eberspergensis.*

TOTIVS vitæ noxas eluerunt minimùm nongenti; crimina verò pluribus annis nefariè celata, non pauciores mille. Libelli hæretici, vel superstitiosi partim ab inuitis extorti, partim à volentibus

lentibus traditi. Sex ab impura viuendi consuetudine ad honestatem traductæ, ex quibus vna priùs non quieuit, quàm flagitij socium in melius commutatum videret. A voluntaria morte prohibiti quinque. Duo paria coniugum, & tres capitali odio dissidentes in gratiam redierunt confessionis interpositu. Vir quidam nobilis, ipsa ætate & magistratu, quo functus est annos 40. venerabilis, postquam de restauranda valetudine spem omnem abiecit; tam ardenter vnum è nostris expetiit, vt familiares coacti fuerint certum hominem cum litteris hac de caussa Eberspergam ablegare. Ecce autem repentè damnat consilium, haud dubiè dæmonis astutia; mittit equitem, qui peditem reuocet. Cursor Patri obuiàm factus domini voluntatem explicat, non esse cur longius iter emetiatur. Ille quod res erat subodoratus, ait plura sibi ibidem negotia esse, comitem se redeunti futurum. Interea seni displicet, quod modò placuerat; nuntium tertium mandat, qui secundum reducat. Vbi ex insperato Patrem adesse videt, manãtibus gaudio lacrymis, quidquid potest humanitatis exhibet, & vniuersas vitæ maculas confessione detergit, tãta solatij copia, vt verbis assequi nesciret. domesticorum iudicio, ex leone in agnum versus videbatur. Nam quos antea durius increpare, toruùm intueri, ad omnia reprehendere; iam demissè rogare, sedulitatem commendare, blandè affari consueuit: atque adeò sordebant illi terrestria, vt de spe propagandæ vitæ nihil audire sustineret, optaretq; dissolui & esse cum Christo. & quò se totum rerum cælestium contemplationi dederet, excluſit à conspectu filios & cognatos, vt colloquio sacerdotum de salute differentium liberiùs frueretur. Accersitus est noster ad tres fratres germanos multiplicis furti reos, eosque

mœrore

mœrore oppressos ægerrimè ad Pœnitentiæ & Eucharistiæ Sacramenta adduxit. Ad solemnem facinorum promulgationem perducti, simul ac sententia lata est de suspendio, vociferari, in genua procidere, iudicis fidē ac misericordiam implorare. Cùm nulla flexi iudicis indicia apparerent, contrariam insistunt viam, crudelitatem plusquam barbaricam exaggerant, damnationis auctores & fautores incusant, vltionem diuinam, tam his quàm opido comminantur, seque nulli horum ignoscere nec velle, nec posse protestantur. Sacerdos noster inter hæc oportunè, importunè conatur efferatos emollire, Christi de ligno pendentis imaginem ostentat, ad patientiam & detestationem scelerum hortatur, gaudia cælestis patriæ inculcat. Frustrà. illi contra ius fasque ætatis florem præcidi, nihilque minùs quàm mortem promeritos identidem exclamant. Pater à leuibus ad aspera descendit, proponit horribiles inferorum cruciatus, qui obstinatos maneant: nì resipiscant, se tanquam à præfractis, & ad perpetuas ærumnas sponte ruentibus discessurum, & curru quo vehebantur desulturum Surdis concionatur. Pater parumper auersus ab illis mentem, oculos manusq; in cælum tollens pro desperatis Deum precatur, sibique spiritum Societatis efflagitat. Et subitò contra omnem exspectationem duo ex reis cantionem voce clarissima modulari incipiunt, qua se voluntati Conditoris totos committunt, animamque piè commendant. Iunior autem tanto cum sensu Christi in crucem suffixi imaginem, quam antea penitus aspernatus fuerat, amplectitur & exosculatur, vt videntibus iucundissimum spectaculum præberet, imò ne vnquam à se diuelli posset, cingulo suo illigari magnopere contendit. Idem faciunt ceteri, veniamque à circumfusa

multitudine,& nominatim à magiſtratu precati tormentis ſe grauioribus dignos palàm dictitant. Demum Patri à turba pauliſper ſeuocato, rurſus peccata cum magna doloris ſignificatione confitentur. Et donec laqueus in collum inſertus vocem intercepit, non ceſſarunt hoc iterare, *In manus tuas Domine*, &c. Præter miracula ad imaginem Crucifixi, interceſſionemque D. Sebaſtiani patrata, mulier partui vicina leuiuſculos dolores ſentiens in æde noſtra Sacramẽtis ritè ad pugnam ſe communit. Intermiſſi dolores poſtero die ingraueſcunt, biduumq; totum ita laborat, vt paulatim natura ſuccumbente, immobilis & morituræ ſimillima ſtrato incubans, parentes & maritum vocet, vt ſi quid offenſum deprecetur, vltimumq; vale dicat. Fit fletus & eiulatus. arte obſtetricum penitus eluſa, ſuſpenditur è collo agnus Dei, præſentiſſimum aliàs leuamentum: nihil proficitur. Vouentur ternæ ad diuerſa loca peregrinationes: nulla ſpes affulget. Viſum eſt adhuc reſtare perfugium. Parturientis maritus ad ſacerdotem noſtrum, qui vtrique erat confeſſarius, anhelus feſtinat. Suadet noſter, preces ingeminent, vota nuncupent, agnum Dei applicent periclitanti. Reſpondit hic, omnia, ſed incaſſum tentata. Viro tandem à ſe dimiſſo Patrem inceſſit cogitatio eorum, quæ nuper de B.P. Ignatij miraculis inaudiuerat. Circumſpicit vndique ſi quid reperire poſſit de reliquiis aut chirographo. Commodum autem libellus ſummarij conſtitutionum occurrit, ita ſecum ratiocinanti, Quod fieri potuit per nudam ſancti Patris ſubſcriptionem, cur non idem per regularum virtutem fieri poſſe credamus? legimus certè pluribus lacrymis has quàm illam conſtitiſſe. Nec mora, continuò flexis humi genibus Deo & B. Ignatio ſupplicat, vt in extrema neceſſi-

necessitate constituta ne deseratur. Fiducia igitur singulari erectus, libellum chartæ implicatum adfert ad parentes laborantis feminæ, rem totā pro captu rudium explicat, iubet admoueri hæc verba sæpiùs inclamando: O S. P. Ignati, fer auxilium. & ecce vix dum bene admouerant, verbaque protulerant, cùm statim meliùs habere, tantumque robur cælitus impertitum sentire desperata cœpit, vt ad quinque horas strenuè pro partu laborarit, donec feliciter enixa est. Partus pedibus, ceteriſq; membris globi instar conuolutus ex vtero matris prodiit. Qui præsentes adstiterant, ne quid infanti humanitus accideret gratulabundi deportant ad templum, sacro fonte tingēdum, nomenque Sebastiani indunt, cuius festus dies præ foribus erat. Auus verò maternus, quem neque consuluerant, neque aduentum lætitia pleni exspectarant, vehementer indoluit Ignatium non esse vocatum propter diuturniorem miraculi recordationem. Hæc omnia publica fide testium examinata & iurati manu confirmata, populi sermone adhuc celebrantur. Alia femina difficili parturitione conflictata prioris exemplo & hortatu ad eum Patrem misit oratum, vt libelli copiam faceret. Sed ille reliquias interim de capillis, & interula B. Ignatij dono Superiorum acceperat. Capsellam igitur, in qua condebantur de collo detraxit, parturientiqúe appendendas tradidit. Quamprimùm fuerunt appensæ, illa filiolum felici partu in lucem edidit.

## *Collegium Augustanum.*

DVOS morbus absumpsit graui plurimorum sensu. Eorum alter P. Dauid Gassner, operam annis amplius viginti Societati iuxtà populoque

probauit; concione bonus, & aduersus hæresim maximè disertus. Alter Godefridus Hamart formatus Coadiutor annis 40. in Societate exactis. quatuor & triginta huiusce Collegij œconomiam administrauit, nec antè laborem, quàm vires amisit. Rerum humanarum in eo despicientiam vel hæretici suspexere; eumque non tam canities, quàm nota viri patientia à probris reddidit immunem. Et quod mireris, festus D. Godefrido dies supremus Godefrido nostro illuxit. Octoginta circiter vitam omnem eiúsve magnam partem relegerunt. Femina meditata scelus quo maritum seque decreuit iugulare, nostro agente detestata est. Alteri salutem suam desperanti confessio persuasa, spes iniecta. Hæresin quinquageni terni eiurarunt. inter hos Wirtembergensis, non vulgari doctrina ac dignitate vir, diu, antequam se dederet, acriterque cum nostris disceptauit. Odia restincta multorum. Quidam 40. Philippicos restituit. Societatem vnus, aliam Religionem duo elegere. Septenos hæreticos, cùm pugnantia dicerent, puer ita in ruborem dedit, vt puero silētium, quod argumentis nequibant, precariò suaderent; ne scilicet adstantes eiusdem fatinæ homines talia de Luthero audirent, quæ de nobis mallent. Sub digressum, Satius erat, inquiūt, cum cacodæmone, quàm cum Iesuitarum fœtu congredi. Sub esuriales dies extremos adolescens acrius cum hospite suo delitigauit, damnauit creophagiam: imperat herus ira percitus, continuò in huiusce ludibrium carnes lixentur, mensæ inferantur, nostro solo frustra obnitēte. Iam materfamilias lances onerarat, easque elata manu, voce, cachinno in triclinium asportabat; cùm subitò pedes labare, manus deficere, patina feminaque simul ad terram affligi, pauimentum iure natare conspi-

conſpicitur. Viſum hoc domeſticis non fortuito euenisse: deprecati errorem correxere. Adoleſcentem è noſtro lyceo par nobilitas ac innocentia ornabat: huic duobus abhinc annis pedum alter ſenſim debilitari cœptus, vt modò difficulter incederet, pòſt paulo eadem difficultate inſiſteret; tandem coactus à ludo ſemper abeſſet; nunquam à lecto, niſi ſubalares admoueret ſcipiones. Fruſtra conſulti medici magiſque: nam iuges acutiſque dolores ſeſquianno iuuenem exercuere. domeſtici aut malo finem, aut vitæ optabant. Æger B.P. Ignatij icuncula donatur, coram qua cum lacrymis precatus, animaduertit aſpectum B P. Ignatij aduerſus ſe ſolito amœniorem; inde ipſe dulciſſimos ſenſus, & haud falſam valetudinis ſpem concipiebat. Vix vna ſucceſſit dies cùm dormienti viſus eſt aſſiſtere quiſpiam, qui vocaret ad Marianam ædem, vt preces ibi faceret: tum ipſe ſecum mirari, expergiſci, ſentire ſe leuatum. Iamque ſeguiùs defluebat humor, redibat virtus, & ſenſim valetudo. nunc in ſcholis aſſiduus eſt, necdum tamen è morbo penitus recreatus. A Sodalibus B. Virginis bini ad fidem reducti. Libri impij ablati, coëmpti ſaniores. cætera vſitata virtutis opera non omiſſa. Templo noſtro legati aurei ducenti. Deſertum Collegium eſt magno patrono Octauiano Secundo Fuggero, quem vixiſſe omnes quidem boni, nos præ omnibus ſentimus. Quàm afficeretur erga Societatem, beneficia multa, magna, aſſidua, ſemper recentia teſtabantur. Populi vox eſt Collegium multis multa debere, huic omnia. Habitamus ipſius potiſſimùm liberalitate, ædes locumque Auguſtæ ampliſſimum: cepimus dona pro Collegio maxima, pro templo apparatus, veſtes, vaſa ex argento auroque plurima. Deceſſit prudentia meritiſque grauior quàm annis.

nis. Ita enim quotidie vixerat, ac si ephemeridem morti approbaret. Suos ipse dolores patientiùs tulit quam alij spectarent.

## *Collegium Ratisponense.*

COMMENTATIONIBVS B.P.N. exculti ex eodem cœnobio religiosi septem, reliqui deinceps excolendi. Desertor monasterij suasu nostro rediit. Discordes coniuges & alij in concordiam relati. Multis persuasum, vt hæreseos vitādæ causſa aliò se conferrent. 52. ad Ecclesiam redierunt: inter hos adolescentis pugna spectabilis fuit. Frater is erat negotiatoris hæretici parentibus orbus: cumque nunquam seriò cum pseudoeuangelicis faceret, templum aliquando D. Emmerami ingressus ad D. Wolfgangi sepulcrum sese abiecit, ibiq; Deum enixè precatus est, vti sibi Catholico fieri liceret. Deinde cùm in princeps templum se contulisset, adeò pietas illi hominum lociq́ue placuit, vt è proximis feminis quæreret, quo pacto quis ad illam pietatem aspirare posset? tum illæ huiusce rei rationem à Iesuitis petendam esse responderunt. Is igitur ire è vestigio ad nostros consilij causſa, & deinceps totum ferè per annum creberrimè nos interuisere. Inter hæc dum in domesticis fabulationibus crebra in Papam conuitia iactantur, ille impatienter, aut mussitando, aut discedendo se prodidit. Tum frater, qui eius cum nostris congressiones ex affine resciérat, acriùs instare, eiq́ue vt ad cœnam nefariam accumbat, imperare. Adolescens anxius ad pristina & fida nostrorum consilia accurrit. Nostri rem inuidiæ periculiq́ue plenam odorati, omnem in Episcopum eiusq́ue Cancellarium curā reiecerunt. Hi susceptæ adolescentis causſa, egerunt cùm Præposito vicini monasterij

rijS. Magni, vti eum qui à Magistratus suorumq; sæuitia tutus non esset, reciperet. Die palmarum quando nefarius bolus glutiendus esset, de compacto in monasterium penetrat, humaniter à Præposito receptus. Ne autem in ignominiosæ fugæ crimen incideret, fratrem, tutoresque accersit, honestos ac graues homines, quibus se religionis caussa eò confugisse explicauit. Illi furentibus similes adolescentem conuitiis insectari, rationibus, blanditiis, minis oppugnare, & è monasterij septis elicere. Quod si factum esset, actum sit de illo graui ignominia pœnaque afficiendo, qui aliis exemplo foret haud temerè deserendæ religionis. Actum agunt. Nam ita prudenter moderateque respondit, vt illorum furores comprimeret, & quietos domũ remitteret. Sopitus ignis est, non extinctus. summittunt muliebrem propinquarum & affinium cœtum: illę verò furiarum instar ex inferis emissarum cùm apud eum se gererent, tandem lenitate loquentis emollitæ, etiam ridentes importunum pedem retulerunt. In hac arena depugnauit athleta noster ad duodecim hebdomadas, quibus continua fuit ad illum aditio, si qua ratione in suum solũ allectare possent: miserum, si deprehendissent. Interea confessionem generalem instituit, Christi corpus percipit. Sacramento Confirmationis communitur. Cumque antehac quot mensibus certo quodam dolore capitis, qui non multùm ab insania aberat, laboraret, post Sacramenta percepta nihil doloris amplius sensit. Quæ res vna reliqua erat, ob quam aduersarij monasterio insultarent, quòd videlicet hominem nacti essent helleboro purgandum: quare non tam ambitiosè amplectendum esse. Tandem Monachium auerso itinere, ne in manus hostiles incideret, missus est, vbi in Serenissimi

Maximi-

Maximiliani clientelam receptus litteris apud noſtros dat operam. Alius conſcientiæ ſtimulis agitatus, tantam animi lætitiam à confeſſione adeptus eſt, vt oſculum pedi ſacerdotis figere vellet. quod vbi facere prohibitus eſt, obuio mendico inſtar daleri lætiſſimo vultu donauit, egregiè vltus repulſam oſculi. Femina nobilis & grauida à nouem milliaribus huc venit confeſſionis gratia, cumque ternos iam fœtus vita caſſos edidiſſet, nacta eſt filium viuum valentemque. Partheniorum feruor omni pietatis officio enituit præcipuus. Quidam Canonicus, qui à noſtrorum conſuetudine prorſus abhorruerat, cùm vitæ finem imminere ſentiret, noſtrum quendam nominatim poſtulauit; qui eius confeſſionem audiuit, biduumque à latere non diſceſſit. Summis precibus à Patre cõtendit, vt ſibi liceret venire in Sodalium numerum. cuius rei cauſſa Sodalitati legauit florenos 300. ducentos noſtro nouo altari principi. Eidem Congregationi donauit centum florenos alius Canonicus. nobis legati quinquaginta. Nonis Nouembris obiit Reuerendiſſimus Epiſcopus Ratiſponenſis, vir ſumma prudentia & rerum vſu: librorum auidiſſimus, adeò vt bibliothecam eius dicant eſſe vigintiquatuor millium: ſex linguarum peritiſſimus. Victus veſtituſque tenuitas admiranda in principe, vt & animi erga omnes demiſſio. Collegium templumq; noſtrum frequentauit, noſtro ſacrificanti loco miniſtri reſpondit: noſtro confiteri ſolitus, ab eoque in extremo diſcrimine curatus diligenter. Canonicorum rogatu Congregatio B. Virginis funus proſecuta eſt, vt Catholicus Antiſtes in hæretica vrbe honorificentiùs ſepeliretur.

Colle-

## *Collegium Halense.*

Octo coniuges, animo vel etiam thoro & habitatione separati denuo coniuncti. Inter alia etiam duo inimicorum paria pax consignata. Exercitiis B.P.N. eruditi quinque, quorum tres erant sacerdotes; reliqui duo familiam S. Benedicti complexi sunt: alter etiam insigni exemplo nobilitatem generis, dotes naturæ non vulgares, matris lacrymas & preces, blandimenta propinquorum prædiuitem vxorem & officia perhonorifica offerentium, vocanti Christo constanter posthabuit. Purgati ab omnibus superioris vitæ maculis amplius quadraginta, multi à multorum annorum. Contractus fœnebres octo rescissi, & cum licitis permutati. Cappucinorum familiæ vt adderentur petiuere Sodales B. Virginis nouem, impetrauere quinque. Quidam bis térve pauperem quæsiturus domo exiuit, inuentum domum duxit, cibo refecit. Parauerat alius duro labore paruulam pecuniæ summam; quam cùm optimè collocatam esse cuperet, B. Virginis sacello donauit. Quidam pro impetranda adolescentibus castitate totum mensem lumbos magno constrinxit funę. Quem sequenti mense imitatus est alter, additis pluribus eiusdem generis: quorum intentio præcipuè prædicanda. Nam aliorum plura maioraque etiam pœnitentiæ opera taceo. Ad vicini monasterij Religiosos excursum: bis omnium confessiones exceptæ, alias nonnullorum.

## *Collegium Lucernense.*

Pater Hugo Rokoletus dum Roma in Belgium proficiscitur, antequam Lucernam attingeret, ad celebre monasterium Eremi Heluetiorum

rum moribundus diuertit. Eum cœnobitæ & viuum omni charitatis genere, & mortuum honorifica sepultura affecerunt, cum commendatione pietatis, quam in moriente perspexerint. Femina cùm domus incendio conflagraret, non solùm sinistrum brachium adusta, verùm etiam capite tigno impacto læsa, incendio protinus relicto ex pago ad templum nostrum contendit, confessione doloris lenimen quæsiuit & inuenit. Cùm duæ personæ tanto inter se odio flagrarent, vt res ad graue periculum ventura videretur, nostri operâ totum est dissipatum. Omitto reliqua eiusdem generis. Æs alienum restitutum. Matrona casulas auro intertextas duas, vela calicibus tegendis, aliaque ornamenta altarium templo nostro donauit, Mediolani confecta omnia pretio quingentorum quadraginta aureorum. Alius ex Pfifferorum familia lipsanothecam ex ligno nigro pretiosam, argento & gemmis interlucentem; alius ex eadem familia lipsanothecam argenteam, & rosarium ex lapide hæmathite tornatum interiectis aureis granis, vtrumque æstimatione centenorum aureorum. Minora donaria omitto. Bibliothecæ census ducentis florenis liberalitate viduæ auctus: multaque alia subministrata. Ab hæresi conuersi vel in fide confirmati 30. Sodalitia scholasticorum virorumque, professioni suæ responderunt. Missiones quatuor institutæ, & consueta Societatis munera obita.

## *Collegium Friburgense.*

INIMICITIÆ graues non rarò sedatæ. Cuidam persuasum vt marito suo contenta castè viueret. exactis duobus mensibus à quibusdam admirantibus tantam morum commutationem interro-

gatus

gatur; vnde tantum bonum? Ex frequenti, inquit, vsu Sacramentorum. Confessiones generales audiræ 58. Hæresi soluti quadraginta vnus. Bona malè parta restituta non pauca. De Partheniis taceo ordinaria. quidam ad conuiuia lauta sæpe inuitatus, vt cupiditati frænum iniiceret, delicias eas non tantùm repudiauit (periculum etiam saluti imminere præsentiebat) sed dum alij genio indulgerent, ille domi prostratus Deum pro noxis, quæ inter pocula cõtrahi solent, ardenter deprecatus est. DD. Francisci & Benedicti exemplo nonnulli, ex iuniperis lectulos sibi composuerunt, & super illis horas aliquot, aut etiam integras noctes corpus volutarunt. Aliqui vt flammam libidinis restinguerent, se nudos in niues proiecerunt. Accidit, vt cuidam faces impuræ Veneris a procaci muliere, tum verborum lenociniis, tum munusculorum pollicitationibus subiicerentur. cùm iam serpentem flammam in pectore persentiret, subit animo promissum Deiparæ factum, simulque diuinæ offensæ recordatio; atque ita non tantùm se, sed etiam mulierem sermone de sempiternis flammis habito, ab hoc incendio fœdo liberauit, itaque perculit, vt facta peccatorum expiatione a prioris vitæ turpitudine ad honestatem se receperit. Serenissimus Wilhelmus Dux Bauariæ lipsanothecam misit ex ebeno clauiculis argenteis multifariam distincto: eius fastigio insidet argentea D. Vrsi imago, ad excitandam reliquiarum memoriam, quæ crystallino orbiculo custodiuntur. Audiuerat scilicet R. P. Petrum Canisium eo quo defunctus est anno, à Salodorensi ciuitate, his S. Martyris reliquiis honoratum, sed pro dignitate non satis exornatis. Senatus Friburgensis per litteras illi gratias egit. Præter alia donaria materia casulæ ex argentato

filo conficiendæ, & panni Damascæni aliqua pars oblata.

## *Residentia Oetingensis.*

OBIIT Iacobus Fray Superior, administratione vix susceptа, actis in Religione annis viginti, Societatis augendæ studiosus, si quis alius, & felix De omni vita confessi ducenti quinquaginta tres; permulti de annis plurimis. Hæretici absoluti sexaginta duo. Maior solito fuit peregrinorum omnis generis concursus Sacramenta à nobis percipientium. Nouus catechismus in templo nostro præter ceteros institutus. Odium & lis geminæ familiæ primariæ, nostri Patris interuentu sedata, idque tertium. Inter alios nobiles duos etiam consopita dissensionis fauilla, ne in flammam erumperet. Restitutio aliquot centenorum facta. A meretricio aliquot feminæ abstractæ. Sodalitium B. Virginis nobilibus & magnificis quoque viris floret. Præfectus eius Abbas monasterij cuiusdam aram egregiè exornauit: bibliothecam suam a nobis purgatam, nostram aliquot suis codicibus auctam. voluit: necessaria item ad victum, vt sæpe aliàs, subministrauit. Biblia Regia septem tomis Curio propinqui opidi nobis donauit. Vna & altera matrona nobilis suam vestem ex serico, & Damascено pro amictu aræ vel sacerdotis obtulit: aliæ alia munera. In opida crebrò excursum, solita Societatis officia præstita. Dissidium in quadam ciuitate periculosum & exitiale, quo duæ familiæ propè ad interitum vsque iactabantur, discussum. In monasterio quopiam Abbas & omnes monachi, semel iterumque confitentes auditi. Aliud monasterium est ditione tenens opidum & pagos aliquot: subditi fermè omnes, vix

de:e n

decem exceptis, adeò, pestifera Lutheri tabe iam ab annis quadraginta correpti, obstinarant, vt quiduis contra dominum suum Decanum monasterio præpositum auderent; auctores rebellionis quinque vel sex abhinc annis inter rusticos supra & infra Anisum concitatæ. Enimuerò Ministrum verbi Lutheranum Cæsaris mãdato proscriptum, illi non multo pòst armis, tibiis ac tympanis hostiliter reduxerunt; æneis fistulis onusti, eundem ad cathedram redeuntem stipauerunt. Decanus enim perpetuis libellis supplicibus apud Maximilianum Secundum, & Rudolphũ Secundum Cæsares instítit, vt pernicioſus blatero cathedra, quã obsidebat, deturbaretur, & subditi rebelles vi aliqua adigerentur ad obsequendum. Quippe aliquoties Martem ciuerant, & monasterium armata cinxerant manu, vastaturi penitùs ni prudentia & lenitate præpositi, vel metu maioris mali pepercissent. Quamobrem superioris Austriæ Præfectus, cui negotium hoc à Cæsare datum, vbi desedit rusticorum tumultus; quadriennio superiore cum trecentorum militum cohorte eò se proripuit, octo rebellionis capita in crucem egit, duorum ædes in publicum terrorem exussit, reliquis iuramento adactis vt obsequerentur domino suo Decano. Receperunt omnes ita se facturos, sed quoad religionem, pauci præstiterunt; donec excitatus ille felici progressu reuocatæ postliminio religionis in ditione Lunælacensi, collegit animum idem apud suos moliendi, & à R.P N. Prouinciali contendit, vnum alterúmve sacerdotem è nostris ad hoc institutum impetrare, qui subditis suis ad pristinam fidem reducendis laborem impenderent. Missus est vnus, qui quatuor mensium interuallo, concionibus, frequenti catechesi, priuatisq; colloquiis oportunè,

importunè arguendo & increpando minùs quàm obsecrando, Deo iuuante, ad mille septingentos Ecclesiæ restituit supra spem & exspectationem. Plerique enim difficillimi & pertinacissimi fuerunt, deliberatum habentes asseueranteſque potiùs extrema perpeti velle, quam sectam deserere, multo verò minùs in Papisticam fidem iurare, aut eius professionem edere. adeò vt Decanus propemodum abiiceret omnem spem profectus, nec auderet tantum Patri nostro permittere, veritus ne subditi denuò seditionem mouerent. Fuit inter ceteros homo grandæuus, qui mutationem in primis auersabatur, eligendo capitis discrimen potiùs: cumque vrgeretur, Ecquid igitur descendisset eousque vt peccata confiteretur, si paratus non sit facere præterea quæ requiruntur? respondit se hoc quidem fecisse in gratiam domini sui Decani; illud autem facere non posse, vt se omnino ad fidei perseuerantiam deuinciret. triduo tamen pòst in sententiam Patris abiuit, longa priùs disputatione conuictus. Mouit eos permultum, & in admirationem rapuit nostri Patris charitas, cùm viderent locis procul dissitis, montosis & asperis omne genus languidos & vlceroſos adire, solatio mulcere, ad tolerantiam erigere, omnem horrorem & fœtorem negligere (quod nemo aliorum cominùs tentaret sine contagio.) In cœmeteriis cruces infigi sepulcris, & frontibus eaſdem imprimi perfecit: quorum vtrumque antehac ludibrio, posterius etiam piaculo & execrationi fuit. Imaginum vsus & rosariorum introductus, & cetera omnia redintegrata, quæ Catholicis in more sunt. Iis qui resipuerant, sacra munuscula diribita, præsertim agni Dei. Restituta ab annis quinquagintaquinque supplicatio corporis Christi. Cùm alicubi noster sacris operaturus aquam

aquam lustralem spargere vellet; populus tamquam fulmine iciendus turbulenter procurrit è templo, obuersis manibus & pileis, ne tangerentur; sed verbis animatus & doctus paucis ad stationem reuersus est. Iter faciens noster in vico quodam celebri, Iudicis ita rogantis vxorem hæreticam, quæ videndi Iesuitæ desiderio flagrabat, semihoræ colloquio flexit, vt Luthero nuntium mitteret.

## *Residentia Constantiensis.*

MEDITATIONIBVS Societatis informati sexdecim, Religiosi ferè omnes. In Societatem adscriptus Parochus magnis doctrinæ naturæque præsidiis instructus. Libri praui ad pyram oblati. Confitentes auditi ducenti plus minùs supra vndecim millia. Totius vitæ criminum nexu soluti quadringenti vigintiquinque. Ad Ecclesiæ gremium reducti triginta sex. Bibliothecæ accessere libri æstimatione aureorum octoginta. Sacræ supellectili cruces duæ asseruandis reliquiis crystallina & argentea, candelabra totidem; vestitus sacerdotis triplex, aræ duplex, pretio aureorũ quadringentorum: rei domesticæ plaustra vini duo, & alia dona. Ad priores catechismos adiecimus duos alios. Excursum crebrò ad loca omnino quadragintaquatuor, aut amplius. Pagum à domino suo dissidentem, & exulceratis animis paschalem confessionem communionemque negligentem, noster à Vicario missus absoluit, pauitq. Cœnobium virginum, quod graui aliquot annos infamia laborarat, disciplinæ restitutum, à peccatis absolutum. Parochus ciuitatis cuiusdam inuitauerat nostrum, ciuibus ignaris & re comperta, adeò frementibus, vt de eius remissione Parocho

imperanda bis actum fuerit in senatu. Sed vna Patris concione ita voluntates mutatæ, vt plerique confiterentur, & quidem totius vitæ peccata ducenti, Patriq; magnos haberent honores. Tradita duobus Parochis regula, quam in catechesi seruarent. Perpurgata bibliotheca à libris noxiis.

## *Collegium Oenipontanum.*

CONFESSIONES generales auditæ supra centum. Sacrā synaxin apud nos sumpsere decies quater mille centum viginti. Hæretici conuersi quatuor. Dissidentium haud vulgares reconciliationes animorum factæ. Quo in genere quidam ex nostris pia fraude vsus, seorsim alterum adiens, quàm bene aduersa pars de ipso sentiret, loqueretur, immò & veniam oraret, ostendit, ad similia præstanda eundem cohortatus; sic pace & amore vtrumque religauit. Libri obscœni, hæretici, magici adempti: vnius bibliotheca perpurgata. Constituerat annis abhinc duobus Rudolphus Imperator, vt Tyrolensis Camera florenos trecentos nobis numeraret, ad infirmariam extruendam: id quod hoc anno factum. Cùm igitur ædificium in horto Collegij, versus PP. Franciscanorum hortum exsurgeret, rati illi vicinum nimis sibi fore, litem intendūt. In concilio diu multumque causa discutitur. iacent omnes operæ; res ad iudicium Cæsareum deuoluitur. tandem secundùm ius patrium & municipale, iussu Imperatoris componitur & Collegio adiudicatur. quin & per litteras Imperator iniungit Cameræ, vt pro ædificio prosequendo vlteriùs subsidium conferat; quod ipsa liberaliter præstitit. Nam mille florenos præter alia ad tecti structuram necessaria contulit. Dono nobis datæ tabulæ insigniores duæ, Sanctorum

reliquiis

reliquiis nobilitatæ; Opera Abulensis, plaustrum vini, & aurei ducenti; legati centum. taceo minora munera. Sodales B. Virginis indefessum tenent, præter alia, in erudiendis rudibus studium, in præripiendis libris hæresi, magia aliisve superstitionibus infectis; in obiurgandis obstinatis, & ad pœnitentiam adducendis.

## *Domus Probationis Landspergensis.*

OBIIT Pater Iacobus Lucius annos in Societate versatus trigintaquatuor, octodecim hîc concionatus. Funeri eius clerus & populus tanquam communem parentem lugens, in magno frigore constanter interfuit. Desiderium illius frequenti commemoratione testantur, cùm ob singularem animi candorem & humilitatem, tum ob charitatem eximiam, & in afflictos commiserationem, quos solabatur & iuuabat vt poterat. Ad tirocinium ponendum recepti quatuordecim. Adolescens cùm videret in Societatẽ sibi nonnisi expugnata matre, à qua tenerrimè vt vnicus diligebatur, aditum nullum fore; hac arte vsus est. Adueterat matrem curiosiùs obseruare quid ageret, quídve lectitaret. quare domo proditurus aliquando diui Wolfgangi Episcopi Ratisponensis historiam de industria (quod casu factum videri volebat) ita explicatam reliquit, vt mater curiosè sollicita in eum ipsum locum incideret, vbi Sanctus ille iuuenis etiamnum, veniam Religionis capessendæ à matre optimis rationibus petiit & impetrauit. Et adfuit Deus consilio: siquidem mater non modò cessit, sed etiam effecit, vt maritus per litteras apud Patrem Rectorem contenderet, ne filij desiderium diutiùs moraretur. Vir nobilis cùm se frustra obnitente filium Societati nomen

dediſſe accepit ;certum hominem mittit, illum qui hinc in patriam reducat,ſimulq; ad eumdat litteras, quibus omni artificio vt reſpiciat retro perſuadere conatur. Alia præterea epiſtola ad quendam affinem ſuum in magna dignitate conſtitutum,quam Patri Rectori noſtro exhiberi volebat: quò ad illum dimittendum acriùs impellat, cùm alia extrema minatur, tum illud maximè,ni extemplò gnatũ ſibi remittamus, ſeipſum quamprimùm ad nos excurſurum, & chartis famoſis tam apud Catholicos quàm apud hæreticos nomen noſtrum traducturum, palamque oſtenſurum,maiori nos inhumanitate,quàm vel ipſos in Vngaria Tartaros, à parentibus liberos abſtrahere. Sed neq; Superiores noſtros hæ minæ,neque filium permouent. Hominem tamen litteris,numen oratione placare, ac mentem ſaniorem inſano precari non deſtiterunt feliciter. Nam vna & altera corporis imbecillitate animus fractus & couſq;lenitus eſt, vt domi ſe continuerit,donec is quẽ dixi, eius affinis ex itinere,quod Romam habebat, ad eum diuertens, hominem ſimul cum matre noſtro & nobis ita conciliauit, vt quem antea omnibus modis ex Religione abreptũ cupiebant, nunc ad conſtantiam adhortarentur: & vltro pollicerentur, ſi quando ſacris primis eum operari contingeret, nulla ſe quamuis longi itineris moleſtia difficultateque impeditum iri,quominùs coràm iis interſint. Tribus ex opidis, vbi mendicare prohibitum eſt, miſſi peregrinatum nouitij,qui id tentarunt per mendicorum Præfectum educti. Cùm eos alibi duo amici, non ſine magna æmulatione ad ſe quiſque rapere conaretur:neutrum offenſuri ad prochodochium diuerterunt, vbi nec obſonium,nec lucernam ad Horas Canonicas perſoluendas habebant:ſed ea amicus

ſubmiſit.

submisit. ita sub horreo demùm fessa ex itinere membra posuere. Expiati ab hæresi quindecim. Aliò excursum frequẽter. Religiosos quibuscum vixere nostri, quothebdomadis ad virtutem adhortati, confitentibus aures dederunt: vni etiam exercitia. Vir annorum septuagintaseptem ad carceres damnatus perpetuos, ne inimicis ignosceret, Pœnitentiæ & Eucharistiæ Sacramentis sibi interdixerat, ad plurimorum admonitiones & diuinos terrores ita callum obduxerat, vt infernorum tormenta minitantes ioco minimè salutari eluderet: tãtum illic damnatorum numerum esse, vt sibi locus futurus non sit. Noster decem & plures dies, eum cùm quotidie adiisset, oleum & operam perdidisse videbatur: neque tamen spem abiecit, sed precibus acriùs institit, corporis afflictiones addidit. Senex posuit pertinaciã, & quam inimicis dedit, à Deo per sacra mysteria veniam, à magistratu mitigatæ pœnæ accepit. Aucta res sacra florenis quingentis. Domesticis vsibus legati totidem.

## *Collegium Bruntrutanum.*

PROCAX muliercula, quæ abhinc triennium multam mendaci ore lasciuiæ, sollicitatique in se probri suspicionem, aduersus vnum è nostris Patribus disseminarat; nuper mense Iulio palinodiam cecinit, luceque palàm in publico, viginti-quatuor iudicum consessu, in oculis ciuium, qui frequentissimi voce præconis fuerant euocati, iniuriam nostro illatam professa est, idque à se eò factum, quòd eam Pater ille in confessione legitimas ob caussas absoluere à peccatis recusasset. Et iam miseræ exulandum erat, ni nostri Patres supplicibus amicorum lacrymis flexi, vnà

cum iudicibus, qui sententiam de exilio pronuntiarant, Episcopum conueniissent, & vt relegatio in nummariam mulctam permutaretur, impetrassent. Alia itidem perdita femina, quæ nomine oblati matronæ per vim in syluarum recessu flagitij aduersum nostros fœdam in vulgus dissiparat infamiam, medio foro maledicendi correxit libidinem, nullumque se in nostris vnquam, aut sceleris, aut turpitudinis vestigium deprehendisse asseuerauit. Annorum vel omnium vel plurium conscientiam nostris sacerdotibus detexerunt duo supra quinquagenos. Quinque ad Ecclesiam reuersi. Malè parta restituta. Libri hæreticorum veneno corrupti aliquibus magno numero subtracti. E Partheniis quatuor ad Religionē, tres ad sacerdotium euecti. Alius impudicam mulieris importunitatē, qua ad flagitiū incitabatur, reiecit. Quidam mense integro ægrotis ministrauit. Consilio adiutus Præses Collegij Canonicorum, vt Episcopi auctoritate clericorum disciplinam ad vetera instituta reuocaret, ac diuinum cultum, labantesque Ecclesiæ suæ res, ad pristinum reduceret decorem.

## *Missio Pontarliacensis in opidum Comitatus Burgundiæ.*

PONTARLIACENSIBVS nostrorum opera adeò fructuosa gratáque extitit, vt vir opulentus sponte quingentas argenti libras suppresso nomine legauerit, ex quarum annuo censu certa pecuniæ summa colligeretur, qua duo è nostris eòdem euocarentur circa Pentecostes festum, & munera Societatis obirent. Transactum susceptumque hoc negotium sine vlla Societatis obligatione.

Curam

Curam nos vocandi & dictæ pecuniæ rationes in se suscepit S. Iouuis congregatio, quæ è præcipuis ciuibus constat. Pro re nata in iram odiaque inuectus aliquando Ecclesiastes, sic vnius, qui superioribus diebus vindictæ appetens, per fenestræ clathros vibrarat ensem, quò inimici perfoderet filium, emolliuit pectus; vt quem peremptũ optabat, per Patrem nostrum vocari voluerit, cum eoque in gratiam redierit. Per Quadragesimam celebratæ conciones & catecheses quotidianæ, tanto concursu, vt qui commodas vellent habere sedes, eas præoccuparent duabus, tribus, aliquando quinque horis. Restitutiones magni pretij factæ. Persuasum Parocho, vt pueros suorũ catechismo erudiret. Duo ab hæresi absoluti. Pontarliacenses datis ad Patrem Rectorem litteris reditum infimis efflagitarunt precibus, affirmaruntque eosdem duobus annis maius emolumentum animarum saluti attulisse, quam omnes cæteros transacto sæculo.

## PROVINCIA RHENANA.

VIVVNT in prouincia Rhenana per quatuordecim Collegia duasque Residentias, vna Missione adiuncta, distributi, trecenti tres & sexaginta Socij. Collegio Coloniẽsi tribuuntur septem supra triginta, sacerdotes vigintiduo, extra hos magistri scholarum quatuor, & Coadiutores vndecim. Treuirense Collegium sex & viginti tenuit, sacerdotes sexdecim, tres præceptores, rei domesticæ Adiutores septem. Domus Probationis tres & quinquaginta, quorum præter quinque sacerdotes & quatuor

quatuor Coadiutores, quadragintaquatuor sunt tirones. Moguntinum duos supra quinquaginta, sacerdotes viginti duos, magistros quinque, discipulos Theologiæ duodecim, Philosophiæ duos, Coadiutores vndecim. Herbipoli duodequadraginta degunt, sacerdotes octodecim, præceptores quinque, Philosophiæ studiosi sex, nouem Coadiutores. Spiræ vnus & viginti, sacerdotes vndecim, magistri tres, Scholastici duo, Coadiutores quinque. Fuldæ viginti tres, vndecim sacerdotes, præceptores quinque, Coadiutores septem. Heylghenstadij tredecim, sacerdotes septem, professores duo, Coadiutores quatuor. Molshemij quatuor & viginti, vndecim sacerdotes, magistri tres, Positiuæ Theologiæ auditores duo, Coadiutores octo. Confluentiæ decem & septem, sacerdotes duodecim, præceptor vnus, Coadiutores quatuor. Paderbornę quatuordecim, sacerdotes octo, magister Humanitatis vnus, Coadiutores quinque. Monasterij sexdecim, sacerdotes nouem, duo magistri, Coadiutores quinq. Hildeshemij nouẽ, sacerdotes quinque, professor vnus, Coadiutores tres. Embricæ vndecim, sacerdotes septem, scholarum magistri duo, rerum domesticarum Adiutores totidem. Residentia Erfurdiana duos sacerdotes habuit: Altenensis item duos sacerdotes cum vno Coadiutore. Aquisgranum missi sacerdotes tres cum Fratre vno. Admissi in Societatem viginti; è vita discesserunt tres.

## *Collegium Colonienſe.*

SVB initium huius anni ereptus est nobis P. Henricus Conesius Suchtulensis, è diœcesi Colonensi, annos trigintaquinque natus, quorum in Societate quindecim laudabiliter & religiosè transege-

transegerat: tantumque consecutus erat, vt nec à familiarissimis vllus in eius actione motus incompositus notari posset. Videbatur propter insignem cum prudẽtia coniunctam agendi dexteritatem valdè ad gubernandum idoneus. Quare etiam tum cùm per phthisim infirmissima esset valetudine; ita conuictorum nostrorum, quorum regens erat, curæ salutique incubuit; vt non nostri solum, ac studiosa iuuentus, sed omnium ordinum ciues decessu ipsius indoluerint. Huius loco sex alij in Societatem accepti sunt. Ministeriorum nostrorum fructus, vt aliàs præclarè constitit, è multis dumtaxat pauca attingemus. Explicuerat pro concione sacerdos noster, qua pietate publicã ac solennem supplicationem prosequi conueniret. ita permotus est nobilis militiæ Præfectus, vt & ipse & conquisiti ab eo quatuor socij ciliciis & saccis cooperti, pedibus nudis, ardentem singuli facem gestantes, circum totam hanc vrbem, omnibus admirantibus, SS. Eucharistiam, nouo prorsus exemplo, antecederent. Ab hæresum corruptelis multi reducti sunt; vnus & triginta numerantur. Inter hos par coniugum, qui pluribus annis non à Deo solùm & Ecclesia, sed etiam inter sese grauissimè dissenserant. qui vna nostrorum operâ triplici incommodo liberati, post perceptum Confirmationis Sacramentum, magna animi constantia lætitiaque Pœnitentiæ & corporis Dominici mysteria frequentare pergunt. Alia in his virgo fuit annos nata vicenos quinos, sola pudicitiæ cura probabilis, ceterum psaltria & vanitati supra modum addicta. Hæc Anabaptistarum orgiis se immiscuerat: sed concione peracta cùm in illorum impiorum flagitia consentire nollet, virgis crudeliter cæsa, illibato tamen pudore euasit. Ergo se in Caluinistarum

rum

rum conuenticula nihilo sanctiora immisit: sed eorum quoque perfidam nequitiam, Deo dante, intelligens, saniora consilia respicere cœpit, & ad sacerdotem nostrum, cui omnes animæ sinus liberè sincereque explicaret, adire. Enimuerò hic se versipellis dæmon omni arte opponere, nunc speciem adolescentis cithara canentis assumere, nunc viri maturioris, nunc terrificos vultus monstrososque induere, vt eam à confitendi proposito abduceret. Sed triumphauit inuicta diuinæ gratiæ vis, Patris nostri operâ Deo & Ecclesiæ restitutam, vt se castitatis voto obstringeret, impulit. Extractus fuit è clancularia concione factionis hæreticæ magistellus Consulum vigilantia. De huius pestilentissimis libris cùm senatus haberetur, quid fieri placeret; censuit melior pars eos non aliis, quàm nostro Collegio deberi, cuius potissimùm præsidio & labore huiusmodi pestes ab hac republica propulsantur. Quam laudem non semel Societati deberi senatus vniuersi princeps ingenuè prædicauit. Delecti ergo ex optimatum numero, qui huic senatusconsulto vt fieret satis, curarent. & hi non modò codices ad nos detulerunt, sed etiam lauto nos prandio, quod ad Collegium liberaliter miserant, recrearunt. Edocti viri nobiles feminæque, vt inter ipsa cum hæreticis conuiuia à carnibus abstinentiam, & indicta ieiunia sanctè casteque obseruent. Catecheses hoc anno supra alios emicuere & frequentia maiore & celebritate. Interfuere maximo numero & fructu pueri, quos ab ignotis parentibus expositos è publico senatus alit: qui per catechesim varias precandi formulas edocti, non semel fixis genibus orare deprehensi sunt eo tempore, quod lusibus aliàs tribuebant. Iidem & Pœnitentię Sacramentum frequentare singulis mẽsibus cœperunt.

Itum

Itum quoque ad carceres bono prouentu. Adolescens domi suæ nobilis, sui familiæque suæ immemor, flagitium admiserat, ob quod capitis reus agebatur. is ipsa morte infamiam grauiorem ducebat; nec de morte piè christianeque obeunda prius vt cogitaret adduci potuit, quam à nostro sacerdote commonitus & expiatus, humana omnia cum ingenti omnium admiratione & approbatione, saluti suæ posthabuit. Ea res præbuit occasionem senatui, quàm præclarè de zelo nostrorum & industria sentiret, identidem contestandi. Facinorosi quatuor in opido vicino facinora sua capite luere debebant, hæretica labe infecti omnes: qui pariter nostro labore Catholicæ Ecclesiæ manus dedêre. Horum vnus ceruicem carnifici præbens, Pater, inquit, inuocandámne mihi censes Virginem matrem? Omnino, ait noster. Age igitur, sancta Mater, propitium mihi obsecro præbe filiũ. Qua in deprecatione caput in terram deiectum. Alter etiam tanta cum pietate supremum ictum excepit, vt caput humi cadens in læuam aurem se vertere, fixis oculis cælum intueri, ac labra ad nomen IESV conformare visum sit. Aliis quoque compluribus nostrorum opera perutilis fuit. Immanem iniuriam ciuis quidam honestus acceperat; quam tamen Patris nostri precibus lubens volens condonauit. Ad patientiam instructæ, & ad tolerandam coniugum sæuitiem feminæ, quæ fugam & violentam mortem meditabantur. Quædam ob diras mariti imprecationes propè ad insaniam acta remedium à confessore accepit. nec abiit inultus dirus execrator; sed fœda elephantiasis illuuie deformatus, docuit suo malo reliquos mortales, castum seruare os, bonaque verba dicere. Cerea quoque agni Dei imagine desperabundi ad saniorem mentem, & parturientes

tes

tes ad feliciorem partum se adductos lætantur. Scholæ & lecta iuuentute & copiosa egregiè florent. In hac eximia Sodalitas Annuntiatæ Virginis, è qua ad varia Religiosorum cœnobia multi transiere. Postridie Dominicæ in Quinquagesima supplicantium ritu itum ad septem præcipuas vrbis ecclesias. Feria insuper sexta, toto Cineralium ieiuniorum tempore lugubri cantu Litanias nominis IESV & psamum Miserere concinuerunt. Eam rem cùm ad pietatem promouendam in ciuibus valere plurimùm intelligeremus, tacitè id postulante Sereniſſimo Coadiutore, à Dominica passionis quotidie vsurpauimus. Hebdomada itē sacratiore Officia nocturna in oratorio Sodalitatis recitata sunt, intercinēte oportunis locis choro. Sub exitū interuenere quidam saccis tecti, pedibus nudis, qui se ad exemplum pœnitentium diuerberarunt insolito his locis spectaculo. Quo ita delectatus fuit Illustrissimus Nuntius Apostolicus, vt sibi eo vitæ sensum prorogari fateretur: qui omnibus solemnioribus congregationibus interesse voluit. Ad hoc autem pietatis exercitium suo exemplo multorum prouocarunt duo è familia Sereniſſimi Principis Coadiutoris, qui aculeatis flagellis ante summam aram in templo nostro, cùm psalmus Miserere decantaretur, se dilacerarunt.

Eiusdem Sereniſſimi Principis rogatu, missus est sacerdos cum socio Nouesium: cuius aduentu & præsentia excitatos Ecclesiasticorum animos, ciues professi sunt. Nam & frequentes habuere ad populum conciones, quæ raræ fuerant antea, & frequentiùs diuinis mysteriis operati sunt. Puerorum quoq; magister seriò suos admonuit, alios mores induerent, modestiam in templo seruarent, neque vt antea nisi expleto sacrificio diffu-

gerent.

gerent, adesse enim Iesuitas, qui suis discipulis hęc nullo modo permitterent. Laboratum consuetis nostræ Societatis ministeriis fructu non modico. Praua consuetudine inoleuerat, vt inter Missarum solemnia opificum famuli, efferaque iuuentus in cæmeterio, ipsoque adeò templi vestibulo mirè insolescerent: at operâ nostri sacerdotis, auctoritate senatus sublatum est. Emolliti quorum hactenus genua obriguerant, & supplices diuinæ mysteriorum actioni interfint effectum, ne, vt consuetudo praua obtinuerat, ante finem sacrorum templo excedant Femina nocturnis spectris mirè exagitata, a cacodæmone obsessa putabatur; adeò vt ne a tribus quidem viris contineri posset: sed beneficio agni sacrati, ac Confessionis & Eucharistiæ Sacramentis sanitati integræ restituta est. Egregia quoque opera constitit in virgines nobiles S. Quirini Canonicas, quarum nonnullæ in rebus fidei instructæ, & ad frequentiorem Christi corporis perceptionem pietatemque excitatæ sunt. Antistita æquè nobilis Merensis cœnobij, cum suis virginibus Nouesium se contulit, vt generali confessione labes animi sui emaculatent. Frequentior etiam concionis vsus introductus. Ipso natali Christi die ad confessionem communionemque præiêre Consules & Senatores plerique exemplo nouo, quos bonus ciuium numerus consecutus est. Paschatis festo vniuersus Senatus è manu nostri sacerdotis SS Eucharistia refici voluit. Ac fuere qui non modò Christi beatæque Virginis sacris diebus, verùm etiam quolibet mense, adeoque sæpius diuino pabulo se reficerent, stupescentibus rei nouitatem & insolentiam plerisque. Quo autem nos amore prosequatur populus, sæpe ostendit. Nam licet perpetuis belli vastitatisque cladibus vehementer afflictus

sit, beneuolum tamen erga nos animum, tum misericordiæ operibus ac eleëmosynis, tum ab hæreticorum calumniis vindicatione declarauit. Hæreticus erat, qui cùm in aliis, tum etiam in hoc calumniabatur, quòd sibi olim Catholico confitenti absolutio denegata esset. eius improbitatem ciuis Catholicus egregiè repressit. Qui hæc inter cætera: An tu nescius, inquit, bone vir, olim te combibonibus eam caussam narrasse, quòd centũ aureos, quos malè pepereras, restituere nolles? I nunc & furtum tuum potiùs alleges, quàm calumniâ Patres appetas. In discessu denique nostrorum fuere non pauci, qui cùm antè in mœrore ob nostrorum aduentum fuissent, commutato in amorem odio, grauiter dolerent.

## *Collegium Treuirense.*

QVOD nostris hominibus primum & antiquissimum esse debet, id præcipuè curatum hoc anno est, vt omnes suæ proximorumque saluti & perfectioni promouendæ, sancta animorum consensione pro suo quisque munere constanter inuigilarent: cuius vigiliæ fructus, non modò ad confertissimam in nostris concionibus & catechismis multitudinem; sed maximè ad religiosa cœnobia emanauit: in quibus ad sui instituti sanctitatem agnoscendam & adamandam, adiuti complures atque confirmati fuerunt. In celebri virginum monasterio disciplinæ religiosæ, ac præsertim votiuæ paupertatis integritati, consultum est optimè: quando Reuerendissimus Archiepiscopus, propter summam inter visitandum difficultatem, priusquam ad Superioris electionem veniretur, voluit, vt à nostro cõfessiones omnium audirentur, & ad cœtum vniuersum exhortationes

nes oportunæ fierent. Inter varios qui se spiritualibus exercitiis excoluerunt, præcipui diuersarum fuere familiarum Religiosi. Eorum vnus monasterij regendi cura liberatus, à sui Ordinis Generali coram impetrarat, vt vitæ religiosius in posterum instituendæ apud nos initium sibi facere liceret. quod cùm vltra spem ad votum ei cessisset, fratribus suis ad idem experiendum auctor & hortator esse voluit. Ereptus error qui aliquos de referenda gratia solicitos, ab huiusmodi nostrorum officio requirendo impediebat. Nos enim nihil remunerationis accepturos integris Cœnobitarum & Canonicorum Collegiis planè perscripsimus. Carthusianus Ordinis desertor, & plures annos apud sectarios verbi Minister, meditationibus iisdem apud nos exercitus, rescissa, quam interim veluti cum vxore contraxerat, sacrilega copula, ipse Ordini, ipsi Ordo restitutus est. Eadem hac medicina sanatus est adolescens, cuius ex perturbatione mala maxima, atque adeò parricidia timebantur. plurium verò aliter vel odia restincta, vel ne summi viri dissiderent odiis, sinistræ aliorum de aliis opiniones euulsæ. Coniuges qui per dissidium, & absentiam diuturnam, vtrique mala fide ad alias nuptias transierant, abdicatis adulteris, in mutuam gratiam & societatem restituti sunt. Obstinauerat Prælatum quendam vitæ præsentis amor, vt in graui morbo nullam de extremis mentionem admitteret. is à nostro tandem vt salutaribus Sacramentis vti vellet, emollitus, & præstitit officium, & liberalem Collegio eleëmosynam moriens reliquit. E ministris huius diœcesis quidam valdè honoratus mox de infideli bonorum administratione reus factus, & publico suspendio damnatus, à nostris ad curam animæ traductus est, adeò vt ignominiosissimam

mortem ſuorum delictorum pœnam, animo libentiore ſubierit, quàm vitam, ſi vltro condonaretur, acceptauiſſet. Pœnitentium, vt aſſolet, maximus numerus fuit, qui & in opidis vicinis, non domi ſolùm atque in templo, ſed per compita & agros confeſſarium ſecuti ſollicitarũt. multis poſt expurgatam confeſſione mentem, corporis ſanitas, quam penè deſperauerant, non ſine magna admiratione & gaudio rediit. Ab inſania hæreticorum aliqui reuocati; alij vacillantes in fide confirmati; libri peſtilentes dominis libentibus erepti. Quidam quòd ſeptennium Catholicus durarit inter blaſphemos hæreticos, B. Virginis præſidio fert acceptum, cui quotidie, quam in noſtris ſcholis magiſter orationem olim commendarat, ſedulò recitauerit. E Sodalitio Virginis eiuſdem duo Societatem noſtram complexi ſunt: tres in Carthuſiam, tres item in alia Religioſorum monaſteria ſe incluſerunt. Feruet in omnibus ſe edomandi, & proximis benefaciendi ſtudium. Vnde cilicia verberationeſque crebrò vſurpatæ, pauperum ægrotorumque ſolatia, honoratiſſimi cuiuſque demiſſio maxima. Pridie Natalis Domini poſt breuem in oratorio de Saluatoris amore & humilitate ſermonem, Præfectus eximia pietate ſacerdos, vt illud exemplum imitaretur, poſitis humi genibus, opus aliquod pium, quod exequeretur, imperari ſibi petiit. Quem reliqui facto illo piè commoti, certatim ſequebantur, & egregia ſanè virtutum illarum documenta in noſocomiis præſertim, ediderunt. Sanctioris autem hebdomadæ præcipuas ferias hunc in modum celebrarunt. Quarta feria bini incedentes templa obiuerunt, atque in ſingulis ſtatos pſalmos & Litanias, præeunte Præfecto pro neceſſitatibus Eccleſiæ recitantes, valdè pietatem populi accenderunt. Feria

tia quinta cœnæ Dominicæ typus quidam exhibitus est, quando duodecim è Sodalitio delectis pauperibus epulum præbuerunt apparatissimo loco, & mensa argentea supellectili instructa. Ministrabant præcipui quique Philosophorum ac Theologorum, qui vsque ad lances abluendas, magna sẽ spiritus alacritate submittebant. Ipse verò magnificus Vniuersitatis Rector Doctor S. Theologiæ cœnatis illis pedes lauit, & eleëmosyna pecuniaria singulos perliberaliter donauit. Feria sexta obscurato peripetasmatis oratorio Sodalitatis, duodecim horis comprecationes ac meditationes, aliaque pietatis exercitamenta continuarunt. Porrò cæterorum etiam discipulorum cum modestia & pietate iuncta sedulitas, non minimùm labores magistrorũ solatur. Reuerendissimo nostro Principi à consecratione recenti Iosephus eductus è carcere, datus est. comprobarunt actionem spectantium lacrymæ, & eiusdem in nos Principis Electoris pluribus argumentis testata beneuolentia. Nec defuit nobis aliorum quoque liberalis humanitas, qui ferè quingentorum coronatorum eleëmosyna quàm oportunè Collegium subleuarint. Ciuium denique summorum atque infimorum propensus nimis amor patuit, cùm pridie S. Andreæ nocte concubia domum Collegij improuiso casu incendium occupauit. superantibus enim flammis, cùm ædes contiguæ, cum tota Collegij annona pro desperatis haberentur, tantopere tamen illi allaborarunt, vt quæ pars prima inarserat, etsi tota, sola tamen in medio absumpta in seipsam conciderit. Mirum in tanta ciuitatis totius concursatione, nullius aut petulantius aut importunius auditum esse verbum: quin potiùs de præsenti, vt apparebat, egestate nostra dolor eos concussérat, & de in-

ſperato exitu nobis deinde amiciſſimè gratulabantur.

## *Domus Probationis Treuirenſis.*

TIRONVM hoc tempore numerus longè maior, quàm antehac vnquam, quorum viginti hoc anno acceſſerunt. In his, reliquos vt præteream, vnus memorabili pertinacia parentem diu multumque ſibi reluctantem fregit ac ſuperauit. Ille namque filij odoratus de Ordine noſtro ineundo conſilium, vſque adeò impedire ipſum, & auertere à propoſito molitus eſt, vt certos viros magiſtratu & auctoritate inſignes ad prouinciæ Præpoſitum allegarit, qui eius nomine vrgerent, ne filio in Societatem aditus per nos pateret. Morem geſſit R. P. Prouincialis hominis non tam pio quàm perturbato animo. Verùm hic adoleſcens non leui perculſus triſtitia, animum ſumpſit tamen, ratus iam ſibi vel maximè debellandum eſſe aduerſarium. Neque antè ab oppugnando parente deſtitit, quàm precibus, lacrymis, æquabiliq́ue conſtantia expugnarit. Siquidem is filij captus fortitudine & perſeuerantia, eum libens volenſq́ue Societati tandem obtulit. Bis hoc anno quaqua verſum per omnem hanc propè diœceſin eſt more Apoſtolico ex obedientia diſcurſum. Catechiſmi paſſim in templis opidorum vicorumq́ue, & viis publicis traditi; conciones habitæ; aures præbitæ confeſſionibus magna omnium voluntate pariq́ue fructu. Mirum apud quoſdam alioqui Catholicos ita pietatem refrixiſſe, vt ſacra communio etiam in natali Domini vſum in vulgus amplius non habuerit. Eam rem Parochi quidam verterunt in excuſationem cur noſtros vel excluderent, vel ægrè admitterent. Explicatum itaque

itaque quantum momentum habeat ad auitam reuocandam integritatem crebra peccatorum exomologesis, corporisque Dominici perceptio. Et sanè vno in loco etsi id persuaderi Parocho non potuerit, nimirum isthuc homines reduci posse; is tamen cùm pro concione argumentum hoc tractari audiret, notaretque ex motu populi inclinatam voluntatem; non se tenuit, quin coram omnibus ad concionantem accurreret, duosque certos dies proclamari iuberet, quibus confessionis Sacramentum frequentaretur. Factum igitur pluribus in locis, vt præter consuetudinem eo tempore nostrorum hortatu, insigni numero sacram synaxin vulgus obiret. Abstinuerat quidem sedecim annis ab omni Sacramentorum vsu: is ad mentem saniorem adductus est, tantamque cepit animo voluptatem, vt prædium quadringentis æstimatum daleris, Societatis nostræ vsibus in grati animi significationem perpetuò vellet dicare. Donationem consultò nostri recusarunt, auctoresq; homini fuerunt, vt certam pecuniam instaurando collapso eius loci hospitali Ecclesiæque sartis tectis conseruādis impenderit. Alius non contentus proprium animum peccatorum sordibus eluisse, adducere alios gestiebat: & cùm primo aditu à peregrinis istac transeuntibus id non impetraret, nixus in terram genibus tamdiu defatigauit homines rogitādo, dum illos ad confitēdum sacerdoti nostro induceret. Catechismorum in his excursionibus fructus is fuit. Complurib̄ in locis mira ignoratio efformandi crucis signum, præcipuorumque Christianæ fidei mysteriorum, per hoc charitatis officium, magna ex parte discussa est. Quodam in loco in quem plurimi vtriusque sexus conuenerant, commixti paruulis adulti, cùm sub catechismi initium ex pre-

tate genua submisissent, surgere priusquam finis esset, cùm hora amplius duraret, sæpius commoniti noluerunt. tantusque fuit discendi amor, vt cùm catechista formando crucem præiret, eum æmularentur omnes, neque puderet canos addiscere ætate extrema, quod neglexissent prima. Vbi enituit cuiusdam nobilis virginis ardor maturæ annis, dum crucis signum vna cum aliis effingeret, atque identidem perquireret ab assecla num rectè ad nostram doctrinam crucem efformaret. Iucundum piumque præ aliis præbebat spectaculum cubitalis puerulus, qui crucis signum supra ætatem in se dextrè depingere non erat contentus; sed vt alios seduplo & annis & corpore maiores, at tardiores, doceret, toto corpore animoque connitebatur. quò non pertingebat manus breuior, eò vox acutior intentiorque ignauos trahebat. Cuius nisum mirantes adultiores, felicitatem paruulorum magnis vocibus deprædicabāt, suam inscitiam cum gemitu detestātes. Vtinam, aiebāt, talium Doctorum copiam frequentiorem Deus in posterum nobis submittat! O perdita, inquiebat sexagenarius dolens, pueritiæ meæ, imò totius ætatis tempora, decalogum qui necdum perdidicerim, nec qui se ad docendum obtulerit, inuenerim. Per pagum quemdam alium cùm teneretur iter, simulque reperirentur in via colludentes pueri, cœptus in illis catechismus est. res noua; magnà subitò confluxit multitudo vtriusque & ætatis & sexus. primùm risu, postea non mediocri affecta est admiratione. Nam ad explicationem mysteriorum signi crucis, decem præceptorum, mira attentio. Circa quintum præceptum cùm ebrietatis prauitas attingeretur, non sustinuit quidam, quin erumperet in clamorem: Itáne verò, peccatum sit ebrietas? an non omnes vinum

cum

cum voluptate hauriunt, & quorsum tam nobile donum à Deo tributum? Arrectis auribus multitudo responsionem catechistæ exspectat. Tum ille, Vinum bibere peccatum nullum est, quippe isthuc à Deo concessum hominibus. at vino abuti, eoque inebriari, flagitium, quod cælum hominibus occludat. Claram esse doctrinam Apostoli ebriosos regnum Dei non possessuros. Obmutuit interpellator, didicitque minus se tribulibus suis dictum comprobasse. Itum præterea in pagorum opidorumque scholas, tradita doctrina Christiana pueris, eiusque docendæ ratio præscripta didascalis. Conciones etiam fructu passim non caruerunt. Præstitutis ab Ecclesia diebus in quadam parochia sacram Missam non audiebant integram; sed habita sub medium sacrum concione, effusa turba sese abripiebant. cùm explicasset ex suggesto noster integri sacri audiendi vtilitatem & necessitatem, ante benedictionem sacerdotis tum ex templo vix abiit quisquam. Alibi explicata SS. Eucharistiæ veritas, rectèque eam sub altera tantùm specie sumi, quosdam in integrã cum Ecclesia gratiam reposuit, quosdam, vt non obscurè constitit, confirmauit. Tum explicata ritè confitendi ratione, etsi iam antè confessi essent, non tamen animo suo putabant factum satis, nì iuxta præscriptum modum denuò se expiandos offerrent nostris. Haud minùs vtilis fuit familiaris nostrorum, consuetudo. Pellici consuêrat quidam. eam ad sacerdotis nostri sermonem domo exturbauit. Alius non minùs ad prauitatem abiectus, lenocinium abs se repulit; simulque Biblia hæreticorum fraude corrupta, illicò minutim dilacerauit. Peruersus fuit nonnullis in locis, cæteroqui Catholicis, mos, vt nempe famuli & ancillæ Catholicis parẽtibus oriundi in

vicinorum hæreticorum essent famulatu: persuasum pluribus vt Catholicis dominis deinceps operam suam locent, neque conciones vnquam hæreticas audiant. Vt verò ea voluntas sit firmior, actum cum Magistratu, obtentumque huic vt morbo præsens & idoneum antidotum adhibeatur. Odia complurium sublata sunt. Perquam acerbis duo animarum curatores inter se distrahebantur animis, eoque processerant, vt pro concione palàm mutuis sese conuitiis proscinderent: ij ad æquitatem reducti sunt. Abductus nonnemo a superstitiosa prece, quam super morbido pecore recitare consueuerat, vsurpare vt amplius nollet. Denique nullo ex loco abiuerunt nostri, quin magnum sui desiderium reliquerint; gratiamque illis conciliauit, quòd ostiatim victum emendicarint, publico sumptu apparata cõuiuia renuentes. Atque vt horum pleraque per veteranos acta; tironum tamen nec animus, nec opera desiderata est: quorum cumprimis in eo eluxit studium, vt præclaram de se ipsis victoriam reportarent. Tantùm verò abest, vt profectionum laboribus variisque incommodis, quibus probãtur interdum, frangantur; vt iis etiam veluti stimulis excitati alacriùs in via Domini progrediantur, imò sic obuiis ea vlnis excipiunt, vt maiora non rarò expetant & exoptent. Tantis scilicet eorum animi gaudiis perfunduntur, vt neque pro incommodis hæc ipsa numerent; sed tanquam Deo digna munuscula exosculentur. ea autem vicissitudine, quæ diuina bonitas est, aduersa prosperis, læta tristibus commiscentur, vt sese filiorum instar iam à Deo demulceri, & ad ardua quæque stimulari apertè senserint. Quos enim peregrinos aliquando vix tecto primùm atque alloquio quidam dignabantur, eos deinde liberaliter acceptos ægerrimè dimitte-

dimittebant. Cachinnis etiam probè vexatos, cùm iis nil moueri aduerterent, tum demùm famelicos primùm quidem officiis, deinde abeuntes eleëmosynis & honoribus sunt prosecuti. Quid multa? bono Societatis vbique relicto odore, copiosum ex dictis itineribus fructum nostri retulerunt. Quæ res fecit fauoribus vt alij atque auxilio, alij fortunis subinde suis domesticam sublenarint egestatem. Prolixa inprimis Canonici Argentinensis enituit in nos munificentia, qui mille propè aureos ad annuos census comparandos benignè contulit. Doceri demùm hoc anno cœptus est catechismus in Cathedralis Ecclesiæ schola, & exceptus tanta puerorum auiditate, vt iam nunc præuidere sint visi, quid venientibus annis hæc res sit emolumenti allatura ad salutem. audias eos iam vsurpare quædam, quæ à catechista perceperunt, eaque in ebriosos, cæterosque vitiosos ita feruenter & liberè declamitare; vt ruborem iis quasi quidam morum censores, & nequitiæ vindices incutiant.

## *Collegium Moguntinum.*

Ex hoc Collegio morbis tentati per hunc annum quidam; vnus post diuturnum cum iis conflictum succubuit P. Ioannes Mockingius Belga. annum ætatis sextum & trigesimum agebat; insigni in Deum religione, in Superiores obseruantia, in proximum zelo & charitate: quam extremis his annis nedum sacerdotio initiatus, quotiescunque litterariis studiis tempus aliquod cum bona Superiorum venia eripere potuit, catechesi pueris rusticisque tradenda, visendis incarceratis, solandis in xenodochio ægris, afflictisque iuuandis, cum magna ædificatione nostrorum

externo-

externorumque declarauit. Excessit omnibus Sacramentis munitus, relicto singulari humilitatis, obedientiæ & patientiæ exemplo. Qui sani superstitesque mansere, muneri quoque suo non defuerunt. conciones domi foriſque, & variæ catecheses continuatæ; quarũ beneficio perfectum vt non pauci desertis sectariorum synagogis ad Catholicæ Ecclesiæ gremium commigrarint, minimùm viceni. Sacerdos acidulæ haustu corpus curaturus, occasione diuturnioris moræ rusticanis hominibus rationem manè vesperique & super mensam precandi verbo exemploque tradidit. Rudimenta fidei distributis catechismis insculpsit, eos qui è memoria didicissent rosariis donauit, quæ publicè deinde gestare non dubitarunt. vnde secutus est hominum concursus rosaria efflagitantium oblatis etiam munusculis suorum fructuum: quæ cùm Pater nonnisi pretio coëmpta admitteret, & nihilominus rosaria liberaliter dispensaret, vehementer simplices homines mirari cœperunt. Iisdem auctor fuit vt peruersa iurandi & blasphemandi consuetudine abstinerent, ac etiam deinceps se mutuò commonefacerent, si cui impium aliquod verbum excidisset. Persuasit autem non alia criminis exaggeratione, quàm affirmando se libenter quamque blasphemiam denario ostiatim emendicato redempturum. Tandem discedentem multis lacrymis sunt prosecuti. Tres alij de nostris ad duo monasteria longiùs posita animi à studiorũ contentione relaxandi causſa amandati. in vtroque omnium penè monachorum cõfessiones, & nonnullas generales audierunt cum magna ipsorum consolatione. Rerum spiritualium domi nostræ commentationi solito plures hoc anno operam dedêre. Iam in carceribus crebrò visendis & nosodo-

sodochiis nostri industriam cum maximo fructu explicuerunt: tum quòd eorum locorum Præfectis auctores fuerunt, vt honestiùs miserabiles homines in iis, quæ ad victum cultumque corporis pertinent haberentur; tum quòd effecerunt vt plurimi praua doctrina horum temporum repudiata, in rectam reuocarentur viam. Certè ab hæresi absolutos numerarunt omnino quatuor supra viginti. Nullos verò antè de vitæ statione migrare passi sunt, quàm cõfessione sincera superioris vitę peccata expiassẽt, & sacro Christi corpore sumpto se communiissent: Atq; ex horum numero plurimi extitere, quinunquam, alij qui tribus, octo, viginti, triginta annis errata sua non detexerant. Plerique patientis & industrij sacerdotis operâ valdè indigebant. Miseris morte damnatis præclarè subuentum, quin & illis quorum fœda sanies membra depasta alterius sacerdotis aditum excluserat. Id quoque sedulò prouisum vt impuritatis occasiones, tum aliunde, tum à valetudinario submouerentur, & castitati multorum concordiæque consultum est Pauper quidam & nudus in xenodochio ad confessionem faciendam fassus est se sola vestium impetrandarum spe inductum: at vbi hora accipiendarum vestium aduenit, in lethalem febrim relapsus est. hoc casu consternatus palàm affirmat se reticuisse in confessione scelus multis non ignotum, spondet se postera luce exomologesin iteraturum. continuò à febri liberatur, atque integræ paulo pòst incolumitati restituitur. Puella iudicum sententiis neci addicta erat, & in profluentem sequenti die demergenda. vocatur sacerdos noster vt animum turbatæ comparet ad communionem. Nihil nec monitis nec precibus proficit. Interea carcerem ingrediuntur sacerdotes cum sacrosancta Eucha-

ristia;

riſtia; illa fuga ſe proripit in proximum cubiculum. ancipites hærent omnes quid facto ſit opus in tanta feminæ obſtinatione. Placet Patri iteratò illam aggredi, impetratque tandem, vt ſaltem pro ſe fundi preces coram ſanctiſſimo Sacramento velit. omnes (confluxerant enim vicini) in genua procidunt, & Patre vulgari lingua præeunte Litanias recitant: quarum vi fracta, cùm immota diu conſtitiſſet, tandem ſe in genua ſtillantibus per genas lacrymis demiſit. Finita demùm comprecatione, iterum eam noſter benignè percunctatus eſt, velítne ſe tandem Deo & hominibus conciliare? cumque aſſenſiſſet, ritè confeſſa eſt, & cæleſti viatico ad mortem animata. Scholæ hoc anno non minùs quam aliàs effloruerunt. numerus octingenteſimum attigit, in quibus litterario ſtudio non ceſſere virtutis veræque pietatis exercitationes; ſed ita vt cum primis eminuerint in Partheniis Angeliciſq; Sodalibus. Nam vt ab vno exemplo æſtimentur cætera, cùm initio Quadrageſimæ, intellexiſſent ipſorum preces & pia opera à R.P.N. Generali poſtulari; omnes ſe quàm libenter & liberaliter obtulere, ac præter ea quæ ſibi quiſque priuatim facienda delegit, omnes communiter quaque hebdomade quaternis diebus Litanias in oratorio ſuo recitarunt; aut muſico concẽtu decantato quinquagenario pſalmo, prælata cruce nunc duodeni, nunc viceni, corpora ſua duobus per hebdomadam diebus diuerberarunt. Huic communi omnium Sodalium ſtudio id amplius conuictores noſtri adiecerunt, quòd publica illa in ſe animaduerſione non contenti, quaque feria ſexta, & per ſacram hebdomadam quotidie in carnem ſuam deſæuierint. Quorum & illa propria laus eſt, quòd omnes nomen Sodalitati dederint, quòd octauo quoque die ad pedes

ſacerdo-

sacerdotis accidant, plurimi quoque sacræ mensæ accumbant, quòd profestis B. Virginis feriis ieiunio, ciliciis & disciplinis ad communionem se comparent. Sodalis quidam à parente cogebatur nauigare in Angliam, vt ibi mercaturæ faciendæ exerceretur: verum ille ne fidei & pietatis naufragium faceret, maluit omnium fortunarū, quas à patre satis copioso exspectabat, ancipitem aleam iacere. Itaque petito à Sodalitate testimonio longè gentium abiit, tantillum doctrinæ in paupertate collecturus, quantum satis sit aliquando ad rusticanos homines pietate Christiana imbuendos. Quatuor alij Sodales sæculo prorsus contempto vitæ religiosæ institutum sunt complexi. Et quia scholarum hic prouentus, addam & illud scholasticum; puellares nimirum vulgaris linguæ scholas à nostris Patribus subinde interuisas, effectumque vt statis diebus omnes puellæ, ordine ad templum nostrum confessionis instituendæ caussa emitterentur.

## *Collegium Herbipolense.*

AD conciones solito maiores concursus facti, magni existunt animorum motus, & affectus incitati testes, crebræ fluunt lacrymæ; occupant tempus & loca, quin è longinquis aduolant fide non sani, mirumque sine strepitu, motuque corporis agunt silentium. Hinc libri vetiti vel in profluentem Mænum abiecti, vel ad nos allati. Sacra penetra salutariter frequentata. Confitentes in templo nostro ad Pascha, quot nunquam aliàs, adfuere eo numero, vt premerent; ea constantia, vt sex ipsis horis exspectarent. Quare qui epulo tunc adfuere cælesti, numerati sunt bis mille & ferè quadringenti. Hæresis & errores erepti compluribus,

pluribus, nominatim quatuor & viginti, in quibus aliquot conuersiones haud vulgares. Mulier vidua quæ hic diu inter Catholicos versata, religionem animi sui prauo iudicio postponebat, scelus rata se susceptura, si Catholicam doctrinam admitteret: at vbi crudelis & impij filij cruentas experta manus sex vulneribus confixa iacuit, & benignè sacerdotem nostrum audiuit, & acta totius vitæ dolenter exposuit, parata sacrum accipere viaticum, si non prohiberet saucij corporis habitus. Destinatus erat opido cuidam Franconiæ magister erudiendæ iuuentutis, qui loca diuersa peruagatus hæresim colebat Lutheranam. Is huc ad nos Catholici specimen adferens, cùm omnia sibi facilia etiam in pristino manenti errore duceret; credidit demùm condonari aut remitti nihil posse, nisi grauiora crimina recognosceret, suique exinde accusator, pro contractis in vita noxis satisfaceret. Fracto igitur tumore dedit manus, fidemque professus pœnitentiæ ac sacræ communionis particeps effectus est. Alius ad nos adolescens Gallus Heidelberga venit. Is Ministro Geneuensi natus, & illa perfidia imbutus, vt petebat, Catholica fide institutus est: cuius cùm in lecessu capita reuolueret, narrabat vigilanti sibi obseruatam imaginem cuiuspiam de nostris, isthinc illicò facessere & excedere domo iubentis. nihilo tamen ille segnior palam omnia peregit, hæresim eiurauit, vitam præteritam expiauit, suæque voluntatis chirographum domi penes nos reliquit. Rara Dei prouidentia in facinorosi rei salute dispensanda enituit. Captiuus is agebat in hæretico pago, vbi ius patronatus penes nostræ religionis hostem, arbitrium vitæ necisque penes viros nobiles, in quibus vnus tantùm Catholicus. Inhiabant infelici animæ lupi rapaces, & iuris retinendi

studio

ſtudio patronus non videbatur commiſſurus, vt excluſo Lutherano Miniſtro reus à Catholico deduceretur. Audendum tamen aliquid ratus vir ille nobilis pro ſalute proximi, bona ſubditorum pace, noſtrum ſacerdotem euocauit: qui vbi affuit, reum offendit obſtinatum & inflexibilem, qui nihil rerum diuinarum aut noſſet ipſe, aut addiſcere vellet. vbi igitur multa, ſed incaſſum tentata, velut effuſis iam omnibus remediis, ſacerdos noſter ad reditum viæ ſe dabat. Cùm ecce tibi opitulante loci Prætore, quamlibet Lutherano, ac ſuadente vt ſacerdoti bene monenti aures accommodaret, reuocari noſtrum, & intendere dictis voluit, ſubitoque pectus illud ferreum gratiæ cæleſtis ope, ita illiquefactum eſt, vt animum exhiberet doctrinæ capacem, emolleſceret ad vitæ flagitioſæ deteſtationem, & aptam denique præberet ſedem corpori Dominico, quod clam ſacerdos noſter importarat, excipiendo. Hinc tanta moriendi fiducia, vt mitiore oblata pœna, atrociſſimam non recuſaret, grauiorem ſubire paratus, modò ſaluam inde referret animam. Spectaculum id erat ſanè eo loci inſolitum, nempe reum educi comite preſbytero Crucifixum exhibente, imò palam ibi in hoſtico noſtrum cohortari, accendere, nec ſacerdotem reo deeſſe Catholicum, nec reum deeſſe ſibi. Ne tamen Lutheranos ſpiritus conceſſiſſe de ſuo iure quippiam diceres, tribus adductis ſe nequioribus Miniſter in corona aſtitit, diſſerentem noſtrum vnà audiit, & abduci diſcipulos ſibi haud dubiè tacitus ingemuit. Catecheſis rudium per noſocomia & varios pagos magno emolumento diſperſa. Enituit in his Rabini Hebraicę linguæ callentiſſimi inſtitutio, qui publicè deinde ſalutaribus aquis luſtratus eſt; tum ſenis etiam ſexagenarij, qui Sacramentum

præter baptiſmum, nullum in omni vita frequentarat; ſed ne precationem Dominicam quidem vnquam didicerat. Is à domino ſuo, cuius domicilium non longè abeſt Herbipoli, huc ad nos miſſus, vt rectè confitendi & communicandi rationem eruditus Chriſtiani nomen & locum impleret. Vbi noſtris affuit, tanto cæleſtis magiſterij ſenſu perfuſus eſt, vt quæ catechiſta præcepiſſet, breui comprehenderet omnia, lacrymis profuſis caliginem priſtinam damnaret, deniq; exomologeſi & ſynaxi habilis, vtramque guſtu & lumine pietatis tanto obiret, vt domum reuerſus dominis fletum exprimeret. Dies iam eum perhibent noctesque ducere precando. Contigerat huic eidem ſeni ante paucos annos, vt inter tremenda myſteria, dum hoſtiam ſublimem tollit ſacerdos, aſpiceret eius in manibus puerum fulgentibus oculis ac fixis ſe intuentem. Quod viſum inde languor grauiſſimus excepit, ex quo tamen paulò poſt conualuit. Quibuſdam nec opinantibus mortē minimè dubiam prædixit. Aditi leproſi non rarò, ſæpiùs noſocomia; eo animarum prouentu, qualem iam in Moguntino Collegio commemorauimus. Exercitiis ſpiritualibus exculti ſex: in iis duo animum Societati adiecerūt, & vir nobilis in fide Catholica, quam recèns acceperat, confirmatus: cuius in religione conſtitit ea magnitudo animi, vt liberos à matre hæretica vi ac arte auulſos, filiolum ſcholis noſtris, filiam monaſterio defenderit, quò tuti ambo ab erroris contagio catholicè adoleſcant. idem de tertio item filio abſtrahendo conſilia agitat. Alius tranſuerſæ mentis errore actus, quò ſimul huius incommoda vitę abrumperet, ſimul vltimum Chriſto exſolueret amorem, coram Crucifixi effigie gladium iam nudum pectori aptarat, vt ſuperincumbens

cumbens ibi homicida sui spiritum poneret. damnauit is errorem suum, vbi spiritus maligni technas in Exercitiorum regulis clariùs deprehendit. Insignis delectu ac numero iuuētus scholas nostras ornauit hoc anno. Magna in iis nobilitas tam Franconica quàm externa. Pietas & industria iuxtà illis in pretio. Quatuor vnius Carthusiæ solitudine recepti, quorū in numero adolescens nobilis optimæ notæ; alij ad alia transiere monasteria. Duo perpoliti studiis Philosophiæ adlecti in corpus nostræ Societatis, quod flagrāti nonnulli cupidine etiam nunc expetunt. Dissimiles sint sibi Deiparæ Sodales, si pietate atque ardore concedant aliis. solemne itaque suum tenent, vigetque flagrorum vsus & cilicij. Hoc iam proprium, quòd hominum maiore, etiam aulicorum, concursu publica verberatio cohonestetur. Accessit & lotio pedum hebdomada sacratiore, qualis apud Treuirenses. Expositus ad exemplum fuit, & collaudatus scholarum extremus actus, cum ad finem prælectionū adulto iam autumno supplicationem obiere. præludium sumptum in æde nostra, frequens Litania & expiatio; hinc acrior ante aram præcipuam corporis castigatio. Postero die post exhortationem compositum agmen è gymnasio ad ædem nostram processit, vbi Episcopus Suffraganeus ritu Pontificali faciens, Eucharistiam denique distribuit. Consimilis Moguntinensium pietas, qui hoc anno primum eo modo studiis finem imposuerunt, omnesque studiosi simul ad templum crucis violatæ miraculo celebre, & mille passibus ab vrbe dissitum, supplicantes educti fuerunt. Inter alienæ beneficentiæ experimēta, donum Principis est malluuium argenteum lancis instar, cum duobus eiusdem metalli simpulis ad ritum sacrificiorum,

eleganti opere; & centum florenorum munus ab Abbate non locupletissimo. Maximilianus Archidux vt anno superiori cœpit, ita deinceps sacerdotem hinc Marienthemium, à quo sibi Sacramenta administrentur, euocare pergit. Curæ fuit, submonentibus Ordinis Teutonici præstantibus viris, agere cum Principe, de publico Catholicæ religionis exercitio, alia in loca Ordini subiecta reuocando, insigni, si votis euenta cederent, rei Christianæ emolumento. Paschalibus diebus opida quinque lustrata, pagique complures, in quibus magna vtilitate petentium, & subsidio Curionum nostræ Societatis ministeria obita sunt. Industriæ fructus respondit etiam in parochia quadam deserta, quam nostri aliquamdiu curarunt. Aliquot etiam in monasteriis solatio consilioque erecti cœnobitæ, ipsorumque ac Prefectorum generales, ac longi temporis auditæ confessiones, ereptæque ex animis opiniones instituto vitæ cursui noxiæ.

## *Collegium Spirense.*

SPIRÆ simul ędificante Domino, non in vanum, quà domi, quà foris ædificantes laborauimus. Nostrorum conciones & operam subsidiariam studiosè & omnino crebriùs expetunt, præsertim Parochi, quàm vt omnium votis satisfieri possit. Ad catechismum tradendũ, præter nostros, Ecclesiæ maioris alumnos adhibere cogimur. Landshausa pagus itinere diei Spira abest: is in ipso initio Ecclesiasticarum turbarum placita Lutheri, & auidè arripuit, & ad hoc vsque tempus mordicus retinuit. Hoc verò anno Prædicante infelici morte sublato, consilia agitari cœpta ab iis, quorum intererat, de restituenda inibi Catholica

lica religione. nobis prouincia haud inuitis oblata, & susceptа alacriter, & obita cum fructu. Principio quidem cùm nostri aduentarent sacra inconsueta facturi, populumque docturi, stetêre incolæ stupore ex admiratione rei nouæ defixi. Sacerdos cùm blandè eos, maximè pueros, inuitaret, vt ad se accederent orationem Dominicam recitaturi, celeri & effusa fuga è templo sese proripuere omnes. vnus incautè respectans è fuga non sine ploratu retractus; sed præbito per sacerdotem saccaro delinitus, placidè cœpit orationem Dominicam pronuntiare: quo collaudato alij subsecuti sunt, lubētesque & tum & deinceps doceri se patiebantur. Sæpius huc itum, res Christiana diligenter gesta, eoque ducta, vt nunc Catholicum habeant Parochum. & spes est fore vt breui proscripto Luthero veram religionem omnes amplectantur. Piis B.P. Ignatij meditationibus ad solidam pietatem instituti sunt vnus & triginta, plerique tales, quorum profectus ad multorum vtilitatem redundaret. Ex his vir nobilis & potens dubia etiamnum fide ad nos accesserat: qui tantum deinde profecit, vt & liberis, quemadmodum Herbipolensis ille, de quo supra, contra vxoris hæreticæ molitiones consuluerit, & ad liberandos eadem peste pagos ditioni suæ subditos operam & laborem contulerit. Adfuimus illis qui ad tribunalia Iudicum, capitis rei, ducebantur magno ipsorum bono. Nobiles coniuges periculosè dissidebant, ij recōciliatæ inter ipsos per nostrum sacerdotem gratiæ argumentum omni plebe inspectante confessi, & sacris mysteriis pasti, præbere voluerunt. Ægris neque noctu, neque interdiu nostra opera vnquam negata: vltro etiam quæsiti, & opus vbi erat, stipe emendicata liberaliter adiuti. Similiter extorres bellorum acerbitate

Gallos magno numero circa ferias Paschales, omni ope leuare non omisimus. Quę pariter Moguntinensium laus est, Treuirensium item, ac Molshemiensium; vbi ad miseros vrbibus exclusos nostri Patres egressi aliquot centenos spirituali, & vbi licuit corporali pabulo recrearunt. Taceo eos, qui longè lateque, ex terris etiam hæreticorum vnius confessionis caussa Spiram venerunt. In pago quodam superiore anno per nostrum ad fidem reducto, adeò benevolè Patris eiusdem audita est exhortatio, vt ad vnũ omnes confessi SS. Eucharistiam sumerent. Porrò per hunc annum vnus & octoginta nostris auctoribus ad Catholicam veritatem redierunt. In his parens cum duobus filiis, rogatu tertij filij discipuli quondã nostri, cùm in extremis ageret adolescens, ita flexus erat, vt solum vertere, suasque fortunas aliò trãsferre, quàm diutiùs vlulare cum lupis hæreticis maluerit. Ædificatio tẽpli nostri, cuius anno superiore iacta fundamenta narrauimus, ingenti bonorum gaudio, improborum fremitu, dum hæc scriberemus, tectum attingebat. sed ea fuit magnorum virorum in nos fides & benevolentia, vt quidquid obiectum esset impedimenti, horum vel diligentia, vel auctoritate remoueretur. Edixerat Præfectus Caluinianus, vt subditi materiam ædificationi necessariam abs se auehi ne paterentur. inuentus vir nobilis qui magno animo constantiąque labore edictum vt reuocaretur effecit. Suscipiendæ erant molestiæ cum magistris fabrorum operisque ferè Lutheranis infinitæ; & has amore nostri in se alij susceperũt. Denique ad quinque florenorum millia amici hoc anno in sumptum contulerunt. præterquam quòd equos è suis rhedis ad conuehendam continenter materiam plures è nobilibus Canonicis libenti-

libentibus animis accommodarunt, nihilq; omiserunt, quod ab amantissimis nostræ Societatis hominibus expeti potuisset.

Nunc de WIELANA Missione paucis. Wiela ciuitas libera duorum dierum itinere ad syluam Herciniam posita est. hanc miserandum in modum factiones distraxerunt. nam ciues hæretici à Magistratu Prædicantem Lutheranum sibi dari postularunt; Catholici contrà magno constantique animo, negarunt se impium doctorem passuros. Tenuit ea discordia multo iam tempore, hoc verò anno vehementius etiam exarsit; cùm factiosis alioquin etiam hominibus hæretici vicini facem admouerent, & Parochus Catholicus moreretur. Res erat in summum periculum adducta, & videbant boni ciues Pastorem in ea rerum perturbatione non facilè reperiri posse. igitur quòd alias nostram experti erant operam, impetrant à Senatu legationem ad Patres Collegij Spirensis: per quos tristes ac gemebundos expositò ciuitatis statu, orant ne deserantur. Missi duo, qui multa ad Dei gloriam ex Societatis instituto effecere. Principio doctrinæ Christianæ rudimenta tradebant, pueris ingenti multitudine ad spectaculum concurrentibus; inter quos parentes annis quoq; nonnulli & dignitate graues, in suggestum ascendere, voce pueris præire, animos addere, munuscula polliceri, quò pueros exemplo prouocarent, ne pudore impedirentur catechistæ monitis obsequi. Et verò breui factum, vt sese ad recitandum quæ oporteret, certatim offerrent omnes, & mirificè catechesis ab eo initio deinceps efflorescceret. Hinc ad natu grandiores conuersa cura, impetratum vt crebriùs vsurparent Sacramenta; pro Luthericis cantilenis, piæ & Catholicæ vulgò vsurpatæ. Supplicatio deinde Ven. Sacramenti,

eo apparatu instituta, qui Catholicis admirationem mouit, & hæreticos attonitos tenuit. Porrò grauis exorta pestilentia pecora affligebat. Ergo cùm toto passim opido stabula quotidianis cadaueribus exhaurirentur, suasit sacerdos vt statis diebus in sacello S. Wendelini adessent ciues, & pro auertendo malo precarentur. Res mira: non tota fluxit hebdomas, & lues in vrbe remisit, cùm foris interim longè lateque vagari pergeret, & horribiles pecorum ederet strages. Matrimonia contra leges inita Ecclesiæ, ad præscriptum Concilij Tridentini correcta: sacello no[illegible]terium exornatum. Sanctorum effigies [illegible]plæ in templis aut situ squalidæ, vel exterſæ, vel nouæ, & meliores repositæ. sacra supellex aucta. ludimagister Lutheranus loco motus, Catholicus substitutus. vacillantes in fide confirmati. Multa præterea ad Catholicæ religionis decus facta. Nono denique mense postquam venerant nostri, Spiram redierunt magno sui desiderio relicto.

## *Collegium Fuldense.*

PRÆTER concionum & doctrinæ Christianæ fructus præcedentium annorum, aliorum Collegiorum, quantum quidem sterilis Buchoniæ natura fert, non absimiles. Commemorandum quòd Reuerendissimus Princeps fundator noster, eiusque potissimùm inuitatu & exemplo nouem alij, spiritualibus exercitiis expoliti sunt. in iis Principis frater, Consiliarij, Gubernatores, aliique viri nobiles, insigni morum cõsecuta correctione. Non defuerunt hìc quoque nostri leprosorio, nosocomio, carceribus, in quibus tam in ciuitate quàm foris, multum temporis & operæ quàm vtilissimè positum est. Nam è sexaginta hæreti-

hæreticis, qui hoc anno fidem receperunt, tertia fere pars in carceribus & vinculis Deo lucrifacta est, & pro magnis criminibus magnam quoque præse tulêre pœnitentiam; præsertim septuagenaria vetula, quam forcipes candentes, nec ostentati, nec ad pollices vberaque discerpenda crudelem in modum appliciti, nec rogus ipse perterruerunt, vt à continuanda oratione, quam Pater præscripserat, cessaret. Ad vitæ morumque correctionem adducti plures. nec paucis persuasum vt omissa, aut intermissa Pœnitentiæ & Eucharistiæ Sacramenta frequentarent. Illud etiam consecuti sumus, adnitentibus viris nobilibus, qui vice Principis præsunt, vt solemnis supplicatio corporis Christi, quæ pluribus retrò annis interciderat, adeoque vi & armis ciuium abrogata fuerat, hoc demùm anno pristino splendori restitueretur. Nec obstitit tumultus præcedenti nocte propter admissum homicidium concitatus, quodque ciues in armis essent, quin altaria quatuor celebrioribus vrbis locis erecta, aulæis pictisque tabulis & imaginibus ornarentur. In his dum collocatur sacra hostia, Proprinceps & Prætor, vnaque Consiliarij, præcipuique viri in genua procumbunt. Id imitati longissimo ordine viri, feminæ, discipuli, omnes propè cereos manibus gestantes. Nec defuere, quà transeundum erat vtrinque dispositi rami ad altaria singula, cum musico concentu adhibita organa, prælata funalia, innocentumque puerorum in stolis candidis flores spargentium grex visendus. denique ipsorum hæreticorum, qui ad hoc spectaculum frequentissimi confluxerãt, modestia lætitiam auxit. Nemo quod gerebatur auersari, nemo contrà hiscere auditus. Reuerendissimus fundator quamuis exulet adhuc, præter reliqua in nos beneficia,

hoc anno nouum altare permagnificum ex alabastro & marmore sculpi curat: vix quatuor annis absoluetur opus. Dominus Decanus maioris Ecclesiæ ad cætera beneficia hoc etiam adiecit ad vsum sacrificiorum & communicantium, plaustrum vini optimi. Nobilis D. Marschalcus Reuerendissimi nostri fundatoris frater tantumdem vini & bouem perpinguem.

## *Collegium Heiligenstadianum.*

POST intimam sui curam toti in eo fuere nostri, vt per consueta Societatis ministeria fides propagaretur, pietas accessionem faceret. Excipiendis confessionibus domi, concionibus item catechismisque nauata est opera. Præterea foris circum pagos octodecim finitimos, Quadragesimali maximè ieiunio catecheses obitæ, extititque fructus operæ. In sinum Ecclesiæ recepti sunt tres supra quadraginta. Sacris nostræ Societatis commentationibus exerciti duodeuiginti, plerique pagorum opidorumq; Curiones, à quibus deinde fructus ad plurimos pertinet. Fuit inter illos Reuerendissimi Principis per Hisfeldiam Commissarius, collegiatæ Ecclesiæ Decanus: qui defuncto successor designatus adire magistratum, ac munus exercere prius noluit, quàm secretus ab omni strepitu negotiorum, abductusque in suburbano monasterio, ductu sacerdotis nostri, in ardorem adiuuandæ religionis, ac promouendæ pietatis, per hęc ascetica sese incitasset. Monachus qui per apostasiam Lutherici verbi præconem diu egerat, iisdem sibi redditus, mox etiam Deo & monasterio sese reddidit. Nec tacendus adolescens, qui Magdeburgo, amplius trium dierum itinere ad nos venit confessionis gratia, seque per eadem

eadem exercitia egregiè præparauit. Extremæ vnctionis vsus, qui planè etiam inter Catholicos iacebat, tribus hoc anno persuasus est. Acerbis inter se odiis exasperati erant duo monasterij cuiusdam Prælati: hi nostris interuenientibus, charitate religiosa coaluerunt. Qui spectrorum nocturnorum terriculamentis turbabantur, facta confessione, agniq́ue Dei sigillis muniti, melius actum esse secum professi sunt. Parthenica Sodalitas scholasticorum nostrorũ, hoc primùm anno flagellis vti publicè cœpit ante sepulcrũ Dominicum in templo nostro erectum. Res noua, multitudini quæ deuotionis caussa confluxerat, primùm cum admiratione horrorem incussit, tum lacrymas publicumq́ue eiulatum elicuit, etiam illis siqui in Italia Hispaniaq́ue id frequens vidissent. nimirum præ gaudio flebant, quòd in locis hæretica prauitate horridis auitæ pietatis suauitas respiraret. Factum abiit in exemplum. venêre deinde complures enixè petentes pœnitentiæ instrumenta, estq́; deinceps vsurpatum multis peccatorum à se pœnas flagris exposcere, cutemq́ue ciliciis exasperare. Quòd præterea lites componere, ad exomologesim peccatores adducere, libros hæreticos magno numero ad nos deferre Sodales consueuerint, cum aliis fere Collegiis est commune. Excursum etiã est hoc anno ad Montem adiutorij: nec defuerunt qui ad fidem rediret, confitentes item & sacram synaxin ineuntes. Fuit inter illos generosus miles opibus fortunæ & ingenij pollens: qui vt recens Catholicus, ita feruens religionis defensor, testatam vt publicè fidem suam faceret, habitu peregrini eum in finem comparato, per quatuor millia passuum nudis pedibus incedens aduenit. qui cùm sacerdoti nostro confessus ad mensam Domini accessit, vt

hære-

hæreticis iniucundum, ita Catholicis propter nominis celebritatem optatissimum præbuit spectaculum. Denique, quod multis annis vt assequeremur laboratum est, nempe vt tuti in horto Collegij consistere, & ad templum quo vtimur, intra septa nostra manentes adire possemus, id tandem hoc anno Reuerendissimus noster, quantumuis obnitente opidano senatu, nobis tribuit. suo enim sumptu viam muris intercipi, spatiumque illud de cœmeterio, quod inter templum & hortum nostrum interiacet, Collegio clausum & liberum concedi mandauit. Limites præterea nostros protulimus, coëmpta ex eleëmosynis domo vicina: quam in rem nobilis & strenuus Archisatrapa centum daleros constituit.

## *Collegium Molshemiense.*

VBERIORE solo, lætiore quoque laboratum hîc. concionum & catechesium tam intra quam extra opidum habitarũ frugem, populi frequentia cum insolita attentione testatur. vt templi spatiis alicubi excluſi pluuio cælo ad finem vsque concionis, & sacrorum mysteriorum perseuerauerint. Et verò doctrina Christiana vulgò omnibus magno in pretio est. vnde pueruli cur assidui adeò & attenti in audiendo discendoque sint interrogati; Quia, inquiunt, indiligentia vespertino ieiunio domi luenda esset. Pluribus locis à Magistratu cautum est, nequis à catechesi se subtrahat, mulcta pecuniaria in transgressores constituta. Sacris B. P. nostri meditationibus exerciti duodecim eo fructu, vt vel Ecclesiasticum statum eligerent, vel electum antea pro dignitate tuerentur. Ex iis Societatem nostram vnus, alter Carthusiam adamauit, multis priùs apud hæreticos

ticos parentes pro fide retinenda superatis opprobriis & incommodis. Fuit vbi cœnobium integrum, hac veluti face colluſtratum mirificè commutaretur. Vir honeſtiſſimus, qui nunc Hagenoę Conſul eſt, duobus abhinc annis cùm apud nos exercitatus eſſet, non animæ tantùm, ſed & corporis retulit ſanitatem. Cùm enim doloribus herniæ acerbiſſimè torqueretur, vouit ad B. Otiliæ montem cauſſa religionis aſcendere, aſſumptoq; exercitiorum ſocio, viro item honeſtiſſimo & conſulari, ſeſe pedes in viam dedit, adhibito à noſtris ſacerdote, qui pro ipſius ſanitate ſacrum offerret. Audiuit ſupplicis vota Deus, & domum reuerſus omni dolore deinceps ſe leuatum ſenſit. quod hoc primùm anno cuidam Patri aperuit. Conſultum homini penè deſperato & mortem violentam reſpectanti. cùm enim iuſſus à ſacerdote noſtro aquam benedictam, ceream agni Dei icunculam, & inſuper confeſſionem atque communionem adhibuiſſet; ſic intra triduum ſibi reſtitutus eſt, vt ad Collegium cum pagi ſui Prætore veniens, gratiis referendis ſe imparem eſſe profiteretur. Conciliata pax inter diſſidentes non ſemel. Confitentes extra Molſheimium ter mille quingenti; de tota vita vndeſeptuaginta. reducti ad crebriorem communionem in quatuor opidis ſpe & opinione plures. Hæreſim eiurarunt ſeptem & viginti. Ex hoc præterea Collegio diei itinere excurſum in vallem Senonienſem, prętereaque ad Gallos milites per hanc viciniam iter in Hungariam habentes. Vallenſes etſi natura minimè mali, tamen partim ob Caluinianorum nimiam vicinitatem, partim ob inſcitiam Curionum & incuriam, in magna errorum caligine verſantur. Ad hanc diſpellendam Reuerendus Dominus Abbas loci dominus noſtrorum operam expetiuit.

uit. Qui missi sunt, plusquam sperari potérat, profecerunt. Primùm quidem catechesi penè quotidiana cum pueris; deinde bina Dominicis ac festis diebus concione. Confitentes auditi ducenti quadraginta, in quibus septem aut octo confessionem à viginti & amplius vsque à quadraginta annis cum magno sensu repetierunt. Ephebi verò pueri puellæque magna ex parte nunquam antea confessi, eadem commoditate feliciter cœperunt numero quinquaginta. Denique ex catechismi in liberos præludiis, vix præ gaudio se capiunt parentes, spesque est fore, vt ipsi senes à pueris discant quæ docuisse debuerant. Tribus inter hæc elapsis hebdomadibus sub ferias Paschales, cùm ad tempus domum rediisset Pater, non tulerunt eius absentis desiderium. ergo post Pascha iterum ac tertiò remissus, Dominicis ter concionem in tribus diuersis parochiis habuit, nec vllo die catechismũ intermisit. Confessiones item auditæ non paucæ, vna senis, qui supra centum sex & viginti ætatis annos habebat. Demùm iurandi peruersa consuetudo cohibita. Atque hæc de Senonienſibus. Inter milites verò (quæ altera erat excursio) primùm animatus ad constantiam suspendiarius, tum frequentes eæque feruentes habitæ conciones, priuatique sermones contra insolentiam & vitia militum. Pœnitentes expiati centum circiter & octoginta; de totius vitæ noxis septemdecim. E damnoso concubinatu ad legitimas nuptias transierunt paria sex. Præclarum erat summorum, æquè ac infimorum de Societate iudicium: è quibus alij aureos nummos, alij menstruum suum stipendium, equum alij perliberaliter offerebant, si, vt Pater comitaretur, impetrari posset. Nec veriti sunt ex primoribus quidã asserere, plus nostrorum præsentiam ad continendos

in

in officio milites valere, quàm leges, aut industriam omnem Præfectorum. Certè duodecim, quorum plerique nobiles, cum Præfecto militari Collegium adire, & edita fidei professione, in B. Virginis Annuntiatæ Sodalitium consueta cæremonia recipi voluerunt. Itum præterea obuiàm duello, de quo inter duos conuenerat; nam Patris nostri monitu vtrique Princeps armorum tractationem vetuit, promisitque insuper fore, vt lustrato iuratoque milite duella sub pœna capitis prohiberentur. De scholis & Sodalitate tam B. Virginis, quàm SS. Angelorum, plurima dici possent, sed non dissimilia iis, quæ passim apud alios inueniuntur. Illud animaduersum, plerosque quos antea in discendo stupor & tarditas obtinebat, mirificè, posteaquam in Sodalitatẽ cooptati sunt, immutatos fuisse: fatenturque suis ingeniis offusam quasi nubem, Sacramentorum frequentatione discussam. Porrò quàm eximia multorũ sit de nostris opinio, ipsi etiam hæretici, adeoque Caluinistæ testificantur. inuitarunt illi nos humanissimè nonnunquam ad ædes suas, & asseruerunt se non difficulter fore Romanos, si vt nostri, omnes sacerdotes viuerent. Alius item, Si, inquit, tales intus, quales foris estis, viros vtique probos vos æstimo. Nec verò contenti verbis amici, re ipsa se liberales exhibuerunt. In quibus primas iam ab antiquo obtinet Reuerendus Dominus Valentinus Agricola, qui vna vice quingentos donauit florenos; alia verò ædes amplas & præclaras. æstimatæ sunt tribus florenorum millibus, sitæ in ciuitate Imperiali Offenpurg. tutissimum in tumultibus bellicis, quos Deus clementer auertat, perfugium ac receptaculum, totiusque Collegij capax.

Colle-

## *Collegium Confluentinum.*

VIGVIT quoque hîc vt alibi, insigne inter nostros religiosæ perfectionis studium: & licet obtemperandi alacritas munere diuino per omne corpus Societatis ita viuida sit, vt vel optima exempla propter eorum frequentiam, & quotidianam consuetudinem non notentur, vnum tamen posuisse molestum non erit. Pater erat decem ipsos annos huius loci cõcionator, qui idem catechismum in parochia tradebat, eratque studiorum Prefectus. omnia cum approbatione præcipua totius ciuitatis; vt eum vel maximè amarent, vel admirarentur. De eo litterę R. Patris Prouincialis ad P. Rectorem adferebantur octiduo ante Christi Domini natalem sabbati die sub vesperam, cùm ille ad concionandum de more comparatus esset, nec aliud vlli nostrûm venire in mẽtem potuisset. Ex iis litteris patuit placere sanctæ obedientiæ, vt is Herbipolim properaret, accinctus nimirum vt religiosum pauperem decebat, omnium rerum aliarum securus. tabellarium, qui litteras attulerat postera die Dominica, prima luce, salutationibus quæ moram adferrent omissis, alacriter comitabatur. Plus vtique apud sui cupidissimos auditores, postpositis vrbanitatis officiis consecutus, quàm si humanitatis affectibus indulgere voluisset. Concionum nihilominus, & catechismi fructus postea constitit & frequentia. vnde nimirum est, quòd stimulati conscientia è vestigio redeuntem à docendo concionatorem, atque ad confessariorum subsellia properantem ponè sequentes admissorum criminum se reos stiterint, quòd ad catechistæ documenta vitam sollicitè correxerint, quòd plures quinqua-

ginta

ginta totius vitæ noxas expiauerint, quòd emendicato pane mendicos esurientes pauerint. Taceo de crebris ieiuniis, de abiecta strati & vestimentorum mollitie; aliisque pœnitentię operibus plurimis. Impuræ feminæ non paucæ ad castitatem sectandam, hæretici quindecim ad fidem reuocati sunt. Iniustè parta, iustè reddita. Liberatus à Patre Rectore, qui ad patibulum damnatus erat, liberaliq; viatico tum spirituali, tum corporali adiutus. Magicarum verò cantionum conuictis ad rogum vsque nostra institutio non defuit: quarũ ea pietas & modestia eluxit, vt passim spectatoribus lacrymas excusserint. Adolescens veneficio claudus effectus, postquam remedia magorum experti fuerant parentes, aquæ consecratæ crebriore aspersione de consilio nostrorũ vsus, firmitati suæ restitutus est. Bibliothecæ magnorũ quorundam virorum hæreticis libris expurgatæ, nostram tum probatis aliis, tum operibus B. Chrysostomi locupletarũt. Ex iis, qui se sacris meditationibus apud nos exercuerunt, septem cum suo Priore ex vno monasterio Religiosi fuerunt, tres qui statũ eundem complecti desiderarent. Sub Paschæ tempus quatuor sacerdotes nostri, cum suo quisque socio dimissi, vocatique circum pagos & opida vicina, cùm vt aliis in rebus Curiones adiuuarent, tum vt redeuntes ab hæresi per pœnitentiam Ecclesiæ reconciliarent. Extitit fructus minimè pœnitendus. Plurimi enim auditis de passione Domini concionibus, insignes & animosas cum intima consolatione, suorum peccatorum fecerunt exomologeses. Nouem ex hęreseos nexibus erepti. Docti verò, ne, vt assolent, stantes, sed nixi genibus, de sacra Domini mensa ederent. Eliminati, qui feria quinta maioris hebdomadæ in templo & ara maxima comessationem instituebant. Plura deni-

que alia magno animarum bono gesta sunt. Adeò autem vbique grata nostrorum opera fuit, vt Paschalibus peractis feriis vbi nostri fuerant, tum Senatus ipse, tum primores Magistratuum honorificè gratias egerint de laboribus pro suis ciuibus suscepto, & officio diligenter præstito. De iuuentutis moribus, & vtraque Sodalitate, quæ alibi dicta sunt, hìc etiam dicta intelligantur; præsertim de celebri extra opidum peregrinatione, & crebro flagellorum vsu. Reuerendissimus Archiepiscopus Princeps Elector, cùm trigesimo mensis Iulij die consecratus esset, postridie cum Principibus ac Proceribus, qui honoris & officij caussa conuenerant, Collegium inuisere, & Narcissum, quem in scenam produximus, spectare voluit. Placuit actio, nec minùs etiam syluæ gratulatoriæ vario & eleganti carmine editæ: quod multis & in præsens, & postea cognitum est argumentis. Serenissimus autem Ferdinandus Bauariæ Dux, Coadiutor item Colonienſis, cùm è Bauaria ad suos rediturus hac iter faceret, apud nos in Collegio diuersari, & hospitium habere voluit, quò liberiùs etiam consuetæ suæ pietati festo die SS. Apostolorum Petri & Pauli, qui tum inciderat, vacaret. Præterea illustres genere viri, licet à vera religione alieni, cùm ad Reuerendissimum Archiepiscopum variis de caussis venissent, Collegium quoque nostrum perhumaniter inuiserunt; eorum vnus inter disserendum de controuersis fidei quæstionibus D. Augustini opera ex optima editione soluturum se pro bibliotheca nostra recepit. Teutonici Ordinis Commendator vir nobilis bouem bene pinguem dono misit. Femina quædam agrum quinquaginta coronatis æstimatum, & è Consiliariis quidam ducentos quadraginta aureos testamento nobis reliquit.

Ædifi-

Ædificari quoque cœpta est domus Collegio nostro contigua, impensis Reuerendi Domini Hermanni Stephanij, qui, vt anno superiori scriptum est, omnia sua bona nostri iuris esse voluit.

## *Collegium Paderbornense.*

OBIIT diem suum Paderbornæ Pater Georgius Natalis Colonienſis, annorum vndequinquaginta, quorum duos & triginta in Societate vixerat, Coadiutor formatus abhinc annis sedecim: multum & naturæ dotibus, & modestia singulari amabilis, atque in laboribus instituti nostri propriis indefessus, inque periculis imperterritus. Cùm in schola Grammatica per annos complures quinis horis quotidie pueros doceret, non omisit tamen, quin grauatus insuper morbo, horis vel antecedentibus, vel consequentibus, quatuor ferè per hebdomadam diebus pœnitentes adiuuaret magno concursu, fructu maiore. Ab eo enim instructi, & documenta virtutum egregiè retinebant, & complures minimè assuetos interdum nec fide sanos, postea secum adducebant: quibus ille mansuefactis peritè medebatur. Anno verò nonagesimo secũdo, cùm à Comite Mauritio, qui prope mœnia cum exercitu ad Embricam erat, quidam in Collegium veniſsent nostris denuntiantes, vt quamprimùm excederent, nî sua causſa velint vniuersam ciuitatem prædæ militum & excidio exponi; solus Pater Georgius in conspectum procedens, trepidantibus licet ciuibus, nulla ipse metus data significatione, sermone ad tempus accommodato, turbulentam legationẽ sustinuit, quoad Magistratus à Prælato quodam admonitus de suo numero certos mitteret, qui ne quidres nostra detrimenti caperet, prouiderent.

Denique cùm ingraueſcente valetudine mitteretur Heiligenſtadium, vt ſcholarum cura liberatus, Collegij illius Miniſtrum ageret; Coloniæ quidem vi morbi impeditus ſubſtitit: tamen vt primùm ſe dedit oportunitas, cœptum iter ex obedientia proſequens ad noſtrum Collegium peruenit, vbi aqua intercute in immẽſum excreſcente, Sacramentis ritè munitus in magna patientia vitam feliciter finiit. Illius in locum ſcholæ noſtræ quendam ad Probationis domum ſubmiſere, mox alios daturæ. Emanat ex his præcipua pars fructus noſtri ſpiritualis. Abbates Benedictini annua comitia hîc agentes, à noſtris diſcipulis ſunt cohoneſtati dramate ad ipſorum Ordinẽ accommodato; is erat Carolomannus mundo triumphato S. Benedicti inſtitutum amplectens. Sodalitas B. Virginis optimis adoleſcentibus eſt aucta, cuius virtus in his locis hæreſi morumque corruptela ſqualentibus, egregiè ſuam præceptorumq; exiſtimationem tuetur. Tres fecerunt profeſſionem fidei magno pietatis ſenſu; vnus præſertim, qui ita ſui diſſimilis effectus eſt, vt Carthuſiam ingredi deliberatum habeat. Quidam dæmonis verſutia ſuperatus, exitium ſibi voluntarium meditabatur; ſed per confeſſionem ad animi tranquillitatem ſalutemque traductus eſt. Templi inſtrumentum præter alios matrona quædam nobilis auxit, quæ veſtem holoſericam, auro argentoque intextam, vanitatis olim cùm nuberet adminiſtram ſacris mancipauit vſibus. Inter generales confeſſiones ſeptem fuerunt nobilium in arce quadam huius patriæ. Excurſionibus variis, & concionibus ad hæreticos habitis promota eſt res Catholica, cuius veritatem reſpexerunt aliquot. In opido quodã huius diœceſis, vbi omnes hæretici, vir Senatorius Lutherum deſeruit, quem

à puero

à puero secutus erat, fremente ferè tota ciuitate. Apud hunc ante biennium è nostris duo commorantes multa cum illo de religionis negotio tractauerunt; sed pertinacior eo tempore erat, quàm vt victas manus daret. Hoc tamen anno è libello quem legendum reliquerant, vanitates & ineptias sectariorum ita agnouit, vt se palàm Catholicum profiteatur, consulatus honori, quem antiqua perfidia consequi poterat, salutem anteponẽs. Cacodæmon possessione viginti annorum abire iussus. Concionantium numerus maior, quam annis superioribus. Res etiam domestica eleëmosynis variis, & pecuniarum non leui summa multùm est subleuata. Duæ controuersiæ magno vtrinque studio agitatæ felicem pro Collegio sortitæ sunt exitum.

## *Collegium Monasterienſe.*

FVERVNT omnes hoc anno, quãuis in magna cæli temporumque intemperie, sani plerumque, Deo sit laus, ac valentes. Laboratum fermè in vrbe ob viarum ingentia pericula. Per verbi diuini, Christianæque doctrinæ assiduam tractationem, mores emendantur, sensimque prisca pietas inualescit. Pax cõposita inter inimicos, maximè apud virum nobilem, qui arma iam expediuerat ad sui hostis perniciem. Persuasum cuidam, vt collatori legitimo malè partum sacerdotium redhiberet. Ab impuro contubernio & nefandis amoribus abalienati complures, & tuendæ castitatis præsidia magno emolumento suppeditata. De conuersis ad Catholicam veritatem hæreticis, Catholicisque confirmatis, ac similibus aliis, quæ dici poterant, non valdè diuersa sunt ab iis, quæ hactenus in aliis Collegiis commemorata fuerunt. Hoc

proprium, quòd in exitu anni nonageſimino ni, cùm viuerent adhuc malè conſopitæ peſtilentiæ igniculi per ciuitatem; non negleximus moribundos inſigni aliquorum conciliato fauore, & animarum prouentu adiuuare. At nobilitas, à cuius nutu ſubditi prouinciales ferè pendent, mirificè ad nos inclinat paulatim, ipſíque viros clari generis gratulantes audiuimus, quòd eius Ordinis numerus Catholicorum incremento pulcro augeatur Confeſſi apud nos multi nobiles viri fuerunt. Gymnaſium, quod ob dominantem per compita luem concluſeramus, poſt bimeſtre tantummodo ſilentium patefecimus, & collecta ſic ſatis bona diſcipulorũ copia inſtaurauimus prælectiones, datis in publico ludis de offenſo ob numeratum populum numine, deque eodem ab Dauide placato. Præluxerunt in ſcholis Deiparæ Sodales: de quorum præſtanti probitate præclarè arbitrantur ſummi infimiſque, vt eorum teſſera præcipuam habeat commendationem. Ex his in varios Weſtfaliæ ludos alij ſunt expetiti, alij verò ad obeundam animarum procurationem, curioſè conquiſiti: qui deinceps illis muneribus adhibiti, præclarè conceptam de ſe ſpem & opinionem ſuſtinent, atque etiam ſuperant. Nobilis item Parthenius relatus domum in Friſiam familiares ſic omni arte percoluit, vt domus cœnobium perbene conſtitutum videretur. ita roſaria, preces, alia ſanctitatis officia frequentabantur. Necminus ardens fuit aliorum in ſimilibus officiis ſtudium, quos breuitatis cauſſa omittimus, vt & eos, quorum in obitu præclara virtutum exempla emicuerunt. Vnus tamen omnino tacendus non eſt Reuerendus & nobilis Dominus Godſchalcus Ledebur, Cathedralis Eccleſiæ Oſnaburgi Præpoſitus, omni hoc tractu fama exquiſitæ virtutis cele-

celeberrimus: qui ad extrema deductus propinquorum hæreticorum septus corona, Sacramenta nihilominus perquàm religiosè accepit; nec submoueri à lectulo suo cilicium, funemque setis hispidum ante mortem est passus. Fratriam quoque viduam Caluino impensè deditã adegit, vt sponderet nepotes ex suo germano fratre, piè admodum educatos instructosque abs sese, curaturam porrò à Catholicis perdoceri. Ad extremum non videtur prætereundum miraculum, cui Sodalis ex parte adfuit. Viderat ille in finitimo quodam pago Laar SS. Euualdorum memoria inclyto, reliquias in altari intectas obsitasque puluеribus, nimiumq; manibus omnium expositas. Suasit igitur Curioni vitrum obduceret, honestiusque collocaret Ita factum. Paucis pòst diebus horribili incendio exarsit templum, quod fornicem turrimque præcelsam egit in præceps: sed cùm rueret turris in subiectas cœmeterij cruces, latronum imagines funditus obtriuit; Christi autem pendentis statuam ex saxo cæduo cum appositа tabella non affixit. Cùm autem testudo procideret, aramque disturbaret, lipsanotheca obruta ruderibus permansit illæsa ne vitro quidem violato. Excurrimus, vt dictum est, infrequentius, tamen bis Osnaburgum ante mortem Præpositi; semel cùm popoſciſſet sacerdotem, qui firmaret Sacramentis solatioque languentem; rursus à morte admonitu executorum, qui ornatum sacelli donatum huic Collegio tradere cupiebant. Vtraque vice operam dedit noster audiendis nobilium confessionibus, & cõmunione præbẽda. In quibus virgo antehac Lutherana, egregiè in posterum feruentis pietatis indicia præ se tulit. In reditu mirifica est expertus amicorum officia noster; nam præter vehicula auehendis sarcinis idonea

Canonicus reliquias Sanctorum è sacello Monasterium vsque prosequi venerabundus voluit, licet perfrigidus vreret Boreas, & formidata essent penè loca omnia propter grassatorum audaciam & crudelitatem. Nec lætior illuxit Collegio dies, quàm cùm præstantium reliquiarum eximium thesaurum supplices excepere domestici. Hunc verò thesaurum è Saxoniæ monasteriis Præpositus impensa curaque singulari collegerat: in quo videbatur culter quo fuit excoriatus D. Bartholomæus, S. Materniani, triumque virginum martyrum corpora, & magnorum Sanctorum varia ac conspicua ipsana. quæ auxit postea aurata turricula Reuerendus ac nobilis Dominus Antonius Nagel Canonicus Mindensis; in quam est inclusum telum integrum hamatum trifariam, quo fuerat confixus S. Sebastianus, idque ex Lunensi cœnobio promptum. Restat expeditio Strambergensis, memorabilis præcipuè. Stramberga est prouinciæ Monasterienſis præfectura. in ea exstructum sanctæ Cruci claræ miraculis templum anno millesimo trecẽtesimo quadragesimoquarto; quod anniuersario cõcursu maximæ multitudinis, atque anathematum sacrorum oblatione fuit ad hanc memoriam celeberrimum. Hoc tradiderat nostris cum aliquo prouentu annuo Sereniſſimus Ernestus, adieratque sub natalem S. Ioannis Baptistæ, cum socio sacerdote Pater Rector, postquam recentissimè renuntiatus fuerat. Iamque viderat cum admirabili voluptate pietatem aduenarum, ad Crucis veneration em vndique affluentium, parabatque reditum; cum ecce tibi improuisò oppressus ab ingruente equitatu Belgicorum hæreticorum, post expilationem templi, abductus extra municipium in proximas miricas fuit cum comite. vbi crucem tot prodi-

giis,

giis, totque annis memorabilem in nostrorum conspectum productam impiè dissecuerunt, ac simul insultantes obiecere, Placétne vobis Deum vestrum tam humaniter tractari? quibus modestè Pater, Enimuerò Deus noster in cælo viuit intactus, & tamen hasce iniurias suæ Crucis vlciscí potest. Tum lytrum adacto ad pectus mucrone efflagitarunt, recusantesque per caussam votiuæ paupertatis protrusêre in viam furibũdi, & frusto ipsius crucis miraculosæ terga Patrum immaniter compulsarunt. Pòst in syluam ingressi exegerunt rursum grandis pretij sponsionem, & tergiuersantes iussere genua submittere, vt ab circũstantibus sclopetariis fatales ictus exciperent. Nec obstitere Patres, iam antè dum currerent sub fustuario confessi inuicem. Sed nimirum erat maior sitis auri, quàm sanguinis. Quare progressi cum captiuis in pagum Oldensem post prolixam de lytro disceptationem, interuentu suasuq; amicorũ spopondere ducentos daleros, atque vadibus datis dimissi sunt, fremente militum vulgo ob diminutionẽ prioris summæ Patribus impositæ. Sed qua fermè hora Collegium postridie (erat vigesimus sextus Iunij) inibant nostri cum incredibili domesticorum gaudio; ab expedita Catholicorum cohorte excepti sacrilegi, partim occisi, partim vincti, & in fugam turpem auersi fuere, præda recepta. Affirmantque certò eiusdem prædonis verticem ad sinciput fuisse defectum, qui Crucifixum impia manu truncarat. Interiit etiam qui nostri lytri chirographum ferebat. Ac ne quam occasionem haberent Belgici milites, actum cum Præfectis eorum, Magistratibusque ab huius diœcesis gubernatoribus, vt omnem lytri obligationem rescinderent. Et fecit quoque bonus Deus cum hac tentatione prouentum. Ita liberaliter ac

follicitè subsidia contulerunt amici, cùm viderent nos ob nummorum inopiam de soluenda sponsione in cura esse. Partem etiam instrumenti sacri, quam asportarant hæretici, restituêre nobis prædonum victores. Sed ne propter sublatam Domini crucem euanesceret perantiqua Strambergensis templi religio, collegimus diligenter abscctum caput Crucifixi, & dispersa quæ superfuere membra cætera, atque vt in speciem antiquam quantum fieri posset, reformetur, nunc iam agimus. Nec cæteroquin immunis fuit hic annus a piorum egregia liberalitate. Coniuges duo nobiles centum viginti daleros in templi expensas dedêre. quo præterea collatum quantum daleris trecentis æstimari potest præter peripetasmata, ornatumque varium, & tres calices argenteos, duoque pollubra cum ampullis eiusdem metalli, aliaque nec pauca nec parui pretij permulta, seu ad templi noui honorem, seu ad egestatem leuandam donata.

## *Collegium Hildesheimense.*

CONSVETAM operam nostri concionibus in templo Cathedrali, in scholis verò docendæ iuuentuti impendũt. Animos Sacramentis lustrarunt plusquam mille. Sex verò supra triginta, Luthero Caluinoque relictis, ad Ecclesiæ Catholicæ fidem sese applicuerunt. Erat in his femina ad quam plusquam trecentorum aureorum hæreditas iure pertinebat: sed cùm eam non alia conditione posset adire, quàm si Lutheranam se profiteretur, religionis gratiâ hæreditatis iacturam fecit, & inter Catholicos seruitutem seruire, quàm inter suos lautè viuere maluit. Sunt qui ob desertum Lutherum nihil non iniuriarum sustinent. eorum

nomina

nomina pro cõcione ab hæreticis Miniſtris ignominiosè proclamantur, omnibus vicinis eorum conſuetudine interdicitur, fores fuſtibus diuerberantur, variis ſordibus conſpurcantur, colaphi & pugni ingeruntur. Sed in his omnibus ſuperant propter Chriſtum. Nil autem aduerſarios noſtros acrius torquet, quàm ſcholarum ſucceſſus, & iuuentutis apud nos progreſſus in pietate ac litteris; quorum exiſtimatione interdum ab ipſorum ſcholis aliqui ad noſtras tranſeunt, & quibus hoc non licet, ad alia Societatis noſtræ Collegia ſe recipiunt. Inuentus etiam, qui cùm ſub diſciplina hæreticorum magiſtrorum manere cogeretur, confeſſionis & communionis Sacramenta apud nos obibat. Noſtri verò ſtudioſi diuina myſteria frequenter vſurpant. Septem ſpiritualibus noſtræ Societatis exercitationibus vacarunt. duo in religioſas familias ſeſe contulerunt. Quidam fratrem ſuum hæreticum periculosè decumbentem induxit, vt accerſito ſacerdote noſtro & Luthero renuntiaret, & vitæ noxas confeſſione deleret, ſacroque Chriſti corpore exitum ſuum muniret. Alius ab hæreſi ad Eccleſiam traductus, cùm in grauem corporis morbum incidiſſet, & à popularibus Lutheranis vrgeretur, vt admitteret Prædicantem; nec aliam euadendi viam haberet, delirium ſimulando importunitatem eorum eluſit. Alius hæretico prognatus Miniſtro, cùm in ſcholis noſtris ſincera religione fuiſſet imbutus, in patriam reuertens nobilem duxit vxorem: quam & alium præterea ad ſanitatem fidei reuocauit. is ſedecim plus minùs Germanicis milliaribus ad locum Catholicum contendit, vt ſuſceptam prolem legitimè baptizari curaret.

Colle

## *Collegium Embricense.*

EMBRICENSE Collegium nuper singulari Dei benignitate seruatum est, quando illud variis antehac procellis defunctum turbo vehementissimus in nostros cõtortus subito proximum naufragio fecerat. Res in hunc modum accidit. Postquã Germanorũ copiæ, qui anno superiore quasi prouincias & loca Imperij ab externo milite liberaturi descenderant, re infecta recessissent; nonnullis Cliuiæ locis, quæ initio occupauerant, præsidia remanserunt. At regius exercitus castello vno eorum expugnato, vehementiùs iis qui Embricam tenebant, minari cœpit, ni sua sponte quamprimùm discederent, opidumque Duci Cliuiæ (qui idem paulo antè per suos a Gubernatore illorum postulauerat) liberum restituerent. Gubernator Catholicis iniquus cum Hollandis egit, vt misso subsidio vires suas augerent. Quo facilè impetrato, & renitentibus frustra ciuibus, intra mœnia refracta porta, recepto; nihil tunc quidem crudelitatis exercitum est, ita vt & ciuium vitæ & fortunis parceretur, & mitterentur primo ingressu, qui à templis & monasteriis vim omnem prohiberent. Quid verò nostris animi fuerit in tam repentina rerum commutatione, facilè quis coniecerit, qui Hollandorum Caluinistarum acerbissimũ in Iesuitas odium, infinitis calumniis, adeoque publicis edictis, quibus à nostra disciplina iuuentus arceatur, testatũ non ignoret. Quanquam plerique ad hos tumultus iam assueti minus etiam tum animis turbabantur. Vnde cùm terni ordine manipuli furtim domum nostram irrepsissent, magno animo iis obuiàm prodeuntes effecerunt, vt nihil palàm tentare ausi facilè recesserint. Atqui

gymna-

gymnasium nostrum aperto loco medio in foro positum, statim à militibus occupatum est, tamq; diu retentum, quoad in hospitia diuisi essent. Itaque cùm ibi instrumentum Sodalitatis B. Virginis asseruaretur, omne statim direptum est: reliqua, quæ in scholis erant, vtpote cathedræ magistrorum cum discipulorum subsellijs Vulcani alimēta fuerunt; adeò vt neque à fenestrarum valuis, pauimēto, canalibus plumbeis rapaces manus abstinuerint. Postridie quàm ciuitas occupata, id est, decimoseptimo Nouembris anni nonagesimino-ni, Gubernator Germanorum D. Decanum Ecclesiæ Collegiatæ, & vnà Patrem Rectorem ad se vocat (ibat autem talari toga indutus noster per confertam militū turbam.) Hic præsentibus Hollandorum capitaneis, salute Decano dicta, factum suum excusat, & rationem accersiti auxilij Hollandici exponit. Sui scilicet aduersus Hispanos tuendi, non Principis aut Capituli lædendi caussa id abs se necessariò factum. ac proinde bono esset animo, mansura ipsi cum suis Canonicis omnia, vt fuissent, integra. Tum ad Patrem Rectorem conuersus, Vos verò Iesuitæ (suspirans de nominis à nobis suscepti arrogantia querebatur) crastina die hinc cum rebus omnibus vestris excedetis, addens se viaticum, si opus sit præbiturum, & comites præsidij caussa adiuncturum, vt quò velimus, tutò proficiscamur. Caussam deinde cur ita iuberet, hanc subiecit: quòd reip. negotiis nos implicaremus, vitæq; Principum insidiaremur, eamque ob rem iam Francia, Anglia, Scotia, Polonia pulsi essemus. Tum præsenti animo P. Rector primùm mirari se dixit, cur accersiti huc ab Illustrissimo Cliuiæ Duce, indicta caussa, tam citò iuberemur excedere. tum longiorem diem flagitauit, quòd præstitum tempus ad res nostras colligendas

gendas nimis breue foret: deinde quæ obiecta erant crimina libera voce negauit, eaque se paratum quouis loco, modò æquis iudicibus disceptare liceat, diluere dixit. Hic alius Regem Franciæ Henricum Tertium, alius eum, qui nunc est obiectare, alius aliud opponere: sed Pater in caussa optima, licet vndique peteretur, ita constanter pro Societate disseruit, vt eorum inscitia partim à suis rideretur, partim ipse Gubernator nos qui sumus Embricæ culpa liberaret, nihilq; in quo nostrum quempiam culparet habere se apertè profiteretur; sed vniuersè tantùm Societatem, quod malam caussam tuentibus vsitatum est, accusare. Adhæc petit à Gubernatore Pater Rector, vt suo chirographo nostram eiectionem testaretur, ne sine ratione sedes nostras reliquisse videremur. Ille verò noluit; sed longos esse militum calamos dixit, quibus consuerint scribere, gladios indicans. Cùm vrgeret insuper ne sibi rem tam exiguam negaret; tandem deliberaturum se dixit, & imminente iam nocte Patrem dimisit. Cùm aduersus vim consilium in præsentia non valeret, omnia statim ad profectionem contulimus, bibliotheca aliisque rebus in vasa depositis: quibus cùm interuenissent Hollandorum militum primores, illato iterum de Rege Galliarum sermone, egregiè repressus & consternatus calumniator, cum aliis quoque pudore suffusis discessit; nec in posterum eiusmodi figmentis commemorandis nos molestarunt. Interea per certos homines instrumẽtum lineum, quod magni pretij erat, clam efferendum curauimus. qui cùm eius à Germanis militibus spoliati triste nobis nuntiũ retulissent, re ad Præfectos delata, integra ferè omnia restituerunt. At verò postquam nostri exilij rumor dimanauit, nescio plúsne hæreticis lætitiæ, an Catholicis mœroris

isit allatum; adeò vt omnibus quæ biennio passi erant damnis, hoc vnum facilè anteponerēt, quod conuenientium ad nos comploratio clarè testabatur. Interea per nonnullos amicorum tentare visum est an tantillum moræ posset impetrari à Gubernatore, donec Illustrissimi Principis Consiliarios consuleremus, missoque ad eum libello, quo intentata pridie crimina refutabantur, Pater Rector postulabat, vt hoc permitteret. Impetrata est dilatio. qua occasione Senatus vsus curriculo nuntium ad Comitem Mauritium Hollandorum imperatorem cum litteris mittit, quibus exitium nobis deprecatur, quod commeriti non essemus. Is vbi rem cognouit, vehementer commotus, quòd contra imperium suum, sui in eo Gubernatori adstipulati essent, grauibus Capitaneos litteris castigauit, iubens vt nos quietos esse sinerent, ac Senatui rescripsit nihil sua voluntate à suis in nos perpetratum, sibique curæ futurum vt ab iniuria prohibeamur. At Ducis Cliuiæ Consiliarij de statu nostro edocti, Gubernatoris factum detestantes, & cum eo acriter postulātes, commendatitias litteras, si migrandum omnino sit, reddendas curarunt duorum opidorum Magistratibus, si ad eos diuerteremus, prolixè commendantes, vt sedibus suis benignè nos acciperent, & patrocinio tuerentur. Hoc tempore publico carebamus; sed cùm Præsentationis D. Virginis dies festus incidisset, multiq; de more sacris mysteriis operam dare cuperent; negari poscentium pietati non potuit. Itaque multi ex vtroque sexu tum in ædibus nostris, tum in proximis fletu redintegrato confessi sunt. Sodales quoque Deiparæ, partitis inter se vicibus, in sacello domestico perexiguo communicarunt, aliquibus solemni ritu in congregationem admissis. Porrò mitigatis sensim aduersa-

uersariorum animis, & Mauritij Comitis castigatione deterritis, tandem ad S. Catharinæ ferias in publicũ nos rursus dedimus, re diuina in templo S. Martini, vt antè solebamus, administrata; nec multo pòst ad gymnasij procurationem, aliorumque ex instituto munerum nos retulimus, vt festo S. Nicolai instaurationem studiorum celebraremus, præmiis quoq; librorum tum primùm datis. Deinceps iuuentus sensim creuit, affluentibus, qui vel timore periculi diffugerant, vel reditum distulerant. Hunc ad modum de præsenti naufragio erepti sumus, diuino munere vtique singulari, quod haud dubiè pij homines ieiunia, cilicia, humi-cubationes, precibus & lacrymis, pro nostra salute assiduè coniungentes impetrauerũt. Nec deinceps fuit, qui septem illis mensibus, quibus in ciuitate miles hæreticus fuit (excepto nouissimo tempore, quo celeriter aliã tempestatem decussimus) nos turbaret. Adeoque consuetudo ipsa videndi, & familiaritas tandem in beneuolentiam vertit. ac præter cæteram humanitatem milites catechismum frequentes accesserunt, & attentè exceperunt. Quodque mirum multis est visum, cùm militum hospitiis vniuersa ciuitas & clerus etiam grauaretur, nihil tamen nobis vnquam ab ea re molestiæ intentatum, domusque nostra ab omni onere immunis semper fuit. Nec verò fructu aliquo ex ipsis quoque militibus caruimus. à Capitaneo enim Hollandorum rogati ad mulierẽ accessimus diu à dæmonio obsessam; quæ per confessionem expiata in B. Virginis sacello communione priùs sumpta exorcizata est. Sed nullum maligni spiritus indicium apparuit, qui paulo antè se ad tempus auolaturum dixerat. Nonnulli ex primoribus nobiscum familiariter pransi longè de nobis meliùs sentire cœperunt, reuer-

reuersíque ad suos, nostros vbique palàm extulerunt. aliquot etiam ex militum grege per eos, qui nobis confitentur, ducti, vt exomologesim apud nos peccatorum facerent. Vni atque alteri moribundo affuimus, & in Paschate Sacramenta multi vsurparunt; inter quos Capitanei vnius vxor euocato nostro publicè in Religiosorum templo confessa erat. Quibus rebus permotus Hollandorum Gubernator accersiuit Patrem Rectorem, eique cum grauibus minis omni militum consuetudine interdixit, vetuitque seuerè ne cuiusquam etiam vltro rogantis confessionem audiremus. Adhæc Ministrum Caluinianum aliunde aduocandum curauit, qui suum illis verbum, & sacrilega Sacramenta ministraret. Cumque propositis pluribus locis vnum sibi ad eum vsum dari à Senatu flagitaret; illo responsum differente, schola nostra delecta est. quæ res in maximum timorem Catholicos omnes iniecit, veritos ne id, vt assolet ab hoc hominum genere fieri, adnitentibus enixè in primis & pecunia Capitaneos sollicitantibus huius loci hæreticis, maximorum malorum foret denuò principium. Et iam tympanistæ per omnes vrbis vias prædicauerant, vt si quis ad audiendum verbum se cõferre vellet, is scholam peteret. Erant tum nostri in gymnasio, & iuuentutem erudiebãt. Conuolant vndique viri & feminæ, & vt dignitatem concioni adderent, festiuo habitu se mulieres ornauerant. Qua re animaduersa P. Rector fores occludi iubet, nec quemquam præterea intromitti, cum iam aliquot silentio penetrassent: ipse autem omnis humani inops auxilij Gubernatoris domum solus adit, & ad colloquium eius admitti rogat. Comiter acceptus præsentibus Capitaneis demissè orat, ne se tanta iniuria onerent. nec enim hoc vlla ratione, tradita sibi ab Illustrissimo Prin-

cipe Cliuiæ gymnasij cura, posse permittere quod destinauerint. Quærit ille num adsint auditores concionis; respondet Pater præ foribus stare, & nonnullos iam introiisse docentibus adhuc magistris. Excusare se Gubernator, quòd tempus à prælectionibus vacuũ expectare iussisset. At P. Rector vtut hoc foret, simpliciter orare, illa se molestia liberaret. Ibi alius sciscitari, cur nolimus verbum Dei in eo loco à se doceri in quo id ipsi prædicemus. Sed cùm non esset altercandi tempus, perstare in precibus Pater, donec contra omnium exspectationem Gubernatorem flexit. Qui dato signo multitudinem ab ostio gymnasij, quod conferti obsidebant, in oppositam curiam illico iussit concedere. Vbi Minister gratiam orationi conciliauit non magnam, quòd argumento derelicto cùm ad IESV nomen videret plerosque caput retegere, magnam partem in eum morem impiè debacchatus est, vt abominati illum sui cum stomacho recederent. At facti huius nuntio ad Comitem Mauritium per Ducis Consiliarios perlato, citò huic tragœdiæ finis impositus. Auctoribus enim castigatis vetuit quidquam nouari, nec rediit Buccinator nisi semel ianuis clausis & fenestris in curia apud suos concionatus. Post septimum tandem mensem cùm libertas ciuitatis propè deposita videretur, præsidium subitò decimaquinta Iunij discessit, tanta ciuium lætitia, vt se non caperent. Alterum enim iam annum perpetuo in metu ac periculo viuebant, nunc his, nunc illis opidum tenere quærentibus; & quater externo præsidio recepto ad humanã inopiam redacti erant. Itaq; cùm omnia plena gratulationis essent, natali S. Ioannis Baptistę, frequentes expiatis animis sacram Eucharistiam participarunt, eamque, dum circum parœcias defertur, gratias cælestibus

agentes

agentes religiosè prosecuti sunt; quin etiam permulti omnis ætatis & generis prima luce, ex iisque nudis pedibus complures, totam vrbem precabundi obierunt. Nec multo pòst cùm anniuersaria supplicatio, quæ post Kalendas Iulias haberi solet, institueretur, præter frequentissimam populi turbam summa religione supplicantis, triginta ampliùs paria albatorum nuda vestigia prementium (quod pœnitentiæ his locis argumentum est) in ea apparuerunt. ac deinceps quies ab armis fuit, nosq; in instituto nostro amplificata aliquantum æstate iuuentute perreximus. Reliqua breuissimè perstringamus. Catechismus ad S. Martini magna hominum frequentia illustratus, sic vt alter etiam in S. Aldegundis parœcia fuerit instituendus. Plures meditationibus B. P. N. Ignatij cum fructu exculti; tres in Societatem excepti. Pœnitentium ita multi ad nos confluxerunt, præsente licet hęretico milite, vt totos dies, præsertim circa solemnitates occupatos haberent. Ad sacram verò synaxim per tenebras ventitabant, licet interdum palliis in itinere à furaci milite spoliarentur. Adiuti contra veneficia multi, quibus vsitata orationum, aquæ consecratæ & agni Dei præsidia adhibuimus. Fuit mulier peregrina honesto loco nata, cuius neruos maleficiorum carmina ita contraxerant, vt non posset incedere: quæ deducta ad nos inter exorcismos aliquoties exanimis concidit; sed sacerdote continenti dierum aliquot labore in opere perstante liberata, pristinum gressum recuperauit, gratulansq; domum rediit. Alia huc adducta est, quòd à maligno spiritu obsessa putaretur. quam cùm nostri exorcizandam suscepissent, & illa inconditos inter sacras preces & cantica clamores ederet, pluribus militū magnam religionem incussit, vt de Catholicis cæremoniis

longè sentirent meliùs, nostrosque deinceps honore prosequerentur. In orphanotrophio ciuitatis pueri à vetula nescio qua cupediarum puerilium aliquid acceperant, iisq; adesis, statim multi ægrotare cœperunt, duobus celeriter extinctis; cum alij macie extenuati vltimum spiritum traherent, vocatus est auxilio noster: qui postquam domum & pueros semel atque iterum exorcizauit, omnes conualuerunt. Ex libidinum laqueis erepti, & sordibus extracti quidam. Nonnemo ex desperationis barathro emersit; cui cũ ob immane facinus admissum nusquam consistendi facultas esset, iamque vt carnificinæ finem daret, in puteum se præcipitasset; tamen benignissima Domini manus hominem perire passa non est. à nostris enim ad veniæ spem excitatus rectum tranquillandæ mentis iter inire cœpit. Denique quid de Societate existiment, frequentes, qui longè lateque pœnitentiæ consiliive caussa ad nos ventitãt, quique difficillimis etiam temporibus, munera domum nostram cum insigni charitatis significatione mittũt, satis declarant. In iis quæ ad sacram supellectilem accesserunt, eminet prætensum tabernaculo frontale gemmis, & argenteis vel litteris, vel sigillis præclarè ornatum. Miles Hollandus imaginẽ B. Virginis anno superiore à templi ruina mirabiliter seruatam serica veste primus ornauit, nec quis esset sciri voluit. Quem imitati Embricenses duplici deinde eam amictu splendido circumdederunt, torquibus aliquot magnificis è collo suspẽsis. Gymnasium in his temporum perturbationibus, neque suo vigore, neque vtilitate caruit. nec dubitant Catholici vel ex hæreticorum ditione liberos ad nos, vt instituantur, mittere, non deterriti vel grauissimis suorum Magistratuum edictis, vel itinerũ periculis. Vbi nuper etiam

etiam cuiusdam viri nobilis filius captus tamen ad nos remissus est. Singulari verò Dei munere, neque quotidiano armorum strepitu, neque hæreticorũ longa consuetudine moribus adolescentium quidquam dissolutionis adhæsit: sed pietate, modestia, obseruantiaque maiorum egregia, magnam moderatoribus consolationem attulerunt. Sodalitas B. Virginis numero & virtute inter tribulationes creuit: è qua cùm sæpe per Quadragesimam, tum omnibus ferè maiorum festorum peruigiliis in scholam, tunc etiam quando milites in infima ædificij parte stationem habuerunt, multi conuenientes acriter semet diuerberarunt; tanto quidam ardore, vt non contenti semel terga cecidisse, iterum flagrum deposcerent. Vnus Sodalium, cùm grauibus molestiis afficeretur, huiusmodi aliisque pietatis muneribus perfunctus ad sacram mensam tanta repentè spirituali lætitia exultauit, vt post dies aliquot eius beneficij commemoratio vberes adhuc ei lacrymas eliceret. Alius cùm enixè Deum rogasset gratiam sibi dari ad peccata lacrymis delenda, tantam earum copiam consecutus est, vt adesa luminum vi pro iis sistendis precari debuerit. Sed finis aliquando faciendus. Ad festa Paschalia duo sacerdotes Ressam Canonicorum rogatu profecti sunt: qui inusitata benignitate accepti, decem diebus ibi substiterunt, & catechismo tradendo, habendisque concionibus incolas omnes in Societatis nostræ amorem conuerterunt. Sex circiter hæretici ad Catholicos reuersi. cætera cum pleriſque aliis communia.

## *Residẽtiæ Erfurdiana & Altenensis.*

### *Item Missio Aquisgranensis.*

OCCVPARVNT se nostri duo sacerdotes Erfurti in audiendis confessionibus, & sacra communione porrigẽda. Et quamquam vix altaris vnius habeant vsum in Ecclesia Collegiata, quæ eadem est parochialis; plures tamen apud eos conscientiam exonerant, & Eucharistiam extra tempus Paschæ accipiunt, quàm in vlla hîc parochia Catholica. imò plerumque noster numerus, quamquam exiguus, æquat ferè ex omnibus septem parochiis collectum. Horum Sacramentorum gratia nostros ferè accedunt, qui per vrbem hanc iter facientes, aut hoc fine huc è locis aliis excurrentes cælesti pane refici cupiunt. In duobus Sanctimonialium cœnobiis opera nostra posita est partim exhortando, partim confessiones excipiendo. Effectum, vt ritè professionem suam intelligerent, quotidianæ contentiones tollerentur, & in commune conferrent, quod singulæ cõtra paupertatis votum peculiariter possidebant. In hoc hominum genere eò magis labor noster fuit necessarius, quòd monasteriorum septis inclusæ, & à nullo mortalium ad religionem informatæ, longè sint rudiores, quàm qui in sæculo viuentes, de Christiani hominis officio publicè docentur. Instructi præterea sunt cùm publica interdum concione, tum priuatis colloquiis nonnulli: qui vel omnino Catholicæ religioni se adiunxerunt, vel suspecta cœperunt habere sua dogmata, quæ hactenus adorauerunt. Quam in rem oportunis locis & personis idonei libelli distributi sunt. Absoluti ab hæresi quinque, & videntur optare multi illa tempora,

pora, quibus liceat absque nota hîc locorum, Catholicæ fidei sese reddere.

ALTENÆ perquam angustè adhuc & periculosè, nec tamen infructuosè habitamus, vt partim ex annorum præcedentium litteris, partim ex iis, quæ nunc scribenda sunt, intelligi potest. Aduectę nobis pretiosæ reliquiæ de regia & parthenica B. Vrsulæ societate, deque SS. Martyrum Thebæorum legione à Mindensi quodam Canonico: quas cùm prosequeretur ex vrbe Hamburgensi Frater noster, effracto per ministros publicos explorandi caussa dolio, & Fratre per insignem iniuriam è pollicibus tantisper suspenso; ipsæ tamen inuiolatæ, nec ab hæreticis conspectæ, summa cum nostrorum consolatione perlatæ sunt, & Catholicorum ad nos conuenientium expositæ venerationi. Grauior impugnatio & diuturnior à Luthericis Ministris. Incipiebāt obire conciones apud nos, & consuetudine nostrorum hominum delectari frequentes ex Hamburgensi ludo studiosi, ita vt sordesceret quibusdam Lutheranismus, & arrideret fides orthodoxa, quam & vnus fuerat amplexatus. Hoc odorati vultures illi nihil non agunt, seu per se, seu per ludi moderatorem, donec viam illis ad nos intercludant. Pro concione verò quidquid vsquam per Galliam, Belgium, Poloniam confictum in odium Societatis est, id pro puro puto Euangelio venditantes, ad extremum Caucasum relegari nos vrgebant, irrito tamen conatu apud ciues pacis & tranquillitatis amantes. Fuit ex illis cuiusdam intoleranda linguæ petulātia, nostrum coëgit in gratiam Catholicorū adire eius in vrbe concionem, deque ea colloquium cum ipso exposcere: sed nimirum eo euentu, vt loco salutationis immanes audiret criminationes, ac nebulonis Iudæque proditoris ornatus elogiis abscederet,

deret, insuper autem de innocuo aditu, tanquam de atrocissima iniuria apud Senatũ accusaremur. Obtentumque nobis vt interdiceretur, ne ciuibus nostrum tugurium & sacellum vltrà patesceret. At enimuerò recitata in Senatu apologia nostra, egregiè Prædicans ille cum toto ministerio repressus & pudefactus est, addita commonitione Iesuitas vti missos facerent, ni pro gloria ignominiam reportare vellent. Porrò Frisij Caluinistæ cùm in anchoris ex aduerso domunculæ nostræ constitissent, intellexerant aliquos ventitare ad sacra milites Hispanos. Distributis proinde vigiliis occasionem obseruabant, vt egredientes abriperent. Vnum è via, alterum è latebris ædiculæ nostræ raptantes in nauem compegerunt, minimumque aberat quin sacerdos noster sortem illam subiret. Vtrumque, vt fama est, paucis pòst diebus vita mulctarunt. Feliciùs alij decem partim Hispani, partim Lusitani, quos Hollandi secum ex insula Canaria captiuos adduxerant. Hi enim squalore carceris cùm enecti propemodum fuissent, domi nostræ spiritualibus æquè ac temporalibus alimentis per menses aliquot recreati solum patrium liberi repetierunt. Ab Hollandis etiam ex insula Subbæ adductus erat Æthiops, quem aliquot annis Amsterdami detinuerant, bestiæ potiùs quàm hominis vitam agentem. denique donatus mercatori Catholico nobis formandus traditur, & mensis spatio catecheſi quotidiana instructus, sacro fonte à nobis ablutus est. Mirabatur domina eius, quomodo tam breui tempore totam doctrinam Christianam apud nos haurire potuisset, qui integro anno vix duas voces apud hæreticos, *Vader onse*, arripuisset. Ex hæreseos stygè capita fluctuantia quatuor ad Ecclesiæ Catholicæ littus attraximus. In vno sacras

Baptismi

Baptismi cæremonias ab hæreticis contemptim omissas suppleuimus: quem deinde, cùm etiam piè meditãdi ratione adiutus esset, planè in alium hominem commutatum esse domestici sensere. Conciones tanto numero sunt frequentatæ, vt necessum sæpe fuerit columna inclinantem sacrarij trabem sustentare, ne, qui sacris mysteriis intererant in capita subtus stantium, vna cum tabulato ruerent. Qui sacram synaxim apud nos inierunt, fuere supra centum & sexaginta. Adiecta ad concionem pomeridiana catechesis, raro quidem auditore, sed paulatim, vt speramus, amplificanda. Datum etiam aliquantum auxilij spiritualis duobus sacrarum virginum monasteriis in ditione Bremensi. Angustias rei familiaris laxauit crebra amicorum charitas. Redundauit eadem in bibliothecam, quę libris aliquot, & globis Mathematicis ornata est.

De AQVISGRANENSI Missione, quæ sub finem æstatis initium accepit, nihil dum annuarum allatum est: melius in annum sequentem, aspirante diuina gratia, matureſcet.

## PROVINCIA AVSTRIÆ.

DVODECIM Collegiis, vna Domo Probationis, tribus Residentiis, & quatuor Missionibus Austriæ prouincia Dei beneficio hoc anno supra omnes elapsos aucta, socios numerat 407. In Collegiis quidem Viennæ 45. Græcij 69. Olomucij 33. Brunæ 69. Selliæ 14. Labaci 12. Glacij 14. Pragæ 38. Commotouiæ 18. Crumlouiæ 23. Nouodomi 14. Claudiopoli in Transsyluania 25. Albæ Iuliæ 4.

In Residentiis verò, in S.Bernardo 6. Thurocij 8. Milstadij 5. In Missionibus autem Lincensi, Durotiensi, Sackmariensiq́ue (nam vna est) Mezericzensi, & Varadinensi 8. bini nimirum sacerdotes in vnaquaque. Præter P.Prouincialem atque eiusdem socium. Vita functi sunt hoc anno septem; recepti in Societatem quadragintasex.

## *Collegium Viennense.*

IN Collegio Viennensi personæ Societatis 45. hoc anno vixere; Patres decem & septem, reliqui tum scholarum magistri, tum Philosophiæ auditores, tum rerum domesticarum administri. Magnam multitudinem, tam externorum quàm nostratium hac indies iter facientium, eorumque duos multis hebdomadis morbo implicatos, Collegij tenuitas, ea qua potuit hospitalitate caritateque excepit & tractauit. Tres extremum vitæ diem morte confecerunt. P.Richardus Storeus Anglus, Coadiutor formatus, qui quadraginta propemodum annos, non sine spiritualis profectus emolumento consummauit, in variis instituti nostri officiis exercitatus, in multas orbis prouincias obedientiæ iussu euocatus, vbique & propriæ abnegationis ac humilitatis, denique virtutum solidarum, quæ ab vnoquoque nostrûm requiruntur, expressa relinquens vestigia. Ter fuit in expeditionibus Hungaricis contra Turcos susceptis, in quibus nemo non vnicè illum propter singularem amplectebatur caritatẽ, quam omnibus vbique & prolixè & cumulatè exhibebat. Vltimum vitæ annum confessionibus audiendis, iuuandisq́; ægrotis penitus impendebat: quo in munere ita erat assiduus accuratusque, vt in diario vniuscuiusq; diei compendium lucrumque spiri-

spirituale studiosissimè consignarit. Nouem mensium spatio solas vulgi confessiones exceptas ter mille ducentas octogintaocto post obitum eius numerauimus, præter generales & studiosorum, & eius diei, qua in morbum incidit extremum. Alter è vita decedens fuit P. Georgius Millius Vormacienſis, decursis in Societate annis tredecim, Coadiutor item formatus, ad nostrum vir institutum idoneus: cuius virtus eximia iam in variis laboribus exercita & perspecta ab omnibus commendabatur. Tertius Ioannes Heusserus Argentinensis, domesticis ministeriis destinatus; annos sex in illis, officio functus infirmarij compleuit, non sine lucro solidæ caritatis; quam mira cum patientia, promptitudine & assiduitate ęgrotis demonstrauit. Præterea studio & assiduitate orationis ac religiosa promptitudine ad nutum Superiorum præluxit, carusq; omnibus magnum sui desiderium moriens reliquit. Societatem nostram duodecim hoc anno ingressi, quorum quatuor è domo conuictorum prodierunt: quinque nostrorum approbatione ad aliorū Religiosorum cœnobia sese contulerunt. De more diebus Dominicis rudis plebecula vnà cum tenella ætate ad pietatē, & ad cognoscenda fidei rudimenta, accessione in dies plurium, fructuque vberiore instruitur: nam & concionatorum numerus succreuit, ne tota moles paucorum humeris inniteretur. Hi vnam ad Sereniſſimum Archiducem, ad populum duas ordinariè, præter crebras quæ festis diebus occurrunt, habent cōciones: cuius sementis identidem manipulos referunt cum exultatione. Horum enim concionibus inflammati, alij pudorem confitendi correxerunt, alij errores in fide à puero imbibitos magno multorum exemplo eiurarunt. Et quidem confessiones generales 190. auditæ. Ad

vnam

vnam communionis ſpeciem perducti ſeptem. Tres alij circa eius vſum vacillantes confirmati. Tres ab octauo milliari cõfeſſionis gratia noſtros adierunt. Circa ſacrum Paſcha ducenti ſupra quatuor millia in templo noſtro ad ſacram acceſſerũt ſynaxin. Cæterùm ab hæreſi 194. abſoluti: horum duo prænobiles prouinciæ huius proceres fuerũt, quos loci Ordinarius, inſpectante tota fermè Sereniſſimi Principis aula, publicè in templo abſolutos Eccleſiæ Catholicæ reconciliauit. Magna ſpes nos tenet tam præclaro illorum exemplo inſignem & ſubditorum, & aliorum Auſtriacorum breui futuram conuerſionem. Inter reliquos nobiles quidam etiam equeſtris Ordinis vna cum coniuge perfidiam deſeruit: in cuius territorio cùm peruerſi dogmatis Buccinator ampliùs triginta annos hæſiſſet, repetente Imperatorio decreto omnia Catholicorum templa parochialia; parochiam deſerere coactus, receptus fuit ab hoc domino, adhuc errorum laqueis conſtricto in arcem propriam, ea tamen conditione, vt à ſuis exercitiis alienos ſubditos omnes excluderet. Hic ille reluctari, ſuperbiùs importuniuſq; dominum alloqui. iſte hominis inſolentia exacerbatus, ex arce eum deturbare, Catholicos adire, eorumque inſtructionem non ingratus admittere. Quare veræ fidei lumine illuſtratus, de more facta priùs cuidam è noſtris confeſſione, ſolemni ritu per Dominum Vicarium Epiſcopatus Viennenſis in foro exteriore hæreſis vinculo ſolutus, ſub vna tantùm ſpecie Chriſti Domini noſtri corpore refectus eſt. Sunt in dominio ditioneque eius familiæ circiter 100. quæ omnus conuerſæ domini occaſione, ad rectam viam, de qua deflexerant, reducuntur. Difficilis cuiuſdam nobilis adoleſcentis in noſtris ſcholis litteris operam nauantis ad fidei veri-

veritatem reductio fuit, propter potentes cognatos, ob quorum auctoritatem diu cunctabatur. Tandem visione Christi & eius Matris sanctissimæ partim motus est, partim terrore compulsus, vt sese erroribus animique angoribus liberaret: quod & fecit periculo se committens amittendæ hæreditatis, quæ supra ducenta florenorum millia allatura illi credebatur. Virgo Turcica fidei articulos edocta, & Iudæi quinque sacri fontis lauacro regenerati ad Ecclesiam Catholicam accesserunt. Ex illis duorum conuersio sicuti insolita, ita magnum Iudæis, parentibus præsertim ipsorum, quos hic habent prædiuites, mœrorem, Christianis verò gaudium peperit. Nullum non mouerũt lapidem Iudæi, vt calumniis, mendaciis, minis eos à consilio deterrerent: sed animati roboratiq; vnius è nostris adhortatione facilè terriculamenta eluserunt vniuersa. Laborant vt plures iam vacillantes post se adducant: quorum non difficilis esset ad nos accessio, si modò bonorum suorum hæreditatibus ab amicis non excluderentur. Ad Catholicam communionem, clam parente, adductus quidam studiosus. Alterius iam triduo in agone mortis constituti, cùm spes omnis & à medico peritissimo, & à parentibus deposita esset, superuenit sacerdos noster, rogauitque parentes, alterum Catholicum, hæreticam alteram, vt in vota filij, B. Virgini Collensi nuncupanda, consentirẽt. quod simul atque à promptis animis impetrauit, conuersus ad filium aurium linguæque beneficio penè destitutum, incepit conceptis præire verbis, magnam Dei matrem pro valetudine pristina inuocando studiosus ægrè admodum vel vltimas syllabas, easque refractas repetebat. peracto tamen voto omnium stupore & admiratione postridie cibum admittere cœpit, quem multis

antè

antè diebus ne gustare quidem poterat, breuique tempore D. Virginis patrocinio recuperauit sanitatem. Quidam maligno infestabatur spiritu, qui varia ei vitæ eripiendæ compendia ostendebat: quin adeò hominem exagitabat, vt exterior corporis trepidatio non difficulter interiorem declararet. subinde dum ad pedes confessarij animi expiandi caussa, supplex flectebat, ab ipsa linguæ ora, crimina in abdita mētis retrahebat. Tandem à nostro sacerdote variis spiritualibus præsidiis, maximè agni Dei gestatione adiutus, quà corporis, quà mentis, magno Dei beneficio consecutus est tranquillitatem. Alius de venia peccati consequenda despondens animum, & iam solâ morte remedium malo suo quærens, per nostrum ad saniorem mentem reductus, & solitis Sacramentis munitus periculum euasit. Alius item terroribus nocturnis & phantasmatibus diuexatus, de consilio Patris nostri pij operis exequendi voto facto, omni molestia liberatus est. Mulier quædam dæmoni sese propter rei familiaris implicationem deuouerat, iam ad certum locum chirographo sepositò; quod tamen oportunè Patris nostri interuenientis suasu, receptum fuit, ipsaque per pœnitentiam salutarem Deo reconciliata. Beati P. N. Ignatij subscriptio etiam in Austria virtutem cœpit declarare suam. Nam cùm materfamilias vna cum ancillis acerbiùs à spectro, etiam in humana effigie apparente diuexaretur; ab iis, quibus id officij in Ecclesia Cathedrali incumbit, postulauit, vt consueto exorcismo domum suam à tali molestia immunem redderent: repulsam passa, saltem duas Missas pro redimenda vexatione offerendas impetrauit. Nihil remittens phantasma, verbera insuper addidit domesticis. Consilij inops materfamilias à sacerdote nostro accepit B. P. N. Ignatij

Ignatij effigies duas ianuis affigendas; eiusdē verò subscriptionem loco magis infesto appendendam. quod simul atque peractum, omnis illa infestatio continuò quieuit. Quidam vulnus in pectore sursum quatuor digitis latum, & octo profundum acceperat, duabus insuper abscissis venis. vitam amissurus propediem videbatur; vsum certè dextri brachij quoad viueret. Accersito nostro confessario Sacramentis solitis communitus, sacrum in honorem sanctæ Annæ pro se ad placandum Deum fieri flagitauit: quod dum peragitur, meliusculè habet, & sensim recuperat de integro & sanitatem, & brachij vsum. Adolescens quidam è nostris scholis lethali morbo correptus, ex nulla re maius ægrimoniæ alleuamentum se percipere identidem commemorabat, quàm ex cuiusque è nostris conspectu. is peracta confessione, quam sæpiùs de more iterabat, ac communione sacra percepta tanto est repletus gaudio, vt se vix per dies aliquot caperet, omnibusque præsentibus maximam pareret admirationem, quibus & obitus sui diem octiduo primùm, iterum pridie prædixit. ad quem dum iam se præpararet, paradisi gaudia se intueri referebat, in quorum possessionem aliquanto pòst pedem erat illaturus, exigua præuia expurgatione. quod sanè eius vitæ innocentia & integritas pollicebatur. Eius etiam animo olim sederat, si ætas maturior accessisset, hæreditatem sat amplam in pios vsus dispertiri. Odia inueterata nostrorum hortatu multa deposita, & ardentes inimicitiæ restinctæ. Nouem coniugatorum paria rixis intestinis dissociata, ad amoris concordiæque iugum reuocata. Ægrotis & pauperibus tam quoad animam, quàm corpus succursum. Multis chartæ superstitiosæ, & libri magici erepti, & igni traditi. Vni iam capite plectendo

do Patris nostri rogatu vita impetrata. Quidam Catholici speciem præ se ferens, multa falsò dedita opera, ad fidem confessarij probandam in confessione ficta intexuerat, expectans, an quid eorum sibi in iudicio obiiciendum foret. Verum vbi nihil falsò in confessione dictorum in extremæ sententiæ latione prælegi aduerterat; tandem sacerdotum Catholicorum sinceritatem approbauit. resipuit ergo, seriùs quidem, cùm iam-iam manibus & pedibus rota cõfractis, extremus ictus in collo excipiendus esset. tunc enim confessarium accersiit, fictionem extra Sacramentum aperuit, & deprecatus est, ac dein se de malè perpetratis candidè confessionem repetens accusauit. Inanem non fuisse pœnitentiam vel hinc colligitur, quòd triduo pòst vxori apparuerit, ab eaque interceſſionem apud Deum pro anima sua postulauerit. Decem rebellibus Pappensibus, vni in quatuor partes secando, tribus in palum infigendis, & sex capite plectendis, dextris priùs amputatis, tantos nostri animos & solatium tantum addiderunt; vt cruciatus acerbissimos omnium cum admiratione perferendos beneficij loco reponendos existimarent. Ad detentos in carcere binæ Dominicis diebus exhortationes habitæ, & additæ semper aliquæ eleëmosynæ, quibus eorum nuditas famesque curata. De scholis nostris hoc addendum, eas & nobilitate & frequentia, & verò etiam diligentia discipulorum, his turbulentis temporibus satis floruisse: subindeq; principes viros, quorum hac transeuntium erga nos beneuolentia & humanitas non vulgaris elucet, varietate versuum ab illis esse exornatos: triaque drama-ta data; primum in Bacchanalibus de Vdone Episcopo iudicio Dei condemnato; alterũ ad festum Corporis Christi, de idolo Dagon ante arcam Dei collapso,

collapso, cui & Sereniſſimus Archidux Matthias interfuit ; poſtremum ad ſtudiorum renouationem, de S. Martino Turonenſi Antiſtite. Congregatio ſtudioſorum ſub tutela B. Virginis ſimul pietatis feruore, ſimul plurium acceſſione inſigniter illuſtrata. Quatuor ſacris commentationibus exculti non ſine fructu deſiderato. Piorum virorum liberalitas Collegij tenuitatem & anguſtias circiter mille, templum verò centum florenis ſubleuauit: ad cuius ornatum etiam aliquot caſulæ acceſſerunt. Tandem domus, quæ ſola in Collegij inſula angulum occupabat, multumque vſibus noſtris officiebat, ſimul cum perampla horto ſuburbano empta eſt ab hæretico poſſeſſore 6300. florenis. Hæc ſunt, quæ domi contigerunt: foris etiam nonnulla. Duo Patres in expeditione contra Turcos cum Comite fratre Ducis Mercurij fuere, qui oportunam ſæpenumero opem & moribundis & egenis tulerunt. Duo alij adhuc in Linezenſi Miſſione commorantur. Eſt autem Linezium ſuperioris Auſtriæ caput, ad ripam Danubij ſitum & celebre valdè emporium. Eò Patres noſtri miſſi poſtulante Sereniſſimo Archiduce Matthia, paulo antè hæreticis Miniſtris inde exturbatis: tum vt pauculos Catholicos veteres in fide confirmarent : tum vt hæreticos concionibus diſputationibuſque ad rectam viam reuocarent: tum denique vt de extruendo Collegio ibidem rationem inirent; maximè quòd ſcholæ fuiſſent ibi olim & ampliſſimæ, & iuuentutis frequentia celeberrimæ. Noſtri ab initio, controuerſiis prætéritis, moralia pro concionibus tractauere: quæ res aduerſariis calumniandi noſtros, quaſi ſub hac pelle ouina eos decepturi eſſent, occaſionẽ præbuit: cumque præſertim noſtri auctores fuerint electorum Miniſtrorum & ludi-

magistrorum Euangelicorum. caueant ergo laqueos, videant, ne Latinis scholis amissis, perdant & Germanicas, sicque breui teneram ætatem Papistica doctrina imbutam videant. Pulsus campanarum in pompa funerum hæreticorum, cantus & scholæ comitatus ad illud tempus concessus, cùm post nostrorum aduentum sublatus esset, culpam omnem in nostros, neque frustra coniecerunt. Quare omnes omnino ciues iuramento se obstringunt vitaturos nostrorum & cõcionem & conuersationem. Magistratus auctoritate sub mulcta pecuniaria ad templa Catholica reuocantur, sed frustra. Persoluerunt eam quidam priùs carceribus cõclusi. Hinc odium magis in nostros concitatum. Fouent eos in spe recuperandorum Ministrorum Domini prouinciales eius ditionis, triginta circiter, quorum duo tantùm Catholici. Quare qui ad fidem veram afficiebantur, animos abiecerunt, persuasi non diuturnam futuram Catholicam reformationem. Et iam quidem Turcis tradita Canisia id pro certo credunt, putantes Imperatorem non posse animum intendere & Turcicis vastationibus, & religioni restaurandæ. Quòd si apud prouinciales nostri instant, vt potestatem offerant Ministris suis secum vel disputandi, vel familiariter conferendi, continuò repulsam patiuntur. Has ob caussas nostris Linezij fructum desideratum faciendi omnis ferè hactenus aditus prœclusus fuit. Sed tamen Dei beneficio in tanta hæreticorum colluuie, & animorum in Catholicos exacerbatione ad veræ fidei doctrinam complectendam duodecim perduxerunt. Sub vna specie his septem mensibus communicarunt ad 300. In festo Corporis Christi vni è nostris à Domino Decano oblatus honos Venerabile Sacramentum ex more per vrbem circumferendi.

rendi. In qua pompa ad tria millia hominum sequebantur, cùm antè vix vltra centum numerati fuissent. Pro serenitate aëris obtinenda ad quadrantem milliaris extra vrbem supplicatio ad D. Margaretæ instituta: quo die multùm ab hæreticis irrisi fuerunt Catholici, sed sequenti serenitas exoptata venit, diuque perdurauit. Confutatum est solidè Rectoris prouincialium scriptum contra nos diuulgatum. Apologia Patris nostri sæpiùs à Catholicis descripta, ipsis fuit in fide confirmationi. Domini cuiusdam filia grauiter ægrota nostrorum expetiit preces. addidit parens eius pium opus, reficiendo templi, in quo sacris operamur, tectum. dum opus eius, & preces nostræ feruent, vis morbi continuò deferbuit. Mulier quædam Patri nostro permolestum facessiuit negotium. morbo graui oppressa ipsum accersiit, in fide instrui postulans. voti particeps effecta, confessa est & communicauit ritu Catholicorum: mox acerbiore capitis dolore correpta de statu mentis deiicitur, seq; damnatam ob discessum ab Euangelio hæreticis astantibus, & alia eiusmodi perfrequenter ingeminat: postero die se sanam simulans fuga se subtrahit. Tum hæreticorum alij iactare illam manus violentas sibi intulisse, alij in aquam se præcipitem dedisse, omnibusque persuadere Catholicæ fidei fructum non alium esse quàm desperationem. Sed tertio die reperta mulier illorum mendacia aperta confessione redarguit. Interrogata enim in præsentia eorundem, qui etiam insanienti adfuerant, quonam animo horrendas illas voces emisisset; vi morbi expressas respondit, se verò & Catholicam esse, & Catholicam morituram, sicque post paucas horas sub manibus nostris animam Deo reddidit. Similem calumniam hæreticorum (vt genus est hominum

facile ad mutuandam è mendaciis suæ perfidiæ probationē) quidam extremo supplicio affectus, & sub ipsam executionem sententiæ ab hæresi conuersus, in supplicij loco publica protestatione egregiè confutauit.

## Residentia S. Bernardi.

SEX in Residentia S. Bernardi personæ anno transacto habitarunt. Diebus Dominicis & festis binæ ad populum conciones factæ sunt. Parochiæ ruralis vnius curam & onus etiam nostri impigro labore sustinuerunt, & ad fidei Catholicæ veritatem octo perduxerūt. Scholæ, quas ante triennium pestis dissiparat, hoc anno iterum institutæ vbere fructu agrestis iuuentutis. Denique domus ampla in alio opido nostris vsibus accommodatissima iam-iam fermè perfecta est & absoluta.

## Collegium Græcense.

VERSANTVR in Græcensi Collegio sexaginta-nouem, sacerdotes viginti, scholarum inferiorum magistri sex, Theologiæ ac Philosophiæ professores sacerdotibus annumerantur. Profitentur autem sacram Scripturam vnus, Scholasticam Theologiam duo, Casus conscientiæ vnus, Philosophiam tres, Mathematicas disciplinas & Ethicam vnus. studiosi Theologiæ sunt tredecim, Metaphysicæ octo, Physicæ septem, Logicæ quatuor; reliqui sunt Coadiutores. Firma & constans fuit ferè omnium valetudo. Ad laborem nobis submisit Dominus septem; aliis Religiosorum Ordinibus alios nostris è scholis. Vnum Dominus ad præmiū euocauit Georgium Iosephum, qui cùm in sacrario diligenter ac feliciter deseruiret,

uiret, subitò peste correptus mox animam Deo piè commendauit, & intra paucos dies reddidit. Cæteri, quæ Dei est benignitas, tanto in numero tempore hoc periculoso optima semper vsi valetudine. Hic omnium conatus fuit, vt litteræ cum pietate propria & aliorum salute pari laude iungerentur. Dominicis ac festis diebus habitæ conciones ad populum tres, non sine fructu, siue in Deum pietatem spectes, siue ad fidem Catholicam conuersionem. Sanctis Societatis nostræ meditationibus nonnulli exculti. Cùm ad finem vocati sunt ægri, spe & solatio erecti libentiùs è vita discesserunt. Ægris ac egenis præstitũ auxilium, animis corporibusque prouisum. Inuisum sæpiùs hospitale ciuium; habitæ exhortationes: exceptæ aliquoties in anno confessiones: rixę & odiũ inter non vulgares frequenter sedatum, ob quod annos complures sacram communionem neglexerunt. Errori & funestæ hæresi renuntiarunt centum & quinque; quorum nonnulli viri docti, nobiles, ciues plerique honestissimi; nonnulli sexagesimum ætatis annum excesserant, alij acerrimi olim veræ fidei hostes fuerant, & erroris auctores ac doctores. Duæ matronæ primariæ inter prouinciæ Proceres, diu pertinaciter perstitere, tandẽ ad Ecclesiæ gremium rediere. altera vidua erat: hæc post anni & amplius deliberationem & erroris sui defensionem, tandẽ Patris nostri (quicum frequenter de fidei rebus agebat) preces exegit, & ipsa noctem illam vigilem & insomnem duxit in oratione, vnà cum pedissequa similiter hæretica, vt fidei cognosceret veritatem. manè facto, sese humiliter sacerdoti submisit, amplius edocta & instructa est de omnibus ad fidem & salutem necessariis: & sic conuersa & confessa, sacra Eucharistia recreata, vitam agit verè Christianam. Euo-

cati sunt nostri, si vnquam aliàs, ad varia Styriæ opida, vrbes, castella: multæ & frequentes habitæ conciones, multorum exceptæ peccatorum confessiones. Sanè paucos intra dies sacerdos vnus è nostris, vno in opido quinquagintasex ciues pœnitentes, à scelere & hæresi absoluit, & sacra Eucharistia vna sub specie recreauit. Non pauci ad nos Sacramentorum caussa peregrè aduolarunt. In variis conscientiæ Casibus consulti sumus, & consuluimus. Concubinario erepta concubina. Persona sacrilegij rea, post vitæ totius maculas per confessionem purgatas, ad suum vnde recesserat, rediit monasterium. Alia matrona sacra agni Dei in cera expressa imagine, ab infestatione molesta & frequenti dæmonis est liberata. Funebres habitæ conciones. Duos sumus comitati, qui vltimum supplicium subituri erant. Aliis auctores fuimus, vt vitam honestè ducerent. Sacro Baptismo in templo nostro tinctus Mahometanus est, è fonte susceptus à Sereniſſimis Ferdinando & matre. Virgo quædam rusticana annis omnino septem à dæmonibus vehementer afflicta & obsessa, post multorum diuersis in locis conatus, à nostro sacerdote triduo liberata est; ipso sanctissimi nominis IESV die, cui nomini & B.P.N. Ignatij meritis, cuius & reliquias obsessa inter palmas concludebat, noster sacerdos plurimùm confidebat, remque omnem ieiunio, oratione, Missæ sacrificio, mortificatione, verberatione, Deo & Diuis, Virginiq; matri per se & nostros sedulò commendabat: sic tandem nonnullis nostris præsentibus & orantibus spiritus maligni cesserunt, virginemque deseruerunt Adolescens quidam nobilis & humaniorum disciplinarum non ignarus, sed Lutherana hæresi à puero infectus, è Prussia Vratislauiam in Silesiam commigrarat, inde Marburgum

burgum in Styriam: hic cùm fortè rerum & nummorum inopia laboraret, destitutus consilio & auxilio, dæmoni sese magnificè offerenti addixit, funestissimoque hosti chirographa duo, Vratislauiæ vnum, alterum Marburgi proprio conscriptum & conspersum sanguine commendauit, vt hæc pacti & fœderis initi testimonia exstarent. Hic tandem iuuenis spiritu Lutherano plenus, & dæmonis furore ac feruore quasi agitatus, Græcium ad nostros venit: vitæ suæ statum aperuit, inter pauperes, nostrorum consilio, studiosos viuit. cura omnis adhibita est, ne solus vnquam oberraret, ne desiperet: mox actum cum illo de fide; tandem cessit veritati, criminum exomologesin fecit, ac dum deinceps precibus, Missæ sacrificiis, ieiunio, mortificatione, flagris actum, quò Dei misericordia, Christi Dei parentis ac Diuorum meritis chirographa reciperet. nec spes precesque vanæ, chirographa recepit, frequentissimaque concione nostro in templo ac altari, quod omnium in oculis erat, exusta sunt. Opulentioribus persuasum, vt pauperum eo die, quo sacram sumpserant synaxin, memores essent: simul matronæ nobiles suis in ædibus, nostrorum consilio, sæpiùs egenis epulum dedêre. Vir primarius & liber Baro, sic ex pia & frequenti nostrorum exhortatione & consuetudine dona horruit & munera; vt cùm nescio quis, generosissimum ei equum & vasa vini optimi offerret, vt scilicet in re honestissima apud Serenissimum intercederet, Præstabo, inquit ille, sine munere, quod viri boni officium est: & cùm alter assereret se præmij, vel pretij nomine nihil donare, sed libera voluntate hæc offerre; respondit, Animum agnosco tuum candidum & liberalem, & me à te præsertim oblatum sine cauillatione acceptare posse beneficium: verùm vel

honestissima etiam à me procul sint dona: quippe viam facilem fortassis ad alia minùs honesta munera sternerent. Et quidem cùm ex nostrorum contentione & studio, plerique se Deo iungunt, Catholicam Ecclesiam, fidem auitam & religionem promouent, diuina mysteria frequentant, & sese diuino numini quasi totos offerunt; tum id potissimùm præstant Serenissimi nostri Principes, & quidem Serenissimus Ferdinandus, si in Ecclesiam Romanam, & fidem auitam ardorem eius & amorē spectes. is initio annitria proposuit decreta. Primum, si quis falsi dogmatis verbive Minister colonos aut ciues ad suas conciones admitteret, aut iis sua profana mysteria communicaret, à quouis caperetur, sibiq; sisteretur. Secundum, vt qui ius patronatus Ecclesiarum, vel Ecclesiasticorum beneficiorum possideret, ei legeret idoneum sacerdotem, quem Ordinarius Episcopus probaret: ni faceret intra duos mēses, seipsum hac vice iure patronatus vsurum, & sacerdotem nominaturum. Tertium, ne in Styriam suasq; prouincias libri inueherentur hæretici. Neque inania & sine effectu hæc decreta fuere: in diuersas enim Styriæ partes, Reuerēdissimus Secouiensis priscæ religionis & germanæ pietatis tenacissimus, cum aliis tribus viris nobilibus, non sine milite præsidiario, ex Principis commissione, visitationes suscepit quatuor, felicissimeque peregit: quintam denique in Carinthia quoque his proximis mensibus absoluit. In his autem visitationibus præstitum est, vt verbi Dei corruptores, populorum seductores, vel procul fugarentur, vel vinclis constringerentur: vtq; fana ab hæreticis erecta euerterentur (decem circiter euersa sunt, & septem cœmeteria) vt plebs omnis fidei priscæ, & fidei Catholicæ reconciliaretur. Nec irritus labor. Vel enim

enim reuersa plebs ad fidem, vel reuersuram se sacramento obstrinxit, vel Sereniſſimi Principis ditionem deserere est compulsa; denique actum vt libri vbique hęretici exurerentur. Sic effectum, vt viri nobiles & potentes, & in errore Lutherano pertinaces, qui sibi ius patronatus Ecclesiarum adscribebant, Episcopum consulerent, quem sua in Ecclesia sacerdotem proponerent ab Episcopo confirmandum. addo, è commissariis vnum, propriæ parentis Lutheranæ libros omnes hæreticos in matris conspectu exussisse. Atque hæc in commissionibus, quæ extra vrbem Græcensem per omnem Styriam fuere, facta audiuimus, & paulo pòst in ipsa hac vrbe fieri vidimus: in qua ingens librorum labe pestilenti infectorum cumulus rogo demandatus est; indignatione quidem magna & luctu fidei hostium, at orthodoxorum magna voluptate. Visitationis hæc forma erat: considebant vnam ad mensam medio quasi in templo parochiali Commissarij quatuor: conueniebat Senatus, & ciues omnino omnes: grauis erat pœna venire recusanti. duobus diebus habebatur oratio satis longa, lingua vulgari de origine hæreseos Lutheranæ, de vita ac moribus, leuitate, sacrilegio, apostasia Lutheri, de inconstantia & imperitia Philippi Melanchthonis, de confessione Augustana, eiusq; apologia & libro concordiæ, de pugnantibus sententiis cùm librorum, tum Prædicantium Lutheranorum; de antiquitate, amplitudine, constantia fidei & Ecclesiæ Catholicæ, de Sereniſſimorum Caroli & Ferdinandi in hæreticos ac perduelles suos subditos patientia, de eorundem amore suos in ciues. Quæ cùm copiosè satis & grauiter Reuerendiſſimus docuisset, mox concio omnis, quæ frequentissima erat, dimissa est, viritim reuersuri pro Commissariorum arbi-

trio. Ergo ordine singuli euocabantur; qui Catholici erant, facilè fidem sacramento confirmabant suam: hæreticis verò, qui id facere detrectabant, certi temporis spatium tribuebatur, quo deliberarent, an in fidem iurarent Catholicã, vel solum verterent. Si quis autem contumax, vel erroris aut dissensionis auctor esset; is derepentè, vel vrbe & prouinciis cedere iubebatur, vel in vincla coniiciebatur. vrbem & ditionẽ Sereniſſimi Principis deseruere non pauci, plerique tamẽ se fidem auitam ac Romanam susceпturos sacramento confirmarunt. Ad pietatem Sereniſſimorũ (quàm libentibus animis nobiscum communicant) quod attinet: visitant Sereniſſimi Ferdinandus cum coniuge, Sereniſſima matre, fratribus, sororibus hospitalia frequenter, largas singuli singulis pauperibus manu propria distribuunt eleemosynas, singulari animi voluptate, cum egenis ac ægris familiari quasi fruuntur colloquio. Instituerunt aliquoties publicas quadraginta horarum preces pro augenda religione, peste, fame, bello auertendo. His publicis precibus horis sibi assignatis Sereniſſimus Ferdinandus cum aulicis; suis item temporibus Sereniſſima mater cum gynecæo, nocte etiam intempesta sedulò adfuere, proſtrati cæterorum more, publicè in templi noſtri choro, summam ante aram, ac Dominici Corporis Ven. Sacramentum. Institutæ etiam supplicationes frequenter; magno Sereniſsimorum pietatis ac religionis zelo habitæ conciones. Addo, mensibus aliquot, in hunc vsque diem quotidie hora vna publicè psalmos decantari, & preces fundi; in quibus Sereniſsimi noſtri vniuerso populo & clero exemplo sunt & ædificationi. Liberalitatẽ requiris? Patribus Cappucinis hortum cum ædibus amplum & amœnum intra noua vrbis mœnia

Sereniſ-

Sereniſſimus Ferdinandus donauit, vbi ſacellum nunc erectum, in quo Miſſæ diuinæ peragunt myſteria, dum templi ædificium quod nunc exſurgit, perficiatur. Sereniſſima verò mater quam templis ac ſacerdotibus faueat Catholicis, hoc ſit argumento, quòd in dies ferè ſingulos, nunc huic, nunc illi parochiæ, monaſterio, ſacello, templo, quid ornamentorum ſubmittat. profectò die vno triginta omnino caſulas cum multis altarium ornamentis eſt elargita. Templi noſtri ornatus, qui hoc anno à Sereniſſima piiſque matronis collatus eſt, trecentorum omnino florenorum. Ad ſcholas noſtras venio, quarum eadem fuit, quæ anno ſuperiore frequentia, diligentia, pietas, indoles, nobilitas. Illud verò nouum, quòd in Sereniſſimi Ferdinandi nuptiis carmina cum emblematis fixerunt, & verſuum libellum Sereniſſimis ſponſis dicarunt humaniorum litterarum ſtudioſi. Addo, tragœdias duas biduo de Saule & Dauide actione, ſumptu, ſcena magnifica datas. Mitto donatas Collegio veſtes, & ornatum comicum, variis è ſpectaculis ſplendidum, pretioſum Mitto in Collegio noſtro oratione & carmine ſalutatos Illuſtriſſimos Cardinalem à Dietrychſteyn, Venetumque legatum. Mitto alia duo data dramata: alterum in conuictu noſtro, alterum noſtris in ſcholis, non ſine ſpectatorum approbatione. Id ſolùm attingo, à ſacerdote noſtro, Sereniſſimorũ Maximiliani & Leopoldi præceptore, inſtructam actionem comicam, exhibitam verò in aula Sereniſſimi ab Archiducibus Maximiliano & Leopoldo, pueriſque nobilibus honorariis, quorũ præclara eſt virtus & indoles. Princeps Maximilianus Theodoſij Imperatoris, Sereniſſimus Leopoldus S. Ambroſij Epiſcopi perſonas ſuſtinebant. Actio erat horarum trium, grauis & elegans, non ſine magna

magna delectatione, splendore, motu. Serenissimus Carolus, natu minimus, & posthumus actionem omnem gratiosè concludebat. Præter examina, concertationes Philosophicas & Theologicas Baccalaureorum, & magistrorum promotiones publicas, creatus est solemni ritu & pompa Baccalaureus Theologiæ formatus ex alumnorum P.S. numero; ordinati præterea ex iisdem alumnis sacerdotes quinque, subdiaconi quatuor. Conuictus noster, vti consueuit, frequens est & nobilis, & contentione in litteris ac pietate excellens. Spiritus sancti congregatio quatuor Societati nostræ dicauit socios, sacerdotem vnum, Philosophos duos & Poëtam. Fuit hic annus non sine felicitate & fructu: sed duplici malo circa finem correptus est, magno scilicet hostis Mahometani & periculo & terrore, necnon pestis contagione, quæ nos coëgit vacationes ad D. Virginis & Martyris Catharinæ festum protrahere.

## *Residentia Milstadiensis.*

Hoc anno 1600. vix aliud habemus notatu dignum, quàm quòd iam ferè omnes Milstadienses subditi, qui multis annis in hæresi vixerũt, partim operâ nostrorum, partim operâ DD. Reformatorum Sereniſſimi, partim exemplo opidanorum Milstadiensium, & vicinorũ subditorum (qui aliquot mensibus ante aduẽtum DD. Reformatorum ferè ad vnum ad fidem Catholicam redierant) etiam ad eandem se receperint. Libri hæretici opidanis Milstadiensibus ante aduentum DD. Reformatorum, per nostros fuere sublati, iam autẽ omnibus in toto distrietu Milstadiensi existentibus penitus tolluntur. Inter alios ab hæresi reductos nobilis quidam, post frequentem nostro-

noſtrorum cum eo habitam de rebus religionis concertationẽ, hæreſim, quam hauſit ab ipſo Philippo Melanchthone, cuius olim diſcipulus fuit, eiurauit. Reliqua Societatis munia, & domi, & in tribus vicinis pagis per noſtros exercentur. Concionibus populus, & doctrina Chriſtiana pueri Dominicis diebus extra cathedram erudiuntur.

## *Collegium Pragenſe.*

QVAMVIS initio huius anni, ob peſtis periculum, quod à proximè elapſo necdum remiſerat, 21. tantùm è noſtris in Collegio eſſent, acceſſerunt tamen ſenſim totidem alij, vt fuerimus in vniuerſum hoc anno 40. ſacerdotes quidem 16. (quorum fuerunt profeſſores quatuor, concionatores totidem: reliqui confeſſionibus & aliis muniis Societatis occupati) magiſtri quatuor, ſtudioſi Theologiæ moralis & controuerſæ quinque, Philoſophiæ in vno curſu duo, in altero tres: reliqui domeſticis miniſteriis deſtinati. In conuictu verſantur ex his ſacerdos vnus, qui regens eſt: & duo Theologiæ ſtudioſi. Admiſſi in Societatem ſtudioſus vnus humanioribus bene inſtructus, & temporales Coadiutores tres. Nullus (quæ Dei fuit miſericordia) hoc anno ex nobis deſideratus. Ad Februarij initiũ in Scholis Philoſophiæ, Rhetoricæ & Humanitatis cœpimus diſperſam colligere iuuentutem: elapſis duabus hebdomadis in omnibus ſcholis ordinariæ lectiones cœptæ ſunt. Theologia ſola ob penuriam auditorum poſt Paſcha reiecta. Curſui Philoſophico bis peſte impedito finis eſt impoſitus feliciter, decem ex diſcipulis magiſterij gradu condecoratis. Inchoatus verò eſt alter curſus etiã feliciter, omniumq; ſcholarum progreſſus ab aliis annis nihil fuit abſimi-

lis,

lis, siue pietatẽ, siue in studiis diligentiam spectes. Parthenia Sodalitas communem suum cursum etiam tenuit, tam in publicis de more supplicationibus, quàm in priuata Sodalium pietate. Quæ ipsa diui Eustachij tragœdiam maximo Dynastarum, & omnis generis hominum concursu ac applausu exhibuit. Commendat etiam huius Sodalitatis pietatem vnius eius alumni in seruandæ castitatis studio fortitudo, qui à duabus impudicis, quæ ad flagitium ipsum sollicitabant, fortiter se animo defendit. Italica etiam congregatio, quæ proprium habet templum in Collegio nostro, pietatis & deuotionis specimina præbuit consueta, in Sacramentorum frequentatione, pro hominum qui in ea sunt conditione, & publicis supplicationibus. Recreati sunt valdè omnes & singulari fauore & gratia Suæ Sanctitatis inprimis, qui ad ornatum sacelli perficiendum liberale subsidium misit, deinde R P. nostri, qui hanc etiam dignatus est primariæ Romanæ aggregare. Ornatum est hoc sacellum hoc anno eleganti altari, & tribus sacerdotalibus ornamentis. Spiritualis fructus à nostris hominibus hoc anno reportatus, non est ab aliis annis absimilis, siue concionibus, quæ pro more quaternæ, tam festis quàm Dominicis diebus, Bohemicè, Germanicè, Italicè & Latinè sunt habitæ, siue confessionibus, siue familiaribus cum proximis colloquiis. Hortatus aliquando auditores concionator noster, vt minùs honestas cantilenas fabulosasque (quibus hæc gens plurimùm delectatur) historiis veris & vtilioribus commutarent; multi ex illis in domibus suis libros tales Vulcano tradiderunt; alij ad ipsum Patrem igni tradendos miserunt. Idem concionator grauiter notauit pro concione superbiam & fastum feminarum, præcipuè quem ostenderent in crispa-

tis

tis collaribus: qua censura motæ duæ, quæ tactæ videbantur, omnino superbiam deposuerunt. & vna quidem modestissimo ac simplici in posterum vsa collari est. altera non deposuisse contenta, etiã ad Albæ sacerdotalis fimbrias prosollemnioribus festis ornandas, illud tanquam anathema deuouit. Sed multa sunt huiusmodi exempla ex auditis nostrorum concionibus. Illud non videtur omittendum: cùm de peccatorum confessione ritè peragenda concionator verba faceret, quendam inter alios adeò motum fuisse, vt quæ multis annis in confessione reticuerat, magno animi sensu patefecerit. Quod factum Deus miro quodam euentu approbauit. Exceptæ sunt à nostris confessariis generales confessiones (præter illas quas ab hæresi conuersi fecerunt) 120. Conuersi verò ad Ecclesiæ Catholicæ fidem 130. quorum vnus egerat verbi, vt illi appellant, Ministrũ: qui etiam in exteriori foro Ecclesiæ est reconciliatus ab Illustrissimo & Reuerendissimo Nuntio Apostolico. Instructus est etiam vnus in religione Catholica, qui Mahometana superstitione imbutus erat, & baptizatus est. Data studiosis duobus exercitia spiritualia, quorum alter in concepto Societatis nostræ desiderio confirmatus, ad nouitiatum postea missus est: alteri etiam sua vtilitas stetit. Vir, alioquin Catholicus, cùm præ simplicitate, an negligentia? templa hæreticorum frequentaret, abstineret verò totũ septennium, tam ab hæreticis, quàm à Catholicis Sacramentis; monitus à suis, vt se Catholicis coniungeret, nihil promouit: donec graui Deus morbo, & aliis ærumnis eum visitauit. Redditus sanitati confessarium quæsiuit, & Eucharistiæ Sacramentum, quibus feliciter potitus est. Matrona quædam in hæresi educata, ætate iam prouecta, in infirmitate consti-

constituta visa est sibi videre per quietem venerandum quendam prolixa & cana barba virum, vt tandem abiecta hæresi ad Ecclesiam rediret, admonentem, ac, si parêret, sanitatem pollicentem. Excitata à somno animo quid vidisset recolens, de conuersione cogitat, consilium cum domesticis communicat. illi à proposito blanditiis addendo minas deterrêt: sed nihil agunt. nam solo proposito conuersionis concepto sanitate recuperata a nostris instrui petiuit. instructa est, confessa est, communicauit, fideliſque perseuerat. Adolescens Anglus non dissimili ratione à Caluinianis ad Catholicam religionem est tractus. Videbatur is sibi ad cælum vocari, obuium verò habere B Petrum cæli clauigerum, cæli aditu prohibentem, quòd mundos pedes ille non haberet: ac minantem æternam damnationem, ni illos intra septem hebdomadas lauaret. Hoc viso dicebat adolescens se vehementer vrgeri, & simplicitas eius naturalis candorque exhibitus in confessione facienda, facilè suadet somnium illud à Deo immissum. Mulier hæretica, cum qua dum viueret maritus, diu frustra laborauerat, tandem ipso mortuo, ab Husitismo conuersa, confessa est, & communicauit. Ancilla quoque Catholica non irrisiones modò inter hæreticos, sed ab hæretica hera etiã verbera perpessa est, vt à fide recta discederet; ipsa verò fortior persecutionibus euadens, ipsam quoque vitam profundere parata erat pro fide tuenda. Conuersus post aliquot annorum conatus vir nobilis, perceptis Pœnitentiæ & Eucharistiæ Sacramentis, & fidei professione edita, & post aliquot hebdomadas ab Illustrissimo & Reuerendissimo Nuntio Apostolico Archiepiscopo Spinelli Confirmationis accepto Sacramẽto. Erat alias magni nominis & auctoritatis Caluinista, liberis

liberis ſuis in medio hęreticorum, vt maturè proſpiceret de Catholico pręceptore popoſcit, ſe, ſuos, ſuaque omnia noſtrorum conſilio committens, ſiue migrandum eis ſit, ſiue manendum, & quidquis perferendum: quamuis gratia ſibi à ſuis imminere non ignorabat pericula. Ex integro etiam Eccleſiæ Catholicę reſtitutus alter, qui cum antea Catholicus eſſet, à proprio ſeductus erat Parocho, legitimè quidem olim ordinato, ſed qui præter nomen & Ordinem Catholicum nihil catholicè ageret: ſine confeſsione Sacramentali ad communionem admittebat, & ſanguinem Domini ex cochleari porrigebat; ex Lutheranorum libris concionabatur. quia tamen Catholicus habebatur, multos Catholicos reddidit Lutheranos, quorum nonnulli ad meliorem inſtitutionem ſe offerunt: magna ſpe conuerſionis. Matrona item erat inter Huſsitas educata duodecim annis, aduerſa valetudine ad lectum afflicta. accerſitus noſter ſacerdos ad ægram de vita propè deſperantem, hortatus eam eſt ad Sacramenta Catholico ritu percipienda. Annuit illa, moxque de ratione ſe præparandi edocta Sacramentalem fecit confeſsionem. Cumque illi ſacerdos noſter ſpem faceret recuperandæ valetudinis, ſi relicto vſu vtriuſque ſpeciei catholicè ſub vna communicaret; communione ſacra percepta ſtatim conualuit: nec apud Huſsitas ſacramenta, ſed apud Catholicos frequentauit. Ea re tam inuſitata permotus maritus, non ſe potuit continere, quin poſt triduum eundem noſtrum Sacerdotem conueniret, ac rogaret, vt ſuam quoque ac liberorum confeſsionem exciperet: quem ille benignè acceptum, beneque in fide ac religione Catholica confirmatum, ſpirituali gaudio perfuſum, dimiſit; & vterque coniunx vnà cum liberis magno iam animi ardore in

templo noſtro Sacramenta frequentant. Profuit & alteri cuidam confeſſio ritè peracta apud nos non ſolùm ad animæ, ſed etiam ad oculorum ſalutem. cùm enim penè cæcus eſſet, expiato, vt dictum eſt, animo, cùm ad S. Wenceſlai ſacellum votum perſoluens ſacram Euchariſtiam ſumpſiſſet, meliùs multo videre cœpit. Cõuerſus eſt item alius à Lutheraniſmo accepta occaſione ex Lutheranorum Prædicantium inconſtantia, quos vidit à Luthero ad Caluinum transiſſe. Iterum, inquit, fortè ad Lutherum reuertentur, & quod modò aiunt, poſtea negabunt. Duo etiam ex noſtris conuictoribus conuerſi, confeſſi generaliter communicarunt: quorum alter fuit tam obſtinatus, vt noſtri de eius conuerſione penè deſperarent. Nobilis quidam penè quinquagenarius patre Catholico matre Picarditica natus, etſi multas prouincias peragrauerat, numquam tamen ſe reſoluerat an patrem ſequi vellet, an matrem in religione: tandem patris partes ſecutus confeſſus eſt, & communicauit. Vir quidam ex Equeſtri ordine nobilis, cùm ex graui caſu de vita periclitaretur, ita vt quinque dierum ſpatio nec loqui, nec cibum vllum capere poſſet, adhibito è noſtris ſacerdote mox & piè locutus ac confeſſus eſt; peractaque confeſſione hortatu ſacerdotis, cibum quoque ſumere cœpit. Prælatus cuiuſdam Religionis morbo extremè laborans, noſtrum ſacerdotem ad milliaria aliquot vocari curauit, cui ſuæ conſcientiæ rationem aperiret; quo adueniente, mox ad Sacramenta, tanquam ad ſacram anchoram recurſum eſt, Confeſsionis, Euchariſtiæ & Vnctionis extremæ; ac ſtatim conualuit, & ſanitati priſtinæ reſtitutus eſt. Reliqui Religioſi tanto exemplo ſui Prælati permoti, eidem noſtro ſacerdoti confeſsiones ſuas fecerunt. Vexatus quidam

dam spectris terroribusque magicis, consilium à nostro sacerdote accepit, vt generaliter confiteretur, & sumeret sacrosanctam Eucharistiam. fecit ille, & adiutus est. Incarceratis quoque nonnullis opera nostra fuit vtilis, non in spiritu tantũ, dum ad confessiones faciendas sunt perducti; sed in corpore etiam & rebus temporalibus. Dissidentes quoque grauiter, sunt reconciliati. Quæsitum quoque diu, & diuina ope inuentum tandem remedium scandalo, quo maximarum personarum fama & anima periclitabantur; reique publicæ, & ipsi religioni Catholicæ plurimùm incommodabatur. Qui hoc anno in tẽplo nostro communicarunt, quinque millia sexcenti numerantur. Institutæ sunt aliquot peregrinationes ab vtriusque sexus nobilibus, & mediæ conditionis personis ad specum præcipuè S. Ioannis, & locum in quo D. Wenceslaus à fratre proprio extinctus fuit (vterque locus tribus ab vrbe milliaribus distat:) in quo pietatis exercitio nostros Patres propter confessiones, & communionem sacrã comites habere voluerunt. Præcipua verò erat, quæ initio Iulij ad prædictam specum fuit instituta: in qua trecenti erant circiter; paucis exceptis, qui ob virium imbecillitatem curru vehebantur, reliqui omnes pedites iuerunt, multi etiam nudipedes. Egressi solemni cæremonia sub signis & vexillis sactis è monasterio montis Sion dicto, cum symphonia & Litaniarum cantu, tota illa multitudine respondente. Sub ipsam exeundi horam imber exortus cœnosam quidem & lubricam reddidit viam; sed nihil excitatos iam peregrinantium animos impediuit, quo minùs alacriter pergerent, nec ob plures postea repetitos imbres (quibus omnes ad ipsa indusia madefacti sunt) quidquam de constantia animi remiserunt. Cùm ipso crepusculo

pusculo vespertino ad specum ventum esset, ardentibus ad parves omnes in ea luminaribus, in multam noctem oratio genibus flexis producta est. Duo interea ex nostris Patribus aures assiduè pœnitentibus dabant. Quiete verò parui temporis capta à multis sub dio aut frondosis casulis excitatis propter loci solitudinem, reditum summo manè ad orationes & confessiones. Cantatum inde sacrum, quod concio Germanicè de peregrinationum contra hæreticos defensione (valdè enim ista hîc rideantur) secuta est; totam verò piam illam actionem cantatum aliud sacrum terminauit: in vtroque sacro communicarunt homines amplius 130. Adolescens erat in comitatu hæreticus, qui meditabatur antea quidem conuersionem, sed diuersis respectibus eam differebat: conspecto autem tot pœnitentium cum suspiriis & lacrymis ardore, ipse quoque peccatorum sarcina ad pedes sacerdotis nostri deposita, Ecclesiæ Deoque reconciliatus est, dilata tamen ob reuerentiam sacra communione. Illud quoque tunc mirabile vni ex nostris Patribus contigit, cùm ex valetudine, qua aduersa complures dies vsus fuerat, itineriſque defatigatione ex pluuiis graui dolore capitis, & totius corporis languore affectus esset, vt vix pedibus staret, & sub finem illius itineris subsistere quasi ad tertium quemque passum cogeretur; tandem penè aliorum manibus in specum sacram illatus ad Sancti sepulcrum breui oratione facta, sanum se ac vegetum è vestigio sentit, vt & confessiones audire, & sacrum cantare, etiam cùm humi noctu iacuisset, sine difficultate potuerit. simile quid alteri Patri eius socio accidit, qui etiam concionari postea potuit. Processio sanctissimi Corporis Christi consuetum tenuit cursum & solemnitatem, ac tam principum viro-

virorum, quàm populi frequentiam. Hoc etiam singulare habuit, quòd Illustrissimus Nuntius Apostolicus sacratissimâ gestauerit Eucharistiam, quo non solùm suam ostendit deuotionem, sed in nos etiam propensionem. Ostenderunt nobis hoc anno præcipui regni Officiales propensum in nos animum, dum honoris caussa, epulum in Collegio nostro cum aliquot Baronibus aliis ac nobilibus sumpserunt, & tum in eo, tum aliàs quid de Societate sentirent ac quanti illam facerent sunt professi, palàm asserentes, quidquid religionis Catholicæ in hoc regno esset, sine controuersia tribuendũ esse Societati. Illustrissimus Cardinalis de Dietrichsteyn, cùm Pragam ad Maiestatem Cæsaream veniisset, Collegium nostrum humanissimè inuisit, ac sacrum in templo nostro peregit; excipientibusque illum studiosis, tam ligata, quàm soluta oratione, non est dedignatus se veluti socium illorum appellare, qui in eisdem scholis permultos annos sub nostra disciplina litteris incubuisset: discessurus postea in Vrbem casulam aureæ telæ elegantem, qua ipse aliquando vsus esset, nostro templo donauit. Resumpsimus hoc anno templi fabricam à viginti annis intermissam. & successit Deo bene propitio hactenus feliciter, omnibus hominibus externis ferè stupescẽtibus, quòd tam breui tempore tanti muri ad summitatem vsque sint erecti, & interiores columnæ maiori ex parte perfectæ; cùm tamẽ tanta sit hæc pars, vt pro sufficienti tẽplo sola illa sufficere posset: sicut altera qua per viginti iam annos vsi sumus, sufficere aliàs pro nobis iudicabatur. Officiebat nonnihil huic structuræ rumor, nescio quis, sparsus, quòd vltrà triginta millia dalerorum ad illam donata nobis essent. Accedebat & ipsa festinatio in ædificando, quæ rumori fidem adfe-

rebat: quare multi, qui alioqui prompti fuissent, vt ædificium iuuarent, à subsidiis tantis retrahebantur. Vnus tamen, cui familiaris vnus è nostris rei veritatem aperuit, quòd, inquam, rumor ille falsus omnino esset, solus attulit mille ducentos florenos, in tempore oportuno: nam vel cessandum, vel pecunia mutuo quærenda erat, vt pergeretur. Et spes eadem, quæ nos hactenus non confudit, excitat, vt speremus proxima æstate omnino perficiendum ædificium. Eoque magis mirandum est hoc tempore eò perductum esse piorum subsidiis templum, quòd simul duo alia templa Catholica, piorum eleëmosynis erigerentur. Nec defuit Cæsarea Maiestas, quæ ædificia omnia hæc promoueret, mandando tria millia, & sexcentos daleros in ea diuidi, quæ ad proximam æstatem vsui nobis futura speramus. Hactenus pro hoc ædificio ter mille & quingenti daleri à variis amicis sunt collecti. & nonnemo à fide nostra dissentiens, centum pro eo florenos donauit. Exstruxit verò in ea parte, quæ structa erat prope locum sepulturæ, qui ipsi à R.P.N. Generali concessus erat, magnifica Domina Maria Martinitz elegans altare, adiecitque necessaria ad celebrandum in eo ornamenta, meditaturque pia Domina multo plura. cui gratissimum planè accidit, quòd R.P.N. participem illam fecerit parentibus litteris operum bonorum Societatis. Quas cùm vnus è nostris Patribus illi tradere vellet, non existimauit se dignè illas accipere, nisi priùs confessa, communicaret: ac postea multis lacrymis tantam gratiam testata est se pluris facere rebus in hoc mundo charissimis. Illustrissima etiam Domina Maria Manrique vidua senior de Pernstein, hortum nobis prope flumen, sex millibus dalerorum æstimatum, non longè à Collegio, multis difficulta-

cultatibus, quæ occurrebant, ſuperatis, tradidit, & in regni tabulas inſcribi curauit: in quo etiam ſacellum pro noſtrorum vſu, cùm recreationis cauſſa eò ſe conferunt, ædificari curat. Et ipſa etiam bonorum operum particeps facta Societatis, quam gratiſſimo id animo accepit. Magnifica Domina Vrſula Lobkovvitz, magnifici Domini Wenceſlai Plesky vxor vt in vita piiſſimè vixit, inſigni tolerantiæ ac patientiæ exemplo relicto, quæ omnium ferè membrorum non ſine veneni ac maleficij ſuſpicione, vſu priuata per annos aliquot vixit; paulò ante mortem tria dalerorũ millia Collegio noſtro legauit; & alia duò millia, quibus cenſus emeretur, centum ſexaginta dalerorum annuorum, in pauperes occultos diſtribuendus, idque Collegij Superioris arbitrio. Quam beneuolentiam verbo tantùm ab ipſo propoſitam, pius & Societati addictiſſimus maritus ſcripto, quo ſe obligauit omnia intra annum traditurum, nobis confirmauit. Et hunc ipſum pium & zeloſum Catholicum Dominum, ob ſingularem in Societatem propenſionem participem fecit R. P. noſter operum bonorum Societatis: qui ſimiliter, vt prædictæ duæ matronæ magna animi gratitudine hanc gratiam ſuſcepit, confeſſus & communione refectus. Magnifica etiam Domina Margareta de Lobkovvitz vidua piiſſima, mille daleros nobis teſtamento legauit: domui verò pauperum ſtudioſorum bis mille & amplius. quæ licet recepta necdum ſint, breui accepturos nos ſperamus. Conſcius quidam à matre ante annos duodecim defuncta ducentos daleros nobis legatos, intelligenſque à parente nunquam traditos, illo defuncto ſtatim ad Collegium miſit.

## *Collegium Olomucense.*

EX quo resumptæ sunt scholæ in Paschate post diram mensium circiter nouem pestem, fuere de Societate minimũ 33. adnumeratis tribus, qui conuictui præsunt; sacerdotes quindecim, præceptores quinque (præter quatuor alios è numero sacerdotum) totidem Scholastici, Coadiutores temporales decem. Sacerdos vnus, qui iam tertiò iuuandis lue infectis segregatus à conuictu aliorum toto eo tempore agebat, Dei benignitate sanus valensque inter quotidiana pericula seruatus est. Inter quæ ordinariæ conciones duæ Germanicæ in primariis ciuitatis parœciis, tertia Bohemica in Collegij templo neutiquam sunt intermissę; addita etiã catechesis ad populũ in primaria parœcia tẽpore pomeridiano per singulos Quadragesimæ dies. Alumni & conuictores, qui grassante lue ad tutiora se receperant, vbi nihilominus sub nostrorum cura, litteris & pietati consuetam operam impenderunt, sub Quadragesimæ initium ad ciuitatem reuersi sunt. Instauratio studiorum sub Paschа à tanta lue auditorumque dissipatione non infrequens fuit; è quorum numero tres ad Societatis nouitiatum missi. Hac æstate Illustrissimus Cardinalis à Dietrichsteyn, Episcopus Olomucensis ab electione sua primùm Olomucium ingressus, postmodum Collegium adiit, exceptusque est in magna confluentis populi frequentia vario dramate, illoque in primis lugubri, quo calamitosus Morauiæ status ob sectarum colluuiem exponebatur, eique cælitus destinatus ad salutem tantus Episcopus monstrabatur. res acta magno auditorum sensu & plausu. Decreuit idem pro tempore daleros annuatim mille, alum-

nis

nis ad sacerdotium educandis: quorum non instituendorum tantùm, sed adlegendorum etiam, dimittendorumque potestatem omnem nostris concredidit. Qui partim hæresim abiurarunt, partim verò ab vtraque specie ad vnam, hoc est à dubia suspectaque fide ad veram synceramq; transierunt, octogintaquatuor numerantur. In hæreticis fuere duo viri nobiles, qui in custodia positi congressu nostrorum salutem animæ repererunt, quam vix fuissent in libertate reperturi. Fuit & tertius tota prouincia satis celebris ætate grandæuus, qui inexpectato exemplo feriis Paschalibus in nostro templo Catholicã communionem facta exomologesi primùm accepit. Quatuor etiam alij capitis damnati, quibus moriendi fortunata necessitas admittẽdæ ad aures atque ad animum veritatis occasio fuit. Alius item primariæ nobilitatis adolescens, qui patria & hæreticis parentibus fidei Catholicæ caussa relictis, Deum secutus ducem Olomucium venit, ibique reconciliari cum Ecclesia per nostros voluit, priusquam iubilęi caussa Romam pergeret, scriptis ex itinere ad parẽtes litteris, quibus suum de fide suscipienda consilium aperiebat, liberè contestans certum sibi esse hæreditatem potiùs, paternamq; gratiam, quàm diuinam amittere. Fuit in eodem numero par coniugum; è quibus vir ob furtum morti adiudicatus, biduo ante suppliciũ Catholicus à nostro sacerdote factus, sacraque synaxi ad præsens ferendum malum confirmatus cùm esset, inimici hominis operâ, atque inuisentium hæreticorum improbis suasionibus concussus, paucis horis ante vitæ extremam, visus est abiectum semel Lutheranismum denuò profiteri. accurrit Pater, erigitq; hominem, & ne ipso in portu constitutus naufragium faciat, salutarem Pœnitentiæ tabulam fluctuanti

ctuanti porrigit, commodè vxore quoque ipsa, alioqui hactenus hæretica, cohortante, eiusque primo quoque tempore amplectendæ promissione se obstringente, quam se dicebat aliàs apud ipsum laudasse; & illius recipiendæ moram, infortunij huius quod vtrique obuenisset, caussam existere. Ille itaque ab interitu animæ secundò reuocatus fortiter corporis mortem oppetiit, vxor verò sui memor promissi fuit. Anus quædam hæresi per omnem ætatem nimiùm addicta, morbo senij correpta, suasu filij discipuli quondam nostri, sacerdotem è nostris aduocari ad se permisit: quo fidei Catholicæ antiquitatem constantiamque ostendente, flexus mulieris animus manus dedit, & confessione facta, consequens dies sub altera tantùm specie communioni sumendæ dictus est. Alius quidam à duobus è nostris extra ciuitatem semiuiuus inuentus, qui à socio pecuniolæ suffurandæ caussa contusus baculis, multisque locis sauciatus fuerat; recreatur primùm detersis vulneribus, suauique colloquio; tum salutis animæ admonitus, & pro temporis oportunitate de fide instructus post confessionem absoluitur; quodq; reliquum erat, adito xenodochij præfecto, illuc deferri curatur, vbi etiã post animæ sanitatẽ, corporis postmodum valetudinẽ recepit, vtramque fortasse amissurus, nisi in illum nostri, Deo gressus dirigente, commodè incidissent. Ex iis qui vsum calicis reliquerunt, matrona quædam ad id faciendum mirabiliter compulsa est. cùm enim per omnia Catholicam se profiteretur, quæque de vsu Venerabilis Sacramenti Ecclesia tradit, firmiter se credere; solicitabat tamen magnopere sacerdotem è nostris, vt per eum sibi liceret vtramque sumere Sacramenti speciem. renuit ille, affirmans, quorum fides vna esset, & communionis

nionis modum vnum esse debere: suasit autem, vt altare adiens quinquies ibi precatione Dominica, Salutationeque Angelica suppliciter recitatis à Deo flagitaret lumen, quo intelligeret, gratáne Deo esset sub altera tantùm specie Sacramenti receptio. Paruit illa, & ecce ex altari inter imagines fumus erumpit, qualis è thuribulo in sacris solet, qui ad quartam horæ partem durans mirificè mulierem refecit. vnde illa spiritus quodam impetu ardoreque concepto, ad confessarium reuersa contestata est, nec si ipse iuberet, sub vtraque specie sacram synaxim ampliùs accepturam; videre enim se spiritualem esse odorem, Catholicam vnius communionem. id quod apud alios prædicare non desinit. Alius quidam ciuis, qui per octodecim annos à calice abduci nequiuerat, æger factus bene sperare iubetur, dum velit salutari consilio acquiescere. obsequitur, communicat sub altera tantùm, fit sanus, totaq; deinceps familia eumdem communicandi ritum amplectitur Hæc ad eos, qui foris, iam quę ad domesticos fidei, attingamus. Adeuntur nostri è longinquo Pœnitentiæ & Eucharistiæ caussa, non abs solùm, qui domi carent Catholicis sacerdotibus (quo ex numero mulier sola inter conciues suos Catholica, lactentem gestans infantem, à decem millibus passuum ea de caussa venit;) sed ab aliis etiam, qui cùm pro foribus habent templa Catholica, eò se longum iter suscipere malle profitentur, quò maiori cum pietate & fructu in templo nostro Sacramenta obeant: inter quos matrona altera pari studio sexaginta millia passuum pedibus, iisq; nudis, satisfactionis caussa, in frigore & aquis magna alacritate confecit. Catholica & pia mulier in extremis constituta, sacroque iam oleo ad pugnam inuncta, confessario de nostris

signifi-

significat, haberi domi radicem quandam in scrinio à marito asseruatam, quam a maioribus hæreditate acceperit, præstigiis infamem (ea refert suspensi hominis effigiem, atque sub patibulum effodi perhibetur) qua nisi elata ex domo sanari ipsa non valeat. petit eam noster, exportat concremandam, ac mulier postea, prout ipsa narrauit, continuò se morbi molestia leuatam sensit, & denique conualuit. Quatuor partim à turpi quæstu, partim à concubinatu reuocatæ. Cum hoc anno Senatus supplendus esset, magno conatu hæretici egerunt, vt suæ sectæ homines subrogarentur, resq; in periculo fuit. Sed impetratum tamen Cæsareum edictum pro Catholicis tantùm adlegendis, in eamque rem, vti etiam ne sufficerentur aliqui minùs sincerè Catholici, aliquid à nostris præstitum. Est nonnihil à plebecula Lutherana sepulturæ caussa tumultuatum; quæ à funere quodam foras elato, in ciuitatem reuertens templũ primariæ paræciæ, quo tempore quidam ibi è nostris concionem habebat, lapidibus armata, cùm furore ingressa suggestum cinxit, & nonnihil terroris incussit: sed concionatore nihilominus institutum sermonem prosequente, cohibuit illa se, finitaque concione abiit, minas tantùm iactans, si quippiam fuisset à concionatore in Lutherum declamatum. Libet hoc loco supplere, quod anno superiori prætermissum est in conuersione mirabili nobilis cuiusdam viri, magni Caluinianorum Zaboritarumque patroni, quò subita hominis in melius commutatio, nullo mortalium agente, in ipso è vita discessu minùs videatur incredibilis, vbi illius auctor innotuerit. Is enim hausto pestilentiæ veneno deduci se ad Ecclesiam per famulum iubet: qui cùm ad aliam quandam ab eo frequentari solitam herum adduceret;

ceret; Ad Patres, inquit ille, me ducitō. Hodie enim Angelus Domini intempesta nocte me eos adire iussit. paruit famulus licet inuitus, quòd hæreticus esset, heroque in templum nostrum adducto continuò discessit. Aduocatus noster confessum de peccatis ritè expiat, & moribundum Christi corpore refici statim curat: quem cùm etiam atq; etiam admoneret sacerdos, vt seriò rem ageret; ille respondit, se, impendēte iam iam morte minimè iocari, fidemque Catholicam, Romanam, atque Apostolicam in manu sacerdotis Societatis Iesv profiteri, prout fuerat antea ab Angelo commonitus; gratiasque magnas Deo agere, quòd in Ecclesiæ sinu diem extremum claudere ea, vti sperabat, nocte concessum esset. Domum igitur reuersus, & ab vxore hæretica ob fidem malè acceptus, & penitus derelictus, eadem vti præsenserat, nocte moritur; multos omnino ex primariis ciuibus exemplo suo verboque reducturus, si diutiùs viuere contigisset.

## *Domus Probationis Brunensis.*

VERSATI sunt hoc anno in Domo Brunensi plus minúsve sexaginta nouē personæ: è quibus tredecim veterani partim præceptores, partim domesticis officijs occupati, sacerdotes decem, Nouitij presentes quinquaginta, præter eos, qui necessitatis caussa ex dispensatione R. P. N. Prouincialis ad varia Collegia sunt missi At qui biennium absoluerunt, quadraginta tres: quibus successerunt hoc anno Nouitij quadragintaquinque, qui ad omne Religiosi officij munus instruūtur, vt charitatis, abnegationis aut perfectionis, haud contemnendum studium in omnibus (quæ Dei bonitas est) cernatur. Confessiones generales

exceptæ

exceptæ sunt aliquot: erepti ex turpi plurimorum annorum vita tres. Itum est ad infirmos: inter quos iuuenis quidam exstitit, in ægritudine ratione planè priuatus: cuius de vita cùm dubitarent sui, sacerdotem de nostris vocarunt. Hic cùm rem Domino Deo commendasset, inuocato sæpius nomine IESV, meliusculè æger habere cœpit. euigilans enim quasi è graui somno excitatus, suspirauit, & sana mens ei est concessa tantisper, quoad post integram exomologesim absolutionem accepisset. dein paulo pòst ad amentiam rediit, & eadē nocte obiit. Huic non absimile videtur, quod cum alio viro quodam accidit: qui cùm à dæmone grauiter exagitaretur, ne in Christum pro homine passum crederet, confessione facta, & Eucharistia sub vna specie sumpta, monstrum diabolicū fugauit. Huc referri etiam potest quod sequitur. Cuidam vxor in puerperio defuncta sæpe noctu apparuit, & terrorem iniecit. efflagitauit maritus preces & consilia Patrum: monitus est vt daret eleëmosynam pauperibus, & purgaret à criminibus animum. fecit, omnisq; metus cum apparitione finē habuit. Ab hæresi ad religionem Catholicam venere decem supra centum: inter quos primas facilè partes obtinuit Lutheranus verbi Minister. qui vbi more solemni ab Illustrissimo Cardinali ac Episcopo Olomucensi fuisset in templum introductus (priùs tamen à nostro, aliquot dierum spatio instructus) in suggestum ascendit frequentissima concione, ipso nimirum Paschatis die à prandio, errores suos damnauit, omnibus hæreticis audientibus & frementibus hæresim detestatus, fidei Catholicæ, piorum consolatione & satisfactione, professionem ante altare emisit, & à D. Cardinali Ecclesiæ iuxta Romani Pontificalis cæremonias est reconciliatus. Duo

quoque

quoque Barones, præcipui Morauici Marchionatus, ad Catholicam fidem conuersi vehementer desiderabant coniuges suas eiusdē fidei esse consortes; cùm multis nominibus aliis, tum vel hoc maximè, vt sicut in suis dominiis iam aliquot millia animarum per Austriam, Ecclesiæ Catholicæ aggregarant, parem feruorem exercere possent liberè in dominiis Morauicis suarum coniugum. Nam existentibus dominabus hæreticis non poterant religionem Catholicam liberè promulgare ac promouere. Ad has vnus è nostris sacerdotibus huius domus est vocatus: cuius instructione paucis diebus ita profecerunt, vt Catholicam fidem sint amplexæ, publiceque sacra synaxi coram subditis refectæ magno animi sensu, & omnium gratulatione, maximè dominorum suorum; quæ postmodum sponte libros hæreticos videndos & diiudicandos proposuerunt. cum his aliæ octo personæ conuersæ communicarunt: inter quas nobilis eques Picardita, qui vexilliferum in bello aliquot annis egerat, cùm multo tempore nec nostræ, nec alienæ parti adhæreret, atq; plurimùm fluctuaret, cuinam tandem sese adiiceret. instructus itaque probè Catholicæ tandem religioni se addixit. Huic quoque se adiunxit Baronissa quædam quinquagenaria, quæ pro grati & pij in nos animi significatione nouum antependium opere textili ex filis aureis ac sericis elaboratum summo altari nostro obtulit. Nostris præterea instructionibus mulieres aliæ honestæ, Senatorij ordinis duæ Catholicam fidem susceperunt. Excursiones diuersæ in festis solemnioribus sunt factæ rogatu Baronum & Baronissarum: quæ etiam fructu suo non caruerunt; in quibus sunt multæ confessiones exceptæ, familiæ eorum sacro pane refectæ, reconciliatæ animorū simultates inter coniuges, dissensio

dissensio grauis & periculosa composita. Vltimo quoque supplicio afficiendos prosecuti sunt nostri magno eorum emolumento. cùm enim è septem, vnus solummodò esset Catholicæ religionis, reliquis carcer, crux, gladius, rota, conuersionis occasio, & salutis caussa fuere. Aliis quoque dum agerent animam, multis præstò nostri fuerunt. Fame dominante repentina hoc anno, qualis non fuit à trecentis annis (vt testantur annales huius ciuitatis) nostra domus tam pauperibus studiosis, quàm in xenodochio degentibus subuenit, singulis septimanis 150. panes erogans, idq; duobus fermè mensibus, dum nouæ fruges essent collectæ, præter obsonia & legumina cocta, quæ illis liberaliter sunt distributa. Societatis nostræ meditationibus se exercuerunt, præter D. Cardinalem, sacerdotes externi sex, & iuuenis quidam Philosophiæ magister, qui Societatis institutum non multo pòst est amplexus. Sacerdos è nostris Quadragesimæ feriis collecta puerorum multitudine in parochiali templo Christianam doctrinam populo explicauit, quod antè ibidem numquam factum: cuius explicationi plures, quàm sperabamus, interfuerunt; gratam enim & salutarem rem, vt intelleximus, populo fecimus. Quidquid verò à tironibus nouis operariis gestum fuerit, id commune est cum præcedentibus annalibus. Datur enim Brunæ magnus campus, in quo nouitij hiemis tempore diebus Dominicis, cùm rustici domi diebus festis delitescunt, excurrere possunt. Numerus quinque pagorum, inter quos nostri doctrinæ Christianæ scholam habuerunt, 300. tantùm auditorum, qui maior fuisset, ni pestis metum iniecisset. Confessionem tamen & communionem per nostrorum exhortationes, extra tempus ducenti frequentarunt. Præcipuus quoque

quoque fructus animaduersus est in Confirmationis Sacramento, cuius nostri in doctrina Christiana, cùm vtilitatem tum necessitatem exposuerunt: quibus ita animos auditorum permouerunt, vt ex iis magna multitudo ad hoc à D. Cardinali, Episcopo Olomucensi suscipiendum confluxerit, non sine hæreticorum obgannientium admiratione & spectaculo. Ad domestica reuertor. Die 14. Decembris Domina de Thobar insignis huius domus benefactrix vita excessit: quæ pro templi structura perficienda per testamentum legauit frumentum duûm millium & 300. florenorum valoris, cùm etiam mille & 60. daleros in pauperes erogandos legasset. Voluerunt testamenti executores (quò hæc summa durabilior ac salubrior esset) nostris, vti factum est, tradi, ac in licitos census collocari, annuo solummodò capitalis summæ censu in pauperes studiosos deinceps per nostros erogando. Illustrissimus Dominus Cardinalis pro summi altaris constructione duo dalerorum millia promisit, ex quibus hoc anno dedit 1000. Petiit & obtinuit à R.P.N. Generali in nouo templo sepulturam, quam sibi viuo parare cogitat. Rem diuinam apud nos persæpe facit: Ordines in sacello nostro subinde confert: Christi Corpus fratribus distribuit: exhortationem accommodatam ad nouitios habuit: nobiscum in refectorio pransus est sæpiùs, superiori nostra veste indutus, & cõmuni cibo contentus: aliquot sexagenas piscium & ceruisiæ vasa, quæ centum daleris constabant, dono dedit. Turcam adolescentem captum ad nos misit, quem fidei exercitiis imbutum ipse baptizauit. Breuiter dicam, sæpe nostra opera vtitur, omnia in nos beneuolentiæ signa exhibet: ac talia sanè in nos eius beneficia extiterunt, qualia ab optimo Principe

desiderare possemus. Declararunt & alij viri primarij suam in noui templi fabricã liberalitatem: quibus præluxit huius Marchionatus Camerarius D.Ladislaus Berka, qui pro turri templi nostri quingentos daleros ad nos misit:& Dominus à Krayd Baro Catholicus ante mortem trecentos daleros in eundem finem dedit. Donauit etiam vnam plateam nostris vsibus sat accommodatam Senatus Brunensis, cuius cum approbatione quaternas ædes pro laxatione domus optimè deseruientes, quadringentis daleris emimus: ac mediam quidem pretij partem, nempe 200. daleros, ipsemet Senatus Brunensis nobis pro earundem ædicularum emptione per suum primatem virum nobis apprimè addictum transmisit. Atque hæc omnia facta sunt auctoritate & intercessione magnifici Domini Bercæ:cui sanè propter hęc & alia beneficia in hanc domum collata plurimum debemus. Præter hos qui suis eleëmosynis structuram promouerunt, fuit huius ciuitatis Syndicus, qui nobis centum daleros donauit. Prætermitto alios Catholicos,imò Picarditas nobiles,qui trabes ex sylua remota pro tecto templi Brunam libenti animo, & cum magno huius nostræ fabricæ emolumento aduexerunt.Alius asseres pro fabrica dono misit. Supellex domus variis rebus est aucta, bibliotheca nouis libris;duo reparata templa in pagis nostris,altaribus ornata. Vnum è nostris orphanis ad sacerdotium promouimus, & nostræ parœciæ præposuimus.

## *Missio Mezericzensis.*

AVDITÆ sunt in Paschalibus feriis confessiones patrumfamilias ciuitatis & plebis cęteræ nongentæ. Aliis diuersis anni temporibus centum quin-

quinq uagintaocto, partim à ciuibus, partim à rusticis factæ, inter quas fuere multæ generales, plurimæ eorum, qui nunquam sua crimina expurgarant. Ad Catholicæ verò Ecclesiæ gremium adducti sunt sexagintaquinque. Restauratus est præter alia Ecclesiæ Catholicæ ritus benedicendi cereos die Purificationis: quo etiã processio solemnis est habita. In die S. Marci renouatus est antiquus mos iam dudum collapsus, quo olim cum processione & Litaniis quartam milliaris Germanici partem orando solebant conficere. Facta est ibidem per nostrum frequenti auditorio concio; cantatum sacrum. Huiusmodi pietatis exercitio & peregrinationi Ladislaus Berka loci Dominus cũ sua aula secunda Pentecostes feria se adiunxit, & asperum illud iter pedes absoluit: cuius exemplo ciues & hæretici animati, deposito rubore, Catholicis sese immiscuerunt, & ex herbis diuersisque campi floribus serta composuerunt, quibus deinde cruces & vexilla templi exornarunt. Celebratum est præterea SS. Corporis Christi festum maiori solemnitate, frequentiorq; populus, quàm antea vnquam, interfuit. Infirmabatur graui epilepsia Magnifici D. filius vnicus: quam ob caussam ab vtroque parente peregrinationes sunt institutæ, & magno pietatis affectu persolutæ: solemnes item ad eundem finem preces, Litaniarum cantus, & alia diuina officia instituta: eleëmosynæ distributæ, aliquot pauperes orphani vestibus donati. & alia his similia peracta. Post quæ omnia cùm adhuc filius melius non haberet, Magnifico dolore & lacrymis pleno, consilio ac operâ vnius è nostris insinuatum, fortè se à Deo visitatum, ac in filiolo punitum, quòd pestiferam Anabaptistarum luem, vel tenui prouentus prætextu, liberrimè in aula sua, tamquam œconomos foueret: ad quæ, cùm

Magnificus se quàm primùm illos dimissurum (sicuti fecit) promisisset; mirum dictu, filius melius habere cœpit, ac vix trium deinde dierum spatio à morbo adeò periculoso planè est liberatus. ac horum quidem Anabaptistarum exclusio omnes, etiam hæreticos, plurimùm exhilarauit. Pacificati inter se, qui implacabiles inimicitias & odia gerere videbantur. Nosocomiis visitandis aliisque piis operibus in salutem proximi non defuimus. Præter hæc solita Societatis exercitia alter nostrorum singulis diebus Dominicis & festis concionatur, alter tum temporis confessiones audit: sacrum Missæ officium, cui Magnificus Dominus adesse consueuit, celebrat: interdum ad vicinos pagos excurrit, vbi absentiam & defectum Parochorum concionando celebrandoque supplet, aliaque Sacramenta necessitate exigente administrat.

## *Collegium Commothouiense.*

ALVIT Collegium Commothouiense hoc anno Socios vndeuiginti, sacerdotes octo, quorum duo valetudinarij, vnus Professor; magistros quatuor, Coadiutores septem. defuncti vita duo. P. Balthazar Hostounus, Bohemus, Professorum prouinciæ Austriæ Societatis nostræ antiquissimus, laboribus & senio fractus. Alter Bartholomæus Masuck, Bohemus, Logices studiosus, qui ipso ætatis flore, cùm nondum vigesimumtertium ætatis annum excessisset, est phthisi extinctus, ob perfectionis studium magnæ spei iuuenis. Brunam ad tirocinium Societatis concessere quatuor; tres studiosi Rhetorices, quartus officio hortulanus. Studia tribus mensibus tardiùs ob pestem inchoata, tertio nimirum Ianuarij: nec tamen

men omnes scholæ simul apertæ; sed Rhetoricæ tantùm cum Poëti. Discipuli, quo pauciores, eo virtute, pietate, litteris insigniores. accessione eorum facta, quamprimùm domus pauperum, quæ communi totius ciuitatis conflagratione perierat, hoc anno nobiliori forma, & plurium cubiculorum adiectione restaurata fuit. Sub finem anni collecta scholarum messe, & iuuenum animis ad nouarum lectionum sementem aptatis, data 23. Octobris tragicocomœdia conuersionis Doctoris Gentium, magna populi frequentia, & celebri virorum nobilium, doctorum & honoratorum è vicinis ciuitatibus conuentu. Sub finem actionis tragicæ libelli selecti, qui laborum præmia, eruditionis partæ testimonia, liberalitate Reuerendissimi & Illustrissimi Archiepiscopi Pragensis, non sine publica laude dati. E lustris hæreticorum ad ouile Christi Ecclesiam Catholicam receperunt se triginta sex. Totius vitæ peccata relegerunt nouemdecim. Cõfessiones non integræ correctæ. Nefandum fœdus, quod cum dæmone quidam inierat, per sacram confessionem rescissum. Ad infirmorum confessiones excipiendas, tum domi tum foris euocati nostri. Dissidia inter coniuges, amicos, parentes & liberos sublata. Nosocomiũ singulis propè diebus Dominicis visitatum, vbi Euangelij lectione, & breui exhortatione præmissa, pauperibus datæ eleëmosynæ: quin etiam præcipuis festis eorundem confessiones in templo hospitali exceptæ, & altero die sacro pane refecti. Nec vincti in carceribus neglecti, colloquiis piis ad pœnitentiam, & sacrã exomologesin ducti, instructi in fide, adiuti pauperiores stipe: è quibus tres, qui publica morte scelerum pœnas daturi erant, ad Catholicam fidem conuersi sunt. qui dum ad locum supplicij educeren-

tur, noſtris conſolantibus forti & æquo animo iuſtitiæ ſententiam exceperunt. Domi reſtituta catecheſis à prandio diebus Dominicis, intermiſſa ob peſtem. Concionum fructus non pœnitendus. Habitæ in pagis conciones frequenter, aliquando binæ, aliquando ternę. Brixiæ, ciuitate regia Parocho defuncto, concio funebris per vnum è noſtris habita. Sacro Baptiſmo ob Parochi abſentiã vltra duodecim paruuli tincti. Nec intermiſſæ excurſiones Grupnam ad D. Virginem. conuentus populi ipſo natali B. Virginis ſolito frequentior, deuotionis ergô plurimis, etiam è locis hæreſi infectis, eò confluentibus. Adfuit magna nobilitas vtriuſque ſexus, ſingulari & humilitate (pedibus enim multa millia paſſuum orando & pſallendo, ſubſequentibus curribus & equitatu, conficiebat) & pietate (nam purgatis ſacra confeſſione animorum ſordibus auguſtiſſimum Chriſti Corpus ſumebat.) conuenere vltra triginta ſacerdotes, qui propè omnes ſacris operati. Hortus ſuburbanus adiectione horti & agelli cuiuſdam ciuis, pretio centum trigintatrium dalerorum, multo iucundior ac amplior redditus, ſicuti & deductione aquæ, qua hactenus caruit, & exſtructione partis murorum, quibus exteriorum ingreſſus & aſpectus arcetur. Bibliotheca nonnullis libris aucta, quos quidam Parochus moriturus Collegio legauerat. Cùm in præcipuam parochiam dominatus Libochouienſis per quoſdam in præiudicium fundationis Collegij, Parochus introductus fuiſſet (ius enim conferendi omnes parochias dominiorum fundatoris noſtri, Collegio conceſſum) Illuſtriſſimus & Reuerendiſſimus Archiepiſcopus hac de re monitus, vt ius noſtrum illæſum maneret, Parochum ad Collegij petitionem inſtituit & confirmauit.

Cel-

## Collegium Nouodomense.

PERSONÆ, quibus hoc anno constitit Collegium Nouodomense, numero pares fuerunt anni superioris, sacerdotes quinque, magistri tres, sex Coadiutores; ad Societatẽ adiunctus vnus. Concio Bohemica præcedenti anno inchoata cum fructu continuatur, cui, quòd Bohemicæ linguæ maior quàm Germanicæ in ciuitate sit vsus, lectio catechistica adiuncta est; concio tamẽ Germanorum pristinum retinet locum. Vtraque vicinis etiam in locis, ad quæ deuotionis causſa certis temporibus concursus populi fieri solet, cum motu animorum habita. Qui partim diuersarum hæresum errorẽs abiecerunt, partim vtriusque speciei vsu in Eucharistia sumenda relicto, ad vnius sumptionem redierunt, quinquaginta sex numerantur. Ex quibus septuagenarius quidam, tanquam ad hoc illi fuisset a Deo vitæ tempus prorogatum, dum hæresi cum peccatis per confessionem se exuisset, cælesti cibo refectus ex viuis abiit. Similem Dei benignitatem experti tres alij. Sed & Anabaptista cum vxore, & liberis veritatis lumen aspexit. Quorundam veræ conuersionis argumentum fuerunt hæretici libri ad nos delati. Confitentium autẽ numerus tam Paschali, quàm aliis anni temporibus initus, multò fuit maior quàm præcedenti. Generales confessiones partim totius vitæ, partim certi temporis quadraginta-quatuor exceptæ. Multi, qui nunquam in particulari sua peccata confessi; nonnulli, qui sine præmia confessione sacram Eucharistiam sumpsere; quidam etiam, qui aliquot annis hoc Sacramentum intermisere, instructi, debito more conscientiam suam expiarunt. Quorundam animi gra-

uioribus criminibus, quæ in confessionibus aliquot silentio presserant, expurgati sunt. Duo, qui pluribus annis vsque ad maturam senectutem in turpi concubinatu publicè vixerant, vt honesto matrimonio iungerentur, inducti. Grauiter dissidentes nonnulli conciliati. Alij ad meliorem vitæ frugem reuocati. In nosocomio pauperibus, reis in carcere, extremoque supplicio afficiendis spirituale auxilium vtiliter suppeditatum. Pauperes infirmi aliquot in platea collecti nostrorum operâ in xenodochium promoti; quorum vnus moribundus in fide instructus, confessus & sacra communione refectus, breui pòst animam Deo reddidit. Periculoso quidam morbo laborâs, dum confessione animum expurgasset, ciboque cælesti pauisset, voto peregrinationis emisso, habere cœpit melius, pauciscque diebus pòst surrexit incolumis. Septennis puer nocturnis spectris sæpius infestatus, orbiculo agni Dei per nostrum sibi dato, atque vt quinquies orationem Dominicam & salutationem Angelicam quotidie recitaret impositò, omni molestia diabolica liber extitit ad tempus. Nam euoluto circiter anni spatio, cùm particulam agni puer attriuisset, precesque impositas neglexisset, denuò cœpit iisdem agitari molestiis, membris omnibus tremere, opem contra virum gigantea forma, magnisque oculis horridum, quem ad sese aduentantem conspiciebat, implorare. Redeunt parentes ad nostrum, nouum expetũt consilium. Noster attritum agnũ cereum cum nouo commutat, lustralem aquam partim puero cubitum concessuro potandam, partim in cubili spargendam addit. Sequuntur consilium parentes. postridie reuersi sanctè asseuerant puerum ab omni infestatione denuò tutum existere. Hæc dum nostri proximis; studiosa iuuẽtus spar-

tam

tam suam excolere minimè negligit, quippe, quod præcipuum est, pietatis exercitio, frequenti Pœnitentiæ & Eucharistiæ Sacramentorum vsu, magnum præbuit aliis ad virtutem incitamentum. Diligentiâ verò atque in litteris progressum, tum aliàs, tum maximè Abrahamum comicè exhibendo ita declarauit, vt maximam laudem adepta sit. Meruisse propterea magno suo iure videtur, id quod proxima studiorum renouatione est consecuta, vt classe Poëseos Grammaticæ studiis adiuncta eius consuleretur vtilitati, & animi ad ampliores faciendos progressus inflammati fouerentur. Rudiores etiam sacerdotes nonnulli ad officia parochialia debitè obeunda aliquanto temporis spatio sunt informati: quorum fructus nonnunquam, vt speramus, erumpet. Fecit & Collegij fabrica bonum hoc anno progressum, quantacunque temporum difficultate reclamante. quam vt proximo anno speramus ampliorem; sic & fructus spirituales ex hoc Nouodomensi agro colligendos diuina opitulante gratia, vberiores fore confidimus.

## *Collegium Crumlouiense.*

NVMERVS Sociorum, quos aluit Collegium anno præmisso tresdetriginta; sacerdotes octo, humaniorum litterarum magistri quatuor, septem Rhetoricæ studiosi, reliqui domestici curatores. Ab his non postrema certaminis pars cum iis peracta, qui cœno damnatarum opinionum inhærebant. Lutheranæ sectæ buccinatori semel iterumque oblatæ assertiones, doctrinam de bonis operibus & Sanctorum inuocatione, vt aut veram amplecteretur, aut falsam ostenderet. recepit ille quidem: sed hoc genus vt est apud suæ

factionis homines loquax & elatum, ita plerumque mutum & elingue apud dissidentes. Quare nihil ab eo etiam monito extorqueri potuit. Enimuerò quem ad frugem scripta pellicere nequiuerunt, supplicationibus piorum flexus Omnipotens, mandato tamen Cæsaris exegit, postquam annis quinque nouum Euangelium hic deblateraſſet. Nos odium sustinuimus plurimorũ edicti procurationem nostris adscribentium. At bene habet. absit modò ille, nos innoxij maleuolentiam aliorum fructus amplitudine solabimur; quem insecuturum confidimus non temerè. Pulso igitur duce iniquitatis, venenũ eiusdem euomuere nouem supra vicenos, auspicio sat fortunato. Horum duo iam inueteratæ malitiæ senes vndenonaginta numerabant ætatis annos: paulò iuniores alij plerique: vnus adolescens æui & ingenij bonitate præstans, Ministro Lutherano natus, & hæresi cum lacte materno imbutus; proindeque in ea ita pertinax, vt Lutherum sibi vita cariorem non semel affirmarit. Veris tamen post alterum mensem rationibus tandẽ cessit, victus tum causſę bonitate, tum doctoris industria pertinaci. Iam propositi tenax est condiscipulis exemplo. In eadem falsi colluuione vir Atheus aditus non rarò, & monitus vt sibi consuleret respuit ille, & irrisit semper. Sed Deus non irridetur: nam qui ad verba iam pridem obsurduerat, etiam ad verbera mentem non flexit. bis enim periculoso casu alias mortis periculo ereptus, tandem hoc anno dum superiorum ædium partes, rem nullius penè momenti fabricaturus ascenderet, tertio, eoque præcipiti lapsu fracta ceruice, elisoque cerebro, subitanea morte infelicem animam exhalauit. Sapere potuisset etiam senex exemplo auiæ suæ; quam ille iam senem in suum errorem pertractam pau-

cos

cos ante menſes apoplexia ſubitò exſpiraſſe conſpexerat. Sed ſtulti plagis non emendãtur. Atque iſta cum apertis hęreticis. Eſt prętereà Crumlouij, ſicut in aliis vicinis vrbibus & prouinciis non infrequens concio, quæ ſe Catholicam & dici vult, & haberi: ſed ab vniuerſalis Eccleſiæ modo diuinum epulum adeundi tam aliena; quiduis vt ab ea citiùs quàm calicem extorqueas. Equidem non video quemadmodum ſincera nominis Catholici nota cum hac eorum firmitate congruat. Noſtris hominibus nihilominus operæ plus verius dixerim, faceſſunt, quàm aliæ damnatæ nationes. Cæterùm, adiutore Deo, duos ad ſexaginta eidem abſtraximus. Omnium anteſignanum iure ſtatues illum, qui octogintaocto annos partim hæreticum, partim etiam orthodoxum calicem hauſit. Sed venio ad Catholicos, quibus hæc domi foriſque opera impenſa. Exomologeſes Paſchæ tempore acceptæ ſupra bis mille, quatuor & viginti fuerunt omnium annorum. Illuſtris illa hominis æui maturi à quadraginta ferè annis nunquam bene confeſſi; & adoleſcentis, qui multis in præcedentibus peccata celauerat, quæ ſalutari pœnitudine ductus apertè detexit magna animi ſui quiete. Adde his illos, queis pœnitentia Sacramenti viſa lenior, ex conſilio & conſenſu Patrum, in ſe deſæuiere vindice, ſeu flagello, ſeu cilicio. Sed nec illum ab his ſeparabis, qui a confeſſione viatico diuino munitus in cœnobium Ciſtercienſium ſe recepit Deo famulaturus. Vacillantes in fide plurimi confirmati. Pauperes, ij præſertim, quorum ſtudiis paupertas oberat, collatitia ſtipe adiuti. Quidam à dæmonibus obſeſſi ferebantur, illi donata, quam piè demitterent in pectus, agni cæleſtis bulla perſanati. Sacerdos vnus à turpi conſuetudine, quatuordecim mulieres ab obſcœnitate

nitate proſtituendi corporis ſunt retracti. Contentiones, iræúe & ſimultates plurimorum abolitæ: inter matrem & filiam vna non minùs offenſa, quàm pernicie infamis: altera Parochum inter ſcholæ moderatorem, & Senatum opiduli cuiuſdam, quam ſæpe vano conatu fundi Dominus tollere adniſus. eius verò cauſſa partes diſtractæ, etiam anniuerſariam Corporis Dominici perceptionem lege præſcriptam neglexerant. Sed noſtrorum dexteritate ita mitigauit Deus omnes (viginti circiter) vt ſe mutuo complexi, & peccatis ritu Catholico patefactis vnionis myſteria ſimul, eodem loco, & ab eodem ſacerdote perceperint. Viro dynaſtæ perſuaſum, vt in ſuo palatio magnificè ornato fœdas imagines deleret, honeſtioreſque ſubſtitueret. Ad ægros & extremum agentes ſpiritum aliquoties vocati ſumus. Recuſabat vnus non rectæ fidei, ita ſuadente medico, Sacramentum infirmorum. vbi noſter hominem acceſſit, inque rem ægri verba fecit, euicit. Victus infirmus, acutiſſimis decem & octo menſium doloribus leuatus, exemplo pio ad placatum abſceſſit Deum. Feliciórne alter languido item & defecto corpore, qui vt ſe per ſalutaria myſteria coniunxit cũ Deo, ab ipſa ſtatim Extrema inunctione, ſolutis nodis linguæ loqui cœpit, & habere meliùs, vt omnes admirarentur? Sed nec damnatis fontibus induſtria noſtrorum defuit: nam omnes in morte firmati. In vno prouidentia Dei ſingularis animaduerſa; vbi ſe ad reſtim damnatum intellexit, voluntaria morte ignominiam declinare conſtituerat, ſeptem, clàm reſeruato cultro pectori & gutturi iam inflictis vulneribus. re per apparitorem detecta, vocatur etiam Pater: qui hominem ad incepti facinoris odium perductum cum Deo ſanctaque Eccleſia reconciliauit. Feriis

hebdo-

hebdomadæ magnæ ornatum honorarium Domini monumentum (aliquorum iniquitate aliàs impeditum) structura noua, & cultu solemni. assidentes adolescentuli cum Christi insignibus, angelico cultu diuinas laudes cantu assiduo personabant: iidem in horas singulas dictabant materiam Christi cruciamenta meditantibus. Excitauit ea res proinde impios piosque, vt frequenti corona molem erectã curiosiùs aspectarent. Suus etiam solemniis Dominici Corporis habitus honos aliis annis vsitatus. Item officiosa Angeli custodis cura, & exitium superbissimi Aman data in theatro frequenti nobilitati, non mediocri spectatorum sensu, & laude actorum. Finio commemoratione iuuentutis, & piorum in nos liberalitate. De discipulis id vniuersè dici potest, eorum fructus ab aliis annis nequaquam degenerasse. Adolescens parente orbatus quotquot domi reperit codices insanæ doctrinæ, ad Collegium exurendos detulit. Alius cùm facultatem vescẽdi carnibus, eò quòd hospes alios cibos denegaret, à confessario impetrasset, paucis interiectis diebus ad confessarium reuersus, ait se nolle vlteriùs vti illa facultate, etiamsi solo pane sibi victitandum foret: quod cùm faceret, suo exemplo hæreticum hospitem eò mouit, vt ipse sibi, & toti familiæ esum carnium interdixerit. Quibusdam hoc legitimum, vt parentes hæreticos inuisuri non sese itineri credant, nisi armis obiectis aduersariorum diluẽdis, bene instructi. Duo adiunxerũt se nobis, alter aptus rei domesticæ, disciplinis liberalibus alter: vterque magnæ spei. Sunt qui adhuc flores aperiant, vbi maturuerit tempus, in fructũ ituri. Collegium leuatũ nonnihil ære alieno, creditore sponte debitum remittẽte. At sacra supellex aucta veste, tela, cyathis duobus, & ampulla ex argento.

Colle-

## *Collegium Glacense.*

VIVVNT in Collegio Glacensi socij quatuordecim, sacerdotes septem, magistri duo, Coadiutores quinque. Conciones singulis Dominicis habentur ternæ. Earum operâ abiecere hæreticam perfidiam viginti. Molitor quidam, dum periculosè ægrotaret, accersit pro more & consuetudine Prædicantem, eius vt consilio vteretur, cuius auxilium sibi paratum putabat. At ille pelli suæ timens, ne fortè quid contagiosæ luis adhuc in illius domo resideret, venire renuit. Hoc in periculo constitutus molitor, & desertus à suis pastoribus, quorum hactenus fide nixus fuerat, nostros inclamare cœpit. Adsumus, confessionem excipimus, quam ille eo animi sensu peregit & fructu, vt quantum damnum ex perfidia Prædicantis reportasset, gratissima animi significatione agnosceret. Antequam diem obiret suum, auctor vxori fuit & suasor, vt sacris in posterum Catholicis interesset: quod & promisit, & hucusque diligenter præstat. Tentata etiam virginis cuiusdam in fide constantia est, sed tentata tantùm. Nam cùm insciis parentibus suis hæresim exuisset; ad eandem resumendam nulla eam verbera cum atrocibus parentum verbis coniuncta, compellere potuerunt. Mulier præterea rusticana vi quadam melancholiæ grauioris ita agitata, vt conspectum hominum fugeret, & seipsam prefocare cogitaret, diuinorum beneficio mysteriorum sibi reddita, & quieti. Confitentium ad Pascha numerus fuit sexcentûm quadraginta nouem: inter quos octo vel nouem omnem anteactam vitam pœnitendo recoluere. Discipulorum numerus maior & frequentior, duorum scilicet Baronum & quinque nobi-

nobilium acceſſione. Data eſt populo ipſo die Corporis Chriſti ſacro, in patente area, fauente cælo, actio poëtica de Elia ſub iunipero. A qua quidem actione vt ciues ſuos hæreticus Prædicans abſtraheret, præter morem, & ipſe concionem habuit: qua in concione apertè intellectum eſt, non Lutheri placitorum eum, ſed Caluini aſſeclam eſſe. Nam & blaſphemis nominibus ſalutarem hoſtiam inſectatus eſt, & quàm plurimis conuitiis, quoniam rationibus non potuit, vt ipſum feſtum euerteret, laborauit. Peruenit huius indignitas rei ad aures Cæſaris, qui calumnias in Dei ſacra indigniſſimè ferens, edictum dedit, vt omnes hæretici Clamantes, qui in parochiis ſuæ Maieſtatis eſſent, intra ſex hebdomadas Comitatu cederent. Promouit hoc negotium temeritas Senatus Leuinenſis, qui Catholicos ciues ſuos, eò quòd noſtro ſuaſu, ad Archiepiſcopum Pragenſem, pro Catholico ſuo ſacerdote per vim à Capitaneo depoſito, ſibi reſtituendo ſupplicaſſent, in carceres coniecerant. Res præclarè inchoata hactenus propter varias Cæſaris occupationes executioni mandari non potuit. Spes tamen nos magna tenet, quoniam quidem Capitaneus, & nonnulli Senatores Leuinenſes adhuc Pragæ conſtricti tenentur, quòd res felicem ſit finem ſortitura.

## *Collegium Labacenſe.*

AD fidem conuerſi viri nobiles quatuor, & defuncti Præſidis vxor, & quædam è prima nobilitate femina: quorum exempla ita alios ſtimulant & diſponunt, vt ſperemus breui omnino non paucos Carniolæ proceres cum maximo ſuo & totius prouinciæ emolumento fidem Catholicam amplexu-

amplexuros. Nec Prædicantis cuiusdam penè senio confecti hîc transeunda est conuersio. Cùm Sereniſſimi Principis decretis id vrgeretur, vt indicta die iam ex vrbe & opidis proscripti Prædicantes è tota excederent prouincia, cautumque esset, ne quis nobilium quemquam proscriptorum sub proscriptionis pœna, & grandi bonorum iactura foueret: segniùs nonnulli Archiducis imperium executi sunt. quare visum fuit iudici prouinciæ committere, vt delitescentes in latebris vrsos & lupos Prædicantes disquireret, deprehensos abriperet, & in carcerem coniiceret. Dum is ergo executioni insistit, fama vbique peruolans, atque periculum aduentus intonans efficit, vt præter præconem senem elabantur omnes. is itaque abripitur, & arcis custodiæ traditur. Nobiles Protestantes iudicis facinus indignè ferentes, multa imprimis secum; demùm ad Principis clementiam confugientes supplici libello hunc vnum senem sibi concedi, etiam atque etiam rogitant. se neutiquam deinceps passuros, vt Prædicantis munus obeat, pollicentur. Nostri verò omnino ad se spectare censentes, vt Prædicantem olim à Labacēsi Episcopo sacerdotio insignitum, tanquam ouem errantem ab hæresi & apostasia, Deo bene iuuante, quàm primùm vindicent; dum Græcij res agitur, & nonnullam temporis intercapedinem rei instructio sibi vendicat; senem adeunt, periculum ob grauissimam colluuiem, qua se deficiendo coinquinasset, ostendunt; nec diuturnæ vitæ spatium superesse, cùm iam plenus dierum pedem vnum (vt dici solet) in cymba Charontis habeat: iis demùm veræ contritionis igniculis hominem accenderūt, vt non solùm statum & crimen, in quo versaretur, agnouerit; sed obnixè postularit auxiliatrices nostrorum manus,

ne

de animæ suæ detrimentum pateretur, & post multa consecrationis suæ testimonium producens se verum sacerdotem esse, & ritè consecratum, demonstrauit. Nostri hominem bene sperare iubent, deinde fidei doctrinam per libellos in memoriam reuocant. Exiguo demùm temporis interuallo eò res est adducta, vt priùs confessus ab Episcopo debitis cæremoniis ac precibus, pleno cum ædificationis affectu, summoque pietatis feruore, frequenti concione, ab omni censura Ecclesiastica sit liberatus. Et ne ab hæreticis libertatiam restitutus detrimenti quidquam caperet; à nostris actum est, vt securo loco sub Prælati cura, quoad tutiùs prodire possit, vitam pacificè duceret. Celebrandi ritus adeò oblitus erat, vt necessum fuerit eum de nouo, vt tironem instruere. Liberi ac illius Berta xenodochij disciplinæ sunt traditi. Alius quidam Prædicantis filius in fide Lutherana à teneris vnguiculis apprimè patre præceptore instructus, humanioribus deinde ac Iurisprudentiæ studiis excultus, ac proinde non vni Germaniæ Protestantium Vniuersitati notus, cum curiositatis ergô absurda quædam religionem concernentia auditurus, templum nostrum adisset, omniaque simulans, in omnibus concionatorem obseruasset; ita compunctus abscessit, vt veritatis indagandæ caussa post paucas horas Collegium adierit, concionatorem conuenerit, & post variam de multis disceptationem omni ex parte Catholicę fidei veritate circumuallatus, magna animi sui immutatione victus tandem dederit veritati manus. Graues inter magnates magni momenti controuersiæ nostrorum interuentu sedatæ ac compositæ fuerunt; & ne quidquam discordiæ deinceps animum vtrimque lacesseret, iunctis coràm dextris reditum est in concordiam.

Nec excurrendi fructuosè, & bene merendi de vicinis defuit oportunitas. Vicinum enim opidum in prouincia sat celebre hæretica lue iam pridem infectum ac penè emortuum, in primis membris reuixit. Postquam enim à nostris visitatum fuit, præcipui incolæ ad fidem, & melioris vitę frugem redierunt. Dominici corporis ea hoc anno est instituta sollemnitas, vt non modò hæretici in admirationem rapti, verùm ipsi Catholici cum stupore sint admirati. Cùm enim augustissimum & immortale ferculum ab vrbis Antistite per vrbis vias ac cõpita circumferretur, hæretici scommata inhibentes ad omnia intenti ora tenebant. Catholici qui SS. Sacramentum concomitabantur, aut ægri è feneſtris prospectabant, magno effusi gaudio, rei tam sacræ bene precantes, ac maiestati diuinæ ob populi ac religionis incrementum, omnia in acceptis referentes, has protulere voces: Quadraginta annis haud visa est tanta huius diei celebritas. Etenim sic eam ob impiorũ hæreticorum impudentiam fuisse labefactatam asserebãt, vt vir aliquis honestus comparere, & latentem sub speciebus Deum nullo modo comitari voluerit, licèt clerus accinctus sacris quotannis prodiret. Nec plebeia tantùm phalanx, sed nobilium vtriusque sexus nostrorum hortatu adfuit sat numerosa frequentia. Ruricolæ etiam è vicinis pagis adsciti, vexillis ac sertis instructi bini incedentes primum agmen tenebant, eo videlicet ordine disposiți, vt pueri pueris, puellæ puellis, vxores vxoribus, viri viris coniuncti processerint: quorum deuotus solemnitati accommodatus concentus summo simplicitatis pietatisque affectu expromptus, prospectantibus & audientibus, aut pias lacrymas, aut pietatis incredibilem ardorem excitauit. Augustiorem hunc diem reddidit exstructu-

structus per compita viarum longè superiores annos superans apparatus, tormentorum festiua displosio, salutatio, qua discipuli nostri SS. immortalitatis pharmacum variis locis dispositi latinè ac carniolicè excipiebant. Ternæ etiam rogationum dierum supplicationes, quarum vnam tantùm, aut segnis consuetudo, aut remissior zelus introduxerat, nostrorum hortatu integrè resumptæ sunt ac triduò celebratæ, in quibus ad populum conciones habitæ non absque fructu. Ægris etiam ac malè firmis in priuatis domibus ac valetudinariis, tum etiam moribundis spiritualia remedia intrepidè collata sunt, die noctuque. Qui carceribus includebãtur, nostrum quoque senserunt subsidium, vnde non pauci vinculis soluti, suisque restituti sunt: ex quibus nonnemo ciuium, cùm de fama periclitaretur, nostro auxilio famam retinuit. Constitutis in xenodochio solemnioribus diebus cupientibus expiari, vltro nostri aures obtulere; quorũ nonnunquam inopiæ eleëmosynis subuentum. Pauperibus etiam eleëmosynæ emendicatæ, frugaliter erogatæ. Hæc foris. Domi nũc sumus duodecim, sacerdotes quatuor, Fratres octo, & si vnum excipias, vtcunque valemus omnes; penè omnes tamen per ordinem aduersa valetudine hoc anno tentati sumus. Scholas nostras ob pestis sæuitiam biennio relictas, iam verò denuò inceptas, & haud contemnenda iuuentute auctas exitialis illa contagio nondum permisit eò excrescere, vt ad priorem numerum adolescentum exsurgant. Præsentes tamen studiosi tribus classibus distincti impigrè & integrè ex omnibus Grammaticæ partibus instituuntur. Puerorum etiam ad doctrinam Christianam instructio suum sortitur finem: nec pueri tantùm, sed ætate iam adulti, & ij qui omnino

etiam adoleſcentiæ robur exceſſerunt, catecheſi dant aures. Archidux mater perpetuò liberalis, caſulam cum duobus antependiis, vt vocant, ac tribus peplis, quibus ſtatuæ & aræ exornantur, ædi ſacræ attribuit, omnia auro & argento conſpicua. Sereniſſimus Ferdinandus pro fabricæ incremento duo florenorum millia donauit. Magna etiam exſtitit hoc anno nobilium Procerum & Prælatorum erga nos beneuolentia: quæ non ſolùm enituit frequenti acceſſu ac ſtudio pietatis, ſed liberali donatione reddita eſt illuſtrior. Reuerendiſſimi Epiſcopi tantus erga Societatem noſtram exſtat amor, vt non ſolùm in communi penuriæ noſtræ liberaliter ac variè ſubinde ſubueniat, verùm ſingulos omni charitatis obſequio proſequatur. Vnde quendam ex Patribus noſtris è graui morbo ægrè conualeſcentẽ ad ſe mitti voluit, quem præter omnium ſpem, paterno in omnibus affectu, conuenientibus mediis ſanum reſtituit. Eiuſdem etiam beneficio non leuis inter Capitulum & noſtros controuerſia hoc anno eſt compoſita. Molendinum enim à defuncto Canonico ab hæreticis emptum, ipſis Canonicis præſentibus nobis crebrò dum viueret oblatum, ſed eò quòd in cleri fundo ſitum eſſet, ac ipſe ſubito morbo correptus, cauſſam peperit controuerſiæ: qua, vt diximus, magno labore compoſita, ſupra mille ducenti Collegio ceſſere floreni. Præpoſitus quidem organum quadringentis florenis comparatum templo; Collegio ruricolas nouem donauit. Nobilis quidam è Proceribus dum ſibi excedendum è rebus humanis aduerteret, 500. florenos Collegio legauit. Senatus etiam ex orichalco penſile candelabrum ornamentum mirificum, competitoribus aliis neglectis, noſtri templi choro attribuit. Deuotus ſexus femineus varia ex

tela,

tela, serico, seta, filisque aureis & argenteis artificiosè elaborata, calicum vela templo donauit.

## *Collegium Sellense.*

ANNVS hic maxima ex parte in Collegio quatuordecim aluit, sacerdotes quinque, professores quinque, reliquos Coadiutores. ad finem accessit vnus, cuius opera quanquam nostris esset non parum necessaria, non tamen potuit esse diuturna. quippe paucorum dierum interiecta mora, siue aëris nouitate offensus, seu verò, vt pallor oris indicabat, interiore priùs vitio læsus febri abripitur: quæ eum non priùs deseruit, quàm mutata ægritudine alia lento eum morbo ita exhausit, vt morienti vix pellem ad ossium tegumentum reliquerit. Toto verò ægritudinis tempore cùm singularem in ferendis doloribus tolerantiam semper præ se tulisset, tum verò illud crebrò vsurpabat, si quando alienus à seipso, quidquã sanæ fidei, aut suo in Religione susceptæ proposito aduersum diceret, vt ne pro suo haberetur; facto deinde dictum firmauit. Morti enim proximus petita à Deo, & ab omnibus qui aderamus, offensarum venia, votorum formulam iteratò nuncupare voluit: quod quia defectus viribus præstare voce non potuit, animo quod ori defuit adimpleuit. Munitus ergo ritè Sacramentis omnibus placidissimè ad Dominum, cui seruierat, emigrauit. Celebratum funus apparatu nostro, quem tamen benenolentia ciuium non mediocriter exornabat: quippe cùm seniores opidi ardentibus facibus, tum verò alij comitatu defunctum ad sacras ædes magno numero prosecuti, ad finem omnino humationis perseuerarunt. Quia pro eo qui nunc est sociorum numero angustior nostra fuit habita-

tio, adiecta sunt terna cubicula, quorum medium pro bibliotheca, quæ hoc anno cùm ex Italia, tum ex Germania omnis generis & facultatis auctoribus noua nostris impendiis instructa est. Quin etiam vt commodiùs ea quibus ad quotidianum mensæ vsum culina indiget, suppeditarentur, prædium quod hactenus longiusculè satis à domo in altero pago aberat; in proximam Collegio villam præterito anno inchoatam, præsente verò pro ea quam habemus rerum ad domesticos vsus necessariarum copia, sufficienter instructam commigrauit. Laboratum hoc anno magna fame, quod mirum est in regno frumenti feracissimo, & vicinarum circà gentium quasi penore quodam frumentario. Et quamquam exiguum esset in domo nostra frumentum, nihil tamẽ nobis vnquam defuit, Deo seruis suis liberalissimè prospiciente; quin etiam ex illa ipsa nostra penuria plurimorum egestas subleuata est. sustentati per aliquot menses pauperes centum & eo amplius, qui continuo fores Collegij luctu complebant, & grauissimis de fame, quam extremam patiebantur, querimoniis. Scholæ nostræ quanquam ob eandẽ famem post Pascha dilapsæ penè fuerant, ad renouationem tamen studiorum magna ex parte restitutæ sunt. Classis etiam Rhetorices reliquis quinque adiecta, quæ ab initio statim sexdecim discipulos accepit. Studiosorum numerus bis centum attingit. egregia certè iuuentus, & ingeniorum bonitate rara. Solemnem Paschalium festorum celebritatem celebriorem multò fecit confitentium numerus. expiata tum capita, & cælesti cibo pasta 300. toto verò anno propè 800. & si studiosos addideris, 1000. Eorum etiam qui perperam factas reuocarunt, & totius, vel longissimæ actæ vitæ generales instituerunt, numerari octoginta

possunt;

possunt; quod certè inter obsoletos in fide Catholica homines, & à tot annis pertinacissimè hæresi affixos, non parui æstimari debet. Quædam persona graui morbo affixa lectulo, vbi primùm peccata confessione expiasset, emendari morbum sensit, totumque virtuti Sacramenti adscripsit. Filium inde ex inualetudine pariter decumbentem cohortata est, vt suæ ægritudini eodem remedio mederetur. id quod non difficulter persuasit. Alius etiam grauissima infirmitate diuinitus haud dubiè oppressus non aliud inuenit salutis remedium, quàm vt voto se obstringeret peccata sua quamprimùm expiandi, & cælesti cibo se muniendi: & quia hactenus vtramque speciem participare solitus fuerat, contrarium persuasus, confessus est, communicauit, sanatus est. Reuocati sunt hoc anno ab hæresi plus minus trigintaseptem, ex his aliqui grandes hæretici, & à lacte in perfidia enutriti. Quidam à Reuerendissimo Episcopo Nitriensi ad nos institutionis & confessionis gratia missus, publicè in templo hæresim abiurauit præsente tota studiosorum corona. Nec procul abest à fide concionator vicini pagi, qui conuersatione & congressibus nostrorum emollitus in tantum est, vt puerulum qui tunc recenter fuerat illi natus, à quodam ex nostris baptizari voluerit, se etiam gremio Ecclesiæ breui restitutum iri pollicitus: atque adeò iam in concionibus nihil contra sanam doctrinam, multa etiam pro nobis suis auditoribus instillat. Magna ex parte hoc anno Parochi munià nostros obire oportuit. Itaque sacro fonte tincti ferè paruuli septuaginta. Et quia locus hic primus est quem hæreseos tabes polluerat, ex quo deinde ad reliqua Hungariæ loca lues eadem dimanauit; vt sensim ad neglectos ritus, & contempta nefariè sacra

omnia denuò colenda reuocaretur, impetratum est haud ægrè à Reuerendissimo Nitriensi, vt Sacramentum sacri Chrismatis administraret. id quod promptissimè præstitit, magnaque hominum frequentia, primum hunc post consecrationem suam Episcopalem actum, confirmatis circiter 400. peregit. quo tempore etiam, quia non ita pridem mortali omnino casu, & qui humana ope sanari non poterat, inuocatione B. P. Ignatij quidam ex nostris Fratribus reuixerat, & ita R.P. Generali nostro visum fuerat, vt ea res publica auctoritate firmata ad se mitteretur; omnibus qui in domo eramus legitimè examinatis, authenticum hic instrumentum confecit. Fecit & illud, vt pagum nostrum vltra flumen Vagum, cuius fructibus hęreticus concionator Parochi titulo fruebatur, sua auctoritate ab illius iure eximeret, dum Catholicus olim præficiatur, qui redditus illos dignè percipere possit. Experti sunt & hoc anno ciues & coloni nostri, quod credere antè noluerant, quanta rebus sacris vis ad mala depellenda inesset. Homo hæreticus cùm infantulum haberet ægra ita valetudine, vt salus illius desperaretur, ad nostros confugit accersitum aliquem, qui infantem inuiseret, & si qua ope posset, adiuuaret. sacerdos noster, vbi primùm Euangelio S. Marci lecto manus ægroto imposuit, conualescere ille statim cœpit, nec ita multo pòst omnino conualuit. Augusto verò mense in curia cuiusdam inquilini intempesta nocte, haud ita procul à Collegio, ingens exortum fuit incendium, & iam vtrimque tertia domus ignem conceperat, & periculũ erat ne tectum quoque nostrum corriperet; cùm quidam è nostris particulam agni cerei, cum reliquiis indusij B.P. Ignatij flammis iniecit, atque ita ne vlterius diffunderetur cohibuit. Beneuolentia demum

mum & liberalitas erga nos amicorum non mediocriter est probata. Reuerendissimus Nitriensis regium Bibliorum opus donauit: calcem quantum nobis toto hoc anno pro variis ædificiis opus fuit, obtulit: duas casulas filo aureo argenteóve textas templo præsentauit: præmia in promotione suo sumptu curauit, & actiunculæ quæ tunc habebatur interfuit: atque vt omnibus modis suum erga nos animum ostenderet; postridie primam lectionem nouæ classis Rhetorices sua præsentia, cum quatuor Canonicis sui Episcopatus, & quodam nobili viro cohonestauit. Generosus verò Dominus Matthias Ostrosich centum daleros Collegij fabricis donauit. Magnificus Dominus Palfi (quem virum vtinam nobis & huic regno præpotens Deus seruasset diutiùs!) cùm hac iter faceret, à nostris frugali prandio exceptus, & inter cibum à studiosis carmine est salutatus; quæ res tantum priorem erga nos beneuolentiam auxit, vt pro ornamento & nostrarum scholarum & regni Collegium duodecim alumnorum erigere voluerit: & iam informationem totius rei acceperat; sed preuentus immatura morte, immatura inquam, non gloriæ, cui abundè satis vixerat, non ætati, quæ quinquagesimum annum attigerat, sed patriæ, nobis & bonis omnibus, id quod constanter inceperat, finire non potuit. Antequam porrò triclinio exiret, amplexus quotquot aderamus omnes humanissimè more nostro, magnam vim lacrymarum profudit: culinam deinde ingressus, coco, Benedicat, inquit, tibi Deus; biennium & amplius est, quo tanto gustu, quanto hodie cibum numquam cepi.

## *Residentia Thurocienſis.*

IN Reſidentia Thurocienſi octo fuimus hoc anno, ſacerdotes quatuor, totidem Coadiutores. In miſſionibus duo ſacerdotes bonam partem anni conſumpſerunt: alter à natiuitate Domini vſque ad Paſcha, alter multo diutiùs, interrupto tamen tempore non rarò, quòd eum Superiores domum reuocarent. Omnes vno aut altero excepto, morbis variis tentati valetudinem priſtinam receperunt. Obſeruationem diſciplinæ domeſticæ in tanta paucitate noſtrorum, & multiplici occupatione, tum faciliorem, tum etiam iucundiorem fecit vigilantia Superiorum. Decem ab hæreſi ad Catholicam fidem reducti. Duæ mulieres terroribus agitatæ ad tranquillitatem beneficio Sacramentorum Confeſſionis & Euchariſtiæ, vſu aquæ benedictæ & agni Dei, reductæ ſunt. Duabus agnus Dei in partu periclitantibus admotus, auxilio poſt Deum fuit. Non pauci ad deponendas totius vitæ maculas integra confeſſione adducti. Etſi verò Paſchæ tempore omnes qui domi fuerunt diuinorum myſteriorum participes fuerint; non deſunt tamen, qui diebus feſtis, vel Dominicis, vel apud Parochum, vel apud Patres noſtros de peccatis confiteantur, & ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum percipiant. Tres alumni Collegij quondam Thurocienſis ſacris initiati, antequam in parochias ſeſe conferrent, exercitiis ſpiritualibus ad tantum munus obeundum ſeſe compararunt. Eos poſteaquam in templo noſtro, magna hominum frequentia, prima ſacrificia Deo obtuliſſent, in parochias dimiſimus. Harum vnam S. Georgij dictam, nouem annis iam tenuerant hæretici: quam

legitimo

legitimo iuris processu in comitiis regni, cura Superiorum, auctoritate regiæ Maiestatis, & Iudicum regni, iuridica sententia hoc anno recepimus ipsa feria quinta Paschatis; pulso Lutherano Ministro Catholicum sacerdotem dedimus. Pater Rector aqua benedicta templum & cœmeterium reconciliauit, respondentibus ad psalmos sacros cæteris Patribus. Eodem die duo sacra ibidem dicta, concio Catholica habita, fugatis frementibus & confusis hæreticis, exultantibus Catholicis, lætitia gestientibus præcipuè nostris, quos dolor amissi illius templi nouem annis excruciarat, & Deo gratias pro tanto beneficio maximas agentibus. Sed à templis, ad populum redeamus. Famis tempore, quæ à Quadragesima fermè vsque ad Septembrem, vehementer afflixit, quamuis frumento nimis tempestiuè vendito, non plus quàm necessarium erat domui nostræ, & prædiorum familiæ frumẽti supereſſet, benignè tamen factum est multis esurientibus, pane, leguminibus & pulmentis ex vario genere olerum effectis. In magna gratia fuerunt etiam furfures, qui pauperibus victum in illa necessitate præbebant. Cùm alij plerique plurimis diebus panem non gustassent; nonnulli ditiores, quæ porcis antea proiiciebant, iam in panem redegerant: alij ex montibus herbas, radices atque varias fungorum species, posteaquã æstas conualuit, miseri homines fami profligandæ legebant. Vultus ipsi macie fameque tabescentes misericordiam mouebant. Quæ ratio victus diuersos morbos, qui adhuc non paucos lectulis affigunt, tota ditione vulgauit, nonnullos extinxit. In vicinis Comitatibus etiam pestis exarsit, à qua Deus adhuc Thurocienses defendere dignatus est. Auctum est huius Residentiæ prædium hoc anno agris emptis

centum

centum octoginta daleris, & domo veteri, cuius ædificium, stabula atque horreum, posteaquã renouatum fuerit, non pœnitendos fructus afferet. Solemnibus processionibus, de quibus aliis annis perscriptum est, accessit hoc anno in festo S. Georgij, vna ad templum eiusdem Martyris nuper recuperatum: quæ fuerat annis nouem, quibus Lutherani templum occupabant, intermissa.

## *Missio Nedeziana.*

NEDEZIVM toto anno sæpe vnus Patrum excurrit, rogatu generosi Domini Danielis Pancratij, qui in propria aula oratorium erexit in suum & populi subiecti vsum, quoad templum à fratre hæretico per vim occupatum, Catholicæ Ecclesiæ restituere possit. Tribus magnis à nostra Residentia distat milliaribus, quæ frequenter Pater pedes, salutis animarum studio inflammatus eundo illuc, & domum redeundo, confecit. Quo in itinere à nobilibus quibusdam ebriis potu & hæresi inuasus, licet ardentissimè cuperet aliquid molestiæ perpeti Christi caussa, post plurima conuitia, probra, maledicta verborum, & vinculorum minas, Dei beneficio saluus & intactus abiit. Nec defuit fructus. Quadringenti ex hæresi ad Catholicam fidem reuersi, Sacramentali confessione sunt expiati. In his nonnulli à quinque milliaribus occultè venerunt, licet grauibus pœnis cautum esset à ciuitate, cuius ciues erant, ne id facerent. Duæ personæ, quarum altera suspendium elegerat, altera enecare se veneno decreuerat, & iam araneum eo fine deuorauerat, sed innoxium, ad meliora consilia reuocatæ. Veneficia & superstitiones, quibus aut damna inferebant, aut aliorum morbis mederi se putabant seducti homines, auditis

auditis concionibus Patris nostri nonnulli omiserunt. Odia grauia & capitalia inter magnæ existimationis viros, & coniuges composita, & reconciliata sæpe gratia. Multis vsuris finis impositus, multarum restitutio facta. Quidam Domini animia seueritate in subditos, & iniusta pecuniarum exactione abducti. Vni visione quadam via ad salutem patefacta. Non ita pridem ex fæce hæreticorum emerserat, sed tiro adhuc & rudis in Catholica fide, ob hæreticorum sodalium vexationes, deficiebat sensim ab orthodoxa religione. Tandem in grauem morbū incidit. & ecce nocte quadam à diabolis cernit se abduci in cruciatus æternos, quibus iam pedes sentiebat torqueri. Adest B. Virgo & mater cum vno sacerdote è Societate IESV, ex dæmonum manibus miserum eripit, sacerdoti tradit, vt confiteatur peccata monet, ad constantiam hortatur. Ille sibi redditus nactus sacerdotem nostrum, peccata fatetur, cælestem cibum sumit, in Catholica religione perseuerat.

## *Missio Pruscensis.*

IN hac parochia Pruscensi quamdiu Pater noster sacris operatus est, magno numero singulis Dominicis, Quadragesimæ potissimùm, homines ad Pœnitentiam & Eucharistiam confluebant. Non pauci totius vitæ maculas confessione absterserunt: nonnulli etiam, quamuis imminentem mutationem scirent, à Lutheranis ad castra Ecclesiæ confugerunt. Fuit ipsiusmet Prusci ciuis, qui cum vxore & liberis magna cum pietate Sacramenta percepit. Alius, cui nunquam antea persuaderi poterat, in subitum morbum incidens, Catholicus effectus, confessus, cōmunicauit catholicè, mortuus & sepultus est. Plerique translatione sacro-

rum

rum facta, neglecta ſua parochia feſtis Paſchalibus Horoucium in oratoriũ Madachanij, ſacrorum & Sacramentorum cauſſa venerũt, deteſtantes idolum Lutheranum. Vt verò taceam multos viſitatos infirmos, & rebus diuinis in ea calamitate adiutos, baptizatos infantes, copulata matrimonia, quæ mortuo Parocho ſacerdos noſter omnia exequebatur, in magna penuria paucorum ſcholaſticorum, ipſemet aliquoties domos ruſticorum obibat, & Pruſci, & in pagis, atque emendicato pane ſcholaſticos reficiebat; ſæpiùs à Dominis eiſdem victum exorabat. Quia verò ſacerdoti noſtro vltra Paſchalia feſta per obedientiam Horoucij verſari non licuit, dedit operam loci Dominus, vt ſacerdos Catholicus, ex alumnis Collegij quondam Thurocienſis eidem oratorio præſideret; cui domum honeſtam, menſam ex ſuo penu, & quinquaginta daleros aſſignauit. Vicini quoque Catholici nobiles pro viribus adiuuãt, vt eidem ſacerdoti nihil deſit. Nec ſatis habuit Dominus Madachanius domi ſuæ oratorium erexiſſe; ex alia parochia duobus inde milliaribus Hungaricis diſtante, cuius patrocinium defuncto Lutherano poſſeſſore in ipſum hæreditario iure deuolutum eſt, Miniſtrum Lutheranum expulit, & ſacerdotem Catholicum ibidem conſtituit, frementibus vicinis nobilibus & magnificis viris Lutheranis. cuius Ioannis Madachanij fides vt eſſet toti ciuitati Trenchinenſi teſtatior, cùm Legati munus nobilitas imponere vellet, vt negotia Comitatus in publicis comitiis regni ageret; negauit vlla ratione ſe munus illud obiturum, eò quòd quædam à Comitatu propoſita contra Catholicam fidem, & ſuam conſcientiam eſſent. Hæc de Miſſionibus. vocabamur etiam ad alia loca à diuerſis Dominis; ſed penuria

penuria operariorum piæ voluntati satisfieri non potuit.

## TRANSYLVANIA.

SI quando Transyluaniæ status non perturbatus modò, verùm etiam afflictus & variis calamitatibus oppressus fuit, hoc certè 1600. anno maximè. Cuius ingentia mala ad exeuntem vsque Septembrem durauerunt. Communis cladis & nos participes fuimus, vtpote qui Collegiorum nostrorum redditus magna ex parte amiseramus: qui tamen tyranno profligato, omnium ordinum consensu cõfirmati sunt, & nostrorum in regnum cùm fides tum mortis adita pericula honorificis verbis laudata. quia de tyranno profligato & nostris grauibus periculis locuti sumus, non abs re futurum erit sequentia breuiter adnotasse. Anno Virginei partus 1599. mensis Octobris 28. Michael Transalpinæ Vaiuoda insperatus ingenti copiarum apparatu in Transyluaniam sese infudit: cuius exercitum etsi bis victus, Marte secundo fudit fugauitque Sereniſſimus Princeps Andreas Cardinalis Bathorius. Idem cum ducentis & pluribus nobilibus, dum in Moldauiam fugere conaretur, vt exercitum repararet, intra anguſtias Alpium à Siculis rusticis inclusus 31. eiusdē mensis cæsus est. Caput Albam allatum & in nostro templo asseruatum, eousque dum reliquum corpus iussu Vaiuodæ adueheretur, quod 24. Nouembris capiti aptatum, subcollantibus regni Senatoribus in maius templum delatum, & terræ mandatum est. Prosecutus etiam funus Vaiuoda facem accensam gestans, & iustis (quæ Reuerendiſſimus electus Episcopus Demetrius Napragij,

gij, octo ex nostris sacerdotibus præsentibus peregit) interfuit. Pompa fuit pro illo tẽpore magnifica, quæ Hungaris maximè lacrymas excitit. Secundùm hanc victoriam & funus varij prouinciam casus excepere. Primùm enim Vaiuoda sese iureiurãdo obstrinxit, iure se cum omnibus acturum, bona nemini adempturum, nisi meritò & à iudicibus damnato. Deinde legationem ad Sacram Cæsaream Maiestatẽ misit, ab illius se nutu & arbitrio velle se pendere dictitans, nec se, nisi pro locum tenente agnoscere. Quæ res spe magna cunctos erexerat, futurum, vt omnia tranquillè pacificeque transigerentur. Sed ab ineunte Maio repentè mutari omnia, ruereque in peius. Nobiles aliquot viri contra fas & ius non contrucidari modò, sed etiam bona diripi, metu & trepidatione animi omnium emori. Ruentis statui reipub. aliud remedium inueniebatur nullum, quàm vt a nobilibus, quos in castra prope Thordam coëgerat Michaël, ad Illustrissimum D. Georgium Basta mitteretur Sacræ Cæsareæ Maiest. Cassouiæ Generalem, auxilium contra tyrannum petitum. qui sue Maiestatis voluntatẽ secutus venit, & 14. Sept. Claudiopolim ingressus, dum vt ad hospitium diuerteret, rogaretur, priùs templum adire, sacrumque audire, & R. P. Rectorem illo tempore ægrum inuisere voluit. Salutatus carminibus à nostris studiosis, comestum ad hospitium, & illo adhuc vespere ad castra sese recepit. Die 16. cum Germanis Hungarisque mouit castra versus Albam contra Vaiuodam. & 18. Septemb in medio ferè itinere, verè commissum prælium: quo virtute stratagemateque maximè Illustrissimi Domini Bastæ Vaiuodæ exercitus fusus fugatusque est; cùm Cæsareanorum exercitus vix ad viginti millia hominum peruenerit, hostium quadraginta

quinque

quinque millia superauerit. Desiderati eo prælio ex Vallachis, Cosachis, Bascianis, Siculis ad quindecim millia: ex Cæsarianis vix trecenti. Fugientem Vaiuodam victor exercitus insecutus est, & è tota Transyluania exegit: qui in Vallachia à Polonis semel, iterumque à Turcis profligatus, ad clementiam Sacræ Cæsareæ Maiest. confugit. Ab eo tempore prouincia respirauit, & est tranquilla ad hodiernum vsque diem, qui est 28. Decembris. Desudarunt nostri diuersis in locis 32. Claudiopoli in vniuersum 24. quinque Albæ, duo Varadini, duo Zackmarii & Darotij, qui iam degunt Claudiopoli: ex his fuerunt sacerdotes octodecim, Fratres scholastici septem, Coadiutores totidem.

## *Collegium Claudiopolitanum.*

LICET multi variis tentati sint morbis, & inter cæteros R. P. Rector medium fermè annum; tamen functiones nostræ constantem non sine multorum admiratione cursum tenuere. Diebus festis ternæ conciones habitæ, duæ Hungaricè, domi altera, altera in Monostor, tertia Germanicè. His accessit in templo nostro post prandium doctrina Christiana, & in funeribus præcipuorum Catholicorum aliæ etiam conciones; etiam hæreticis admirantibus & laudantibus. Processio huius anni in festo Corporis Christi superauit & frequentia & pompa superiorum annorum supplicationes. Magistri fuerũt octo, qui Casus conscientiæ, capita fidei hac tempestate in controuersia posita, Philosophiam, Rhetoricam, Humanitatem tradiderunt & Grammaticam auditoribus hoc statu rerum frequentibus etiam nobilibus. Ab honestissimorũ ciuium filijs scholę nostræ

visitari cœptæ, quorum parentes nullis adduci possunt vexationibus, vt illos auocent, quia videlicet liquidò deprehendunt operam apud nos minimè ludi, vt in Arrianorum scholis. Respexit Deus nostrorum pios conatus, & qui gementes semina terræ mandarunt, cum exultatione viderunt laborum fructus suorum. In Paschate plures (quod miraculo non caret) quàm vnquam antea Pœnitentiæ Sacramento iratum numen placarunt; quorum feruor & in diuinis alacritas, haud dubiè vires non mediocres addidit precibus quadraginta horarum, quæ pro communi prouinciæ salute fusæ sunt. Tres bonæ indolis iuuenes Romam ad nouitiatum missi. In vrbe varia hæresum portenta execrati, sacraque facta exomologesi in album Ecclesiæ Catholicæ relati nonagintaquatuor: inter quos tres magni nominis & nobilitatis feminæ, illo tempore, dum ob metum desperatorum militum intra mœnia Claudiopolitana sese continerent, & subinde nostrum adirent templum. duo item nobiles & genere & virtute bellica iuuenes: quorum exemplum matrem etiam prouectæ ætatis ad fidem attraxit. in cuiusdam senatoris arce, duabus vicibus 28. potiore ex parte milites strenui, & vxor ipsiusmet senatoris cum suis pedissequis, & familia tota. qui omnes & alij plures confessi sunt, & cælesti pane refecti. Hæreticus Minister exactus est ex Maco, cuius pagi media pars dumtaxat est nostra, licet multi reclamauerint. Sacro baptismatis fonte abluti octodecim adulti. Sacrilegas confessiones repetiuerunt aliquot. Iuuenis studiosus virtutis suæ specimen non vulgare dedit, dum sæpiùs inuitatus atque illectus blandimētis muliebribus, illa partim fuga, partim grauibus verbis magnificè vicit. Mulier, quæ grauissimo capitis dolore torquebatur, ab

omni

omni moleſtia liberata, ſtatim atque ſacerdos impoſita capiti illius manu pronunciauit illa ſacra verba, *Super ægros manus imponent, & bene habebunt.* Mulier, quæ grauiter dubitabat an in ſanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento eo prorſus modo quo à noſtris acceperat, totus Chriſtus vnà cum diuinitate & humanitate contineretur, bis vidit ſupra hoſtiam dum populo ſpectanda in altum attolleretur, columbam nitidam. Alia ex graui ægritudine appenſo agno Dei conualuit. Alia cùm pridie ſalutiferi Natiuitatis diei ad pauculas prunas operitur tempus matutinarum precum, quæ noctu decantatæ fuere, & in globulis precatiis ſalutationē ab Angelo Deiparæ factam identidem repeteret; comparuit ante illius ora iuuenis honeſta & liberali forma, quindecim roſaria manu tenens gemmis & lapidibus pretioſis affabrè exornata, ſplendoreque mirabili totam illuſtrans ædem: quæ roſaria cùm numeraſſet mulier, iuuenis ſubitò ex oculis euanuit. illa mox votum nuncupat ſe in honorem Reginæ cæli quindecim coronas recitaturam: iuſſa eſt à confeſſario dum promiſſum exſolueret, orare, cui rem totam hoc quo narrata eſt ordine candidè retulit. Frequentant hominis Caluiniani duo filij ſcholas noſtras: alter annorum ſeptem circiter, quinque alter: quorum maior vbi à magiſtro eſum carnium interdictum intellexiſſet ab Eccleſia, nullis minis etiam colapho accepto adduci potuit, vt iis ſabbatinis diebus veſceretur. Mater illorum cùm graui morbo periclitaretur, ſuaſu pædagogi votum nuncupauit ſe nunquam carnes feria ſexta & ſabbato manducaturam; & conualuit. Hiſce diebus argumentis duobus oſtendit Deus, quàm Arrianorum peſtis illi diſpliceret. Nam in ludo Arrianorum adoleſcens quidam, Petrus nomine,

Collegæ, vt ipsi vocant, scholæ illius frater, in extrema cum morte lucta conuocatis omnibus, qui fortè tunc aderant suis commilitonibus, fratrem grauiter incusauit: Ecce, inquit, frater, precibus importunis eò reluctantem perduxisti, vt Catholica fide abiurata Arrij tui stipendia sequerer: vidésne iam ob hoc meum scelus omnem domum malis repletam dæmonibus, qui non aliud, quàm animæ meæ præstolantur egressum, vt illam in perpetuos inferorum cruciatus deferant? Cui cùm ter miserandus frater acclamaret, Angelos illos esse bonos, quos ille videret, quare animum ne desponderet; omni spe salutis abiecta, clamore ingenti edito infelicem animam reddidit. Superintendens etiam Arrianus in die Natiuitatis Christi, cùm multa in recèns editum infantem blasphema, multa in Societatem nostram seditiosa euomuisset, vt & nos exemplo Varadinensium & Gialuensium, qui & ipsi Catholicos sacerdotes solum vertere coëgerũt, & quidem impunè, Claudiopoli exturbaremur; secundùm concionem in ægritudinem incidit, & postquam triduum vel quatriduum sine voce, lecto affixus grauiter tortus esset, ex summis corporis doloribus ad grauiores animi cruciatus translatus est, lugentibus hæreticis, & necdum irati numinis vindictam agnoscentibus; orthodoxis verò miserantibus quidem illius interitum, sed tamen ob gloriam Christi demonstratam, & nostram propugnatam innocentiam, maiorem in modum lætantibus. Pater noster excurrerat comite Parocho pagi nostri, ad quendam vicum nobilibus refertum: vbi finita concione, & familiari colloquio conclamatum ab omnibus, vt ad antiquam religionem post tot aduersos tum vitæ, tum fortunarum casus redeatur: &, quod Deus bene vertat, adeatur

R.P.

R.P.Collegij Claudiopolitani Rector; à quo impetretur vt sacerdos ille saltem tertia quaque hebdomada ad ipsos excurrat, erigatur è vestigio templum, si non magnificum propter cæmenti & materiæ inopiam, certè ex ligno, ne ad vicina loca ad hæreticos ire cogantur: se enim ex vna hac plus didicisse, quàm triginta & ampliùs annos ex Caluinianorum Ministrorum frequentibus concionibus. Vnicus repertus est inter alios opibus & fortuna potentior, qui interceſſit, probè sibi Papisticam religionem esse perspectam, nec è re loci illius futuram sacrorum innouationẽ. quare se auctore Catholicum sacerdotem non aduocatum iri. Iussus est ad breue tempus è triclinio excedere, vt illo absente, quod opus esset facto, diligentiùs inter se discuterent. Tandem consentientibus animis & voluntatibus concluſum, vt prius consilium ratum fixumque maneret: cui si vnus ille calculum adiicere nollet, sub pœna decem dalerorum à puteo communi arceretur: si domus illius vel ignem conciperet, vel à latronibus inuaderetur, nemo sub eadem multa suppetias illi ferret. Hæc vbi concluserunt, aduocant illum refractarium, quid in commune decreuerint, aperiunt, ideoque maturè, ni sententiam mutet, executuros. Excusare ille se territus, ratione in consilium non adhibita se paulo antè locutum dicere, idem se, quod alij, sentire velleque. Templum ergo iam ædificatur.

## *Collegium Albense.*

TOTVS hic annus, si exteriora aspiciamus, grauis & molestus nostris extitit, vtpote in medio & ante truculentorũ ora hostium; quæ res effecit vt scholæ aliquamdiu intermissæ fuerint. Episco-

palis Cathedra hoc anno nobis data, vt ordinariè ex illa ad populum verba faciamus; quod & præstitum non sine fructu, etsi non absque summa difficultate, eò quòd homines barbari linguæ Hungaricæ ignari cateruatim ad monumenta priscorum ducum intuenda conuolarunt, & inconditis clamoribus concionatorem interturbarunt. Cētum circiter, vt ex fide dignis accepimus, ad Ecclesiæ caulas redierunt. quorum quidem circiter sexdecim nostris confessi, reliqui Canonicis. Plures sexdecim qui nunquam coram sacerdote exomologesim fecerant, & interea mensam adire Dominicam non perhorruerant, ad sinceram scelerum expiationem adducti. Ad sacra & conciones diebus festis, quæ iam omnino in neglectum venerant, eo præsertim die, quo inferebantur efferebanturque merces (qui quothebdomadis vnus erat) populus assuefactus; vt quandoque non minùs frequentes comparuerint, quàm aliàs diebus Dominicis: quibus vt animū adderet Reuerendissimus Dominus Demetrius Napragij Cancellarius Transyluaniæ, electus Episcopus, semper ferè, nisi à Vaiuoda distineretur, vnà cum aula sua interfuit, aliquot non rarò ex proceribus hæreticis secum adductis. In Paschate tanta fuit eorum multitudo, qui se de criminibus patratis accusarent, quò digni essent epulis Angelicis, vt ad dies aliquot duo sacerdotes vix sufficerint. quod hoc turbulentissimo rerum statu, armis vndique strepentibus, & domi nefariis militibus omnia diripientibus mirum videri vel maximè debet. Quo tempore personæ aliquot à nefariis superstitionibus abductæ, & inter duos coniuges, qui capitali odio dissidebant, pax conciliata. Ab iniusto coniugio deterritæ duæ. Tres mulieres vt primùm animi vulnera Ecclesiæ medico curanda aperue-

aperuerunt, è grauibus morbis incolumes euaſerunt. Vna iam biduo facultatem loquendi amiſerat; ſed viſo ſacerdote, & recreari cœpit, & ita commodè loqui, vt occulta delicta pandere potuerit, ac poſt triduum lectum reliquerit. Quædam ne ſuſpendio gulam ſibi frangeret (cui mantile quoque circumuoluerat, & ad hæc etiam alienata mente è clauo pendebat) prohibita. Cauſſam in ſe ſæuiendi filia nupta dederat, quam abſente marito vi miles ſchiſmaticus abduxerat, ſed non ſine præſenti numinis diuini vindicta. nam paucis pòſt diebus, dum exercitus luſtratur, ſocij plumbea glande caſu traiectus interiit. Quidam ægrotus in hæreſi educatus, dum in extremis eſſet, & in eodem morbo tres ante quatuórve dies conuerſus, moreque Catholico ad illud periculoſum iter inſtructus, de animæ ſalute deſperauit: ita vt nulli ne vxori quidem aliud loqueretur, quàm de ſe actum eſſe, ac in tabulatum duntaxat oculos figeret, & toto corpore ruberet, arderetq; . vxor, quæ modis omnibus illius conuerſionem tentauerat, & iam extremum animæ periculum acerbiùs ferebat, accurrit ad noſtrum ſacerdotem, quem etiam atque etiam rogat & obſecrat, ne maritum animam agentem, & de miſericordia Dei diffidentem deſerat: ad quem cùm aduolaſſet, multis precibus monet & vrget, vt verbum aliquod edat, ſpem concipiat optimam: Deum enim indulgentiſſimum eſſe, dummodo noui poſt confeſſionem admiſſi ſceleris pœniteat, & ex integro confiteatur. Ad extremum vix multis clamoribus impetrat, vt ſe & dolere dicat, & confiteri paratiſſimum eſſe. Poſt triduum circiter vbi meliùs habere cœpit, iuratus aſſeruit, ignem ſe vidiſſe infernalem, & ideo præteritæ vitæ criminibus exanimatum. Conualuit paulo pòſt, & in

fide susceptа etiamnum perseuerat. Vexabat hæreticum muliebri modò forma, modò iuuenis, modò muscę, modò alia quapiam diabolus, quem nunc in manibus, aliquando in pectore, nonnunquam in capite & aliis membris sentiebat: à quo, vt ab vxore profugeret, sollicitabatur. Quare vt ab hac vexatione liberaretur, accessit Caluinianos Ministros, eosque rogauit, vt sibi suppetias ferrent. Responderunt illi se hac in re nihil posse: quare si liber esse vellet, Albam ad Iesuitas pro auxilio petendo proficiscereturr. Fecit, & postquam instructus totius anteactæ vitæ scelera recensuit sacerdoti, & insuper Eucharistiæ Sacramẽto, pòst agnoque Dei munitus est, omnia dæmonis terriculamenta diffugerunt. In festo Corporis Christi supplicatio solemnis habita, tubis tympanisque concrepantibus.

## *Missio Darotiensis & Zackmariensis.*

IN Darotz vndecim mensibus tres sacerdotes, & vnus frater diuersis temporibus commorati sunt. Qui repudiatis contra fidem erroribus, expiatisque totius vitæ peccatis, & epulis pasti diuinis, gremio Ecclesiæ Catholicæ recepti sunt, sexagintaseptem fuerunt. Ex quorum numero duæ magnæ nobilitatis personæ extiterunt: quarum conuersione sicut orthodoxi multùm gaudent, ita Caluinianæ hæresis Ministri acerbè torquentur, videlicet magnis suis defensoribus ac patronis amissis. In festo Corporis Christi supplicatio solemnis instituta, quæ hoc in loco à memoria hominum exoleuerat, magna Catholicorum lætitia, & admiratione hæreticorum Femina

Catho-

Catholica cuiusdam ludimoderatoris vxor, cùm ab amicis & sanguine iunctis diu multumque vexata fuisset, eo nomine quòd fidem deserere noluisset, maritum hæreticum etiam atque etiam obsecrauit, vt sincerè diceret, quidnam de religione Romana sentiret: se, Scripturæ sacræ ignaram, eam, quam ipse laudaret fidem, in pretio ac professione habituram. Accepta priùs fide silentij maritus, bona fide respondit, inter omnes quæ hac tempestate vigerent religiones, Catholicam optimam verissimamque esse; proinde, se auctore, vsque ad vltimum spiritum eam retineret. Interrogatus ab eadem, cur quam inter cæteras ab omni remotiorem errore iudicaret, non amplecteretur; respondit famam & prouentus impedimento esse, quæ statim atque Catholicus fieret, amitteret: quibus in fide confirmata mulier etiamnum perseuerat.

ZACKMARII fides sacrosancta, iam olim deleta est; tamen tribus mensibus, quibus è nostris sacerdotibus vnus ibi moratus est, dedit operam diligentissimam, vt incolas ab errore reuocaret: nec nihil profecisset, nisi Caluiniani feroces summa vi pro suggestu magistratus ac populum ab audienda doctrina Catholica deterruissent. Nam extemplò duos ciues ob hæresim abiectam senatu excluserunt, alios aliis pœnis absterruerunt. Reperti nihilominus aliqui, qui præteritæ vitæ crimina Pœnitentiæ Sacramento deleuerunt. Idem sacerdos accersitus à quibusdam nobilibus in aliud castellum, cùm ibi concionator hæreticus publicè ex loco superiori idololatriam Catholicis inureret; sine mora eodem in loco respondit, falsèque obiecta diluit. Qua re confirmati Catholici, hæretici verò de sua secta vt dubitarent, adducti.

## *Residentia Varadinensis.*

VARADINI nostri, qui duo fuerunt, magnis in initio difficultatibus exagitati. Nam inuidia & potentia quorundam procerum, nec exercitia Societati consueta in arce libera fuere, nec æris campani pulsus; adeò vt Catholicis denuntiatum sit, futurum vt ex ponte in fossam deturbarentur, si in arcem rei diuinæ audiendæ caussa ingressi fuissent. Exhausta tamen difficultas. & iam Capitanei hæretici non modò comes se exhibent, sed etiam alter illorum affirmauit, sua se concionatorem interempturum manu, si contra Patres aliquid dixerit fecerítve. Templa duo Catholicis attributa, Hungaris alterum, alterum Germanis. Aliquot pellices suasu nostrorum vel ex munitione expulsæ, vel ad legitimum matrimonium compulsæ. Ad Pascha sicut in agro hac tempestate admodum sterili, accusarunt se in sacra confessione de peccatis Hungari circiter quinquaginta: ex quibus tres hęretici alij vel nunquam exomologesin fecerant, vel à decem sedecim ve, annis diuinis epulis abstinuerant. ad Natalem Domini diem Hungari viginti, vnus hæreticus, ceteri prioribus similes, Germani vigintiquinque. Dissidentes præterea aliqui sunt reconciliati. Sacro fonte abluti infantes sedecim. Matrimonij Sacramentum castris administratum.

PRO-

# PROVINCIA BELGICA.

PROVINCIA Belgica viginti locis quasi stationibus quibusdam diuiditur. Collegia sunt Louaniense, Tornacense, Audomarense, Duacense, Antuerpiense, Leodiense, Traiectense, Brugense, Iprense, Cortracense, Gandense, Insulense, Vallencenense, Montense, Bergense. Residentiæ verò Bruxellensis cum missione Castrensi, Cameracensis, Luxemburgensis, Atrebatensis, Seminarium Anglicanum Audomaropoli; Missio denique Hollandica. In hisce Socij 496. resident. mortui sunt nouem, admissi vigintiquinque.

## *Collegium Louaniense.*

CENSENTVR è nostris Louanij quadraginta-septem, sacerdotes tredecim, studiosi vigintiduo, Coadiutores duodecim. Vacationum tempore Theologiæ studiosi ad vnum omnes exercitiis sese spiritualibus excoluerunt; aliquot paupertatis religiosæ experiendæ studio peregrinatum ierunt mendicando, rudes catechesi instituendo, alij aliis demissionis exercitationibus Dei gratiam demereri ad sui victoriam studuerunt. Ad externos labor noster etiam deriuauit. Confessiones supra centum triginta generales auditæ. ex diuersis opidis huc aduentarunt, quorum nonnulli per hebdomadas aliquot sedem fixerunt, vt conscientia diligenti exâmine discussa, & per peccatorum confessionem expiata deinceps in sanctitate Deo seruiant. Pudicitiæ plurimum consultum, variisque è libidinum cœno extracti. Sanctimonia.

monialium monasterium nõ minùs maleficiis & spectris dæmonum, quàm luxata mutua charitate, laxata regulari obseruantia miserè turbatum; nostrorum adhortationibus, alloquiis operaque in confessionibus aliquoties posita, omni molestia prorsus liberatum, religionis integritati, altæque paci restitutum est. Sacratioribus diebus mille ducentis, subinde ampliùs, sacrosancta synaxis porrigitur. Hæresim quam imbiberant tres coram testibus abiurarunt. Alius in ea perfidia enutritus dum rapitur ad supplicium; adiutus à nostris, ita piè mortuus est, vt non mediocri admirationi omnibus fuerit. Spiritualibus commentationibus imbuerunt animum supra quinquaginta. Quatuordecim ex his ad Societatem animum adiecerunt: septem voto potiti; aliquot, aliud religiosorum ordinum institutum amplexi sunt. Duo Theologicorum seminariorum Præsides & Doctores primarij bonam familiæ suæ institutionem ac quietem acceptam ferre se ac debere testati sunt exercitationibus hisce spiritualibus: quibus vt animos imbuant, cùm publicè, tum priuatim alumnos suos hortantur sedulò. Bacchanaliorum diebus celebrata supplicatio horarum quadraginta in æde nostra. Studiosi Iuris & Theologiæ voluntariam per verbera castigationem, ad quadragintaquatuor susceperunt: quæ res aliis magnum addidisse calcar creditur, studiumque imitandi. Illud de Sodalibus omnium Sanctorum dixerim, neminem ferè esse, qui non priuatim flagellis in carnem sæuiat, aut cilicium quod subinde vsurpet non habeat. Ad antiquum Annunciatæ Virginis Sodalitium accessit hoc anno noua ciuium honestorum congregatio. Conueniunt ij statis diebus ad exhortationem, quæ vernacula lingua ad eos habetur. è minori Sodalitio Parthenico

thenico octo ad diuersa Religiosorum instituta se receperunt. Præter statas catecheses Latino, Gallico, Flandrico idiomate propositas, aliquoties in ipsis plateis & locis vrbis celebrioribus habita est à nostris doctrinæ Christianæ explicatio magna ciuium approbatione, & fructu. Sacræ supellectili præter casulas duas pretiosas, & alia nonnulla, accessit hierotheca argentea, inaurata, eximiæ pulchritudinis, quæ plusquam mille florenis stetit. Census annuus auctus testamento sacerdotis cuiusdam centum florenis. legarat is plura, sed quoad cetera non substitit testamentum.

## *Collegium Tornacense cum Domo Probationis.*

DEGVNT in Collegio Domoque Probationis Tornacensi septuagintaseptem: sacerdotes viginti duo, professores sex (ex quibus duo cum sacerdotibus recensentur) Coadiutores quatuordecim, reliqui nouitij. Iuuentus quæ scholas nostras frequentat, in dies, vt numero, ita virtutum ac litterarum progressu fit auctior. ex ea plures in religiosas familias cooptati. Itur à nostris in pagos concionis & catecheseis instituendæ gratia frequentissimè: visuntur subinde sociorum paria viginti, qui diuinum hoc semen iaciant. Confessiones frequentantium vis est sæpe maxima: diebus vt Dominicis hora matutina tertia, secunda etiam solemnioribus pro foribus templi nostri, præstolentur permulti. Cætera Christianæ rei officia geruntur, vt solent, strenuè. & licet plurima, eaque grauia huius rei edita sint argumenta; quia tamen cum iis, quæ annis præcedentibus allata,

aut

aut aliorum Collegiorum notis communia sunt, scribere supersedemus.

## *Collegium Audomarense.*

ALIT hoc Collegium trigintasex è nostris, sacerdotes sedecim, præceptores sex, quorum duo adnumerantur sacerdotibus: studiosos Casuum vndecim, ex quibus sacerdotes duo; Adiutores octo. Dissipatæ multorum inimicitiæ ac reconciliata gratia. Duo Magistratus principes mutuis maledictis lacessiti placati sunt. Concitatum inter patrueles acerbum odium pecuniæ nomine magno tandem labore sedatum. Alij graubus distracti inimicitiis, vt etiam Paschali tempore à Sacramentorum vsu abstinerent, præter omnium spem & exspectationem offensiones sibi condonarunt. Ortæ inter coniuges duos dissensiones ad diuortium cùm impulissent, mulieri mente vehementer agitatæ spiritus nequam insedit: à quo continenter se asserebat vexari pertrahique ad nefariam societatem ineundam, oblatis sibi cùm aliis muneribus, tum eleganti vestium ornatu. Eius inopia liberali quorundam largitate subleuata; cùm multæ adhortationes accessissent, vsusque Sacramentorum, liberata molestiis viro suo restituta est, redintegrata gratia. Magnum duobus è prima nobilitate periculum creabatur excitatis odiis, quæ breui eruptura videbantur. Sed eorum extincta sunt semina, effectumque vt inuicem sese litteris benignissimè consalutarent, quoad in aspectum & colloquium veniendi esset facultas. A quibusdam nobilibus illud impetratum, vt in eorum ditionibus pomeridianarum precationum tempore homines popinarum aditu prohiberentur. Rem alienam permagnam nonnulli resti-

restituerunt. Supellex templi aucta est eleganti calice, casulis, antependio, velis ac cortinis bombicinis, quę splendorem & ornamentum non paruum nostro templo conferunt.

## *Collegium Duacense.*

VERSANTVR Duaci è Societate trigintaocto, sacerdotes septemdecim, quorum quinque cum totidem aliis Professoribus iuuentuti instituendæ incumbunt. Sex Philosophiam audiunt, ceteri decem sunt Coadiutores. Mille circiter censentur Auditores, si Theologos adnumeres, & ij quidem penè cuiuslibet nationis, Angli, Hiberni, Scoti, Germani, Hispani. horum pietatem abundè Deus compensare videtur, cùm ad varios Religiosorum Ordines, ad Societatē non paucos frequenter adsciscat. Præter communia illa Societatis nostræ exercitia, visitationes carcerum, hospitalium, ægrorum, catechismi explicationem, quæ nihil omnino remittuntur, hoc vnum de reconciliatione dissidentium occurrit; extinctam esse quinquennem discordiam, quæ Baronem quendam à cognatis implacabili odio diuiserat. Lis quæ dissidium inuexerat, ad arbitros, quos sacerdos noster deligeret, reiecta; hinc discordia composita. Pœnitentium in templo nostro ea est frequentia, quæ decem confessarios penè obruat. Neque domi tantùm nostrorum desudauit industria, diffudit se quoque ad opida pagosque adiacentes. Quodam in loco centum facilè totius vitæ peccata expiarunt: è quibus plerique ex pagis sat remotis cælo licet terraque niue ac luto fœdissimis affluxerant. Ad culmen vsque perductum est ædificium nouum, ad latus portæ domesticæ apprime necessarium, tum excipiendis infernè externis

ternis in aditum, tum etiam collocandis supernè domesticis infirmis. Quam in rem Magistratus pro sua in nos munificentia mille florenos contulit.

## *Collegium Antuerpiense.*

SVNT Antuerpiæ de Societate vigintiquinque, sacerdotes tredecim, quorum duo cum aliis quatuor magistris litteras humaniores profitentur, Coadiutores octo. Infelicem vitæ nostræ sortem cum meliori commutauit P. Firminus Caius vir modestus & religiosus. Ministrum egit Antuerpiæ annis sex, magna diligentia & fide. obiit ætatis anno quadragesimosexto, ab aditu religiosi status vndecimo. Iuuentus quæ scholas frequentat, supra vigintiquinque quadringentos numerat. Ex ea plurimi variis religiosis familiis nomina dederunt. Qui catecheses audiant Dominicis diebus, variè collecti mille & ampliùs censentur. Vitæ totius confessiones auditæ quamplurimæ. horum nonnulli vel nunquam, vel minùs rectè fuerant confessi. successit in plerisque insignis morum mutatio. Ab infami incontinentia ad honestatem reuocatæ non paucæ. exuerunt hæresim, vt minimùm viginti: quorum alij matrimonia minùs ritè contracta recognouerunt. Virgo à iudaismo, ad quem defecerat negato Christo eiusque sanctissima matre, eiurato etiam baptismo, adhibitis diris ac detestationibus omni sæculo inauditis, quas annis singulis repetebat; cùm in Patrem nostrum incidisset confessionis gratia, magno animi sensu rediit ad Ecclesiam. Alius deposita arte magica, qua multos mortales luserat, & in fraudem damnumque induxerat, confessione totam vitam eluit. Ereptæ quoque non paucis superstitio-

perſtitionum variārum ſchedulæ ac notæ Mulier pertinaciter morti deuota venenum hauſit, præcipitium, aliaque vitæ tollendæ media tentauit, irrito ſemper (quæ Dei eſt bonitas) exitu. expiatis demum vitæ totius ſceleribus ad bonam frugem rediit. Depoſitis odiis dexteras dederunt coniuges imprimis duo, qui biennium totum mutuas cædes cogitauerāt; fratres quoque & ſorores poſt diſſidia aliquot annorum; viri nobiles, qui domo nunquam pedem efferebant ſine armatorum iuuenum manu; Canonici etiam Eccleſię cuiuſdam cum Paſtore, quos annorum quatuor odia diuiſerant; Luſitani denique potentiſſimi, quorum à leuibus primùm initiis gliſcente velut ſcintilla, diſcordia in flammas exarſerat inuoluens propemodum vniuerſam nationem. In diſcrimen ipſa ciuitas veniebat incertis præſertim Reip. rebus; dies noctesque adlaborarunt noſtri, non fruſtra; nam poſitis odiis, armis atque factionibus magno omnium gaudio flamma prorſus extincta eſt. Noſtrorum ſuaſu reſtitutiones à variis factæ, florenorum ſexcentorum, maioris etiam ſummæ.

## *Collegium Leodienſe.*

FAMILIA Leodienſis octo & triginta de noſtris complectitur, ſacerdotes viginti, magiſtros octo, quorum quatuor cum ſacerdotibus recenſentur; ſtudioſos duos, rei domeſticę adminiſtros duodecim. Ad Dialecticæ & Humaniorum litterarum claſſes, in quibus auditores octogintaquinque ſupra octingentos, Caſuum duæ prælectiones acceſſerunt, Illuſtriſſimi Principis rogatu in Seminarij ſui gratiam. ſed & deiecto vetere ſcholarum ædificio nouum aſſurgit, elegans & patens ad claſſes duas oportunum. Illuſtratum templi

altare maius, inductis forulis, in quibus Sanctorum capita, & reliquiæ gemmis auroque splendicantes honorificè collocatæ sunt, luculentum planè, & ad oculorum aspectum, & ad mentium excitationem opus. Sacramenta festis solemnioribus in templo nostro minimum bis mille ducenti obeunt. Catechismus quinque celebrioribus vrbis paroeciis per hiemem, paruis magnisque explicatus, totidem foris æstate. Itum quoque solito studio ad fornaces, quæ in hac ditione plurimæ: in quibus liquatum primò ferrum, & in laminas extensum, in tenues virgulas funditur. Cui operi nocte ferè dieque incumbunt viri, vt durissimi, ita rerum omnium ad salutem ignarissimi. Principio quidem ridere, magistrumque repudiare videbantur. Sed fratris nostri partim patientia, partim etiam astus ferreum hominum genus peruicit. Pauperes igitur aliquot, qui sibi dabant in litteris operam, curat eorum instar nigredine deformari, mores habitumque fingere, ignorantiam prima fronte simulare rogatos, edoctos postmodum respondere. Itaque factum, vt quod antè pudori erat & contemptui, honori esset & voluptati. Submissi etiam crebrius vacationum tempore aliquot de Sodalitate iuuenes, qui eos Symboli articulos, primaq; Christianæ legis elementa docerent. Stetit operæ fructus. traducti enim plurimi ad directum salutis iter non mediocriter sibi gratulantur de magistris optimis: à quibus inter cætera accepissent, animos suos esse immortales, beatæque vitæ capaces, si Dei monitis auscultarent. Serenissimus Coadiutor Colonienſis cum Serenissimo patruo Electore, sacratioris ieiunij tempore excepti sunt à scholarum nostrarū Imperatoribus egregio dramate. Aderat Illustrissimus Nuncius Apostolicus, Episcopus Tricaricensis,

ac

ac propè vniuersa patriæ nobilitas, quæ ad indicta comitia Leodium, & ad scholas nostras inuitati conuenerant. Multis verbis Sereniſſimi Principes Collegij nostri eximium ſtudiũ in Bauaricam domum, quam in ſcriptis nos exornaſſe cognoſcebant, & iuuentutis noſtræ in dicendo ardorem commendarunt. Altero die, nos vt viciſſim ornaret & recrearet Sereniſſimus Coadiutor, apud nos in communi menſa cum paucis è primaria nobilitate prandere, domum ac ſcholas omnes viſere, egregia amoris & beneuolentiæ ſignificatione voluit. Ad eam orationis quadraginta horarum celebritatem, quam B. Virginis Sodales duobus illis diebus, quibus in luxum fluere ſolent homines, ante quadraginta dierum ſtata ieiunia, inſtituerant, maxima hominum cuiuſuis ætatis & ordinis turba confluxit; paſſim vt dictitarent, nec ſe iis diebus vidiſſe parem aliquando pietatem, nec conſimilem in ciuitate modeſtiam. Namurcum hinc Miſſio inſtituta fuit, expetita illa quidem à Reuerendiſſimo & Capitulo Namurcenſi, Aduentus & Quadrageſimæ temporibus. Concioni Patris noſtri, paucis diebus exceptis, aſſiduè interfuit Epiſcopus, Eccleſiaſtici plerique & vrbis primores. Eius fructum declararunt quotidianæ animarum expiationes, graues iræ depoſitæ, & ad cæleſtes epulas celebrior acceſſio. Catechiſtica lectio ab vno ſacerdote duplex habita: altera quæ rudioribus & ignaris, altera quæ prouectioribus ſeruiret. ad hanc præcipuus fuit hominum concurſus. Muliercula quædam decem annis obſeſſam ſe à dæmone finxerat; & ad varia templa, in quibus præſertim numeroſior populus, ſæpe deducta, clamoribus & peregrinis geſtibus cruciatum ſimulabat. Deſudauerat inter cæteros vehementer adhibitis exorciſmis Prælatus quidam,

sed frustra. Is cùm dæmoniacam ad Patrem nostrum misisset periculi faciendi gratia, excepit illam primùm blandis sermonibus, donec fraus pateret: qua detecta illa culpam agnouit & conquieuit; mirantibus pluribus, qui offensionem veriti conceptam impostura opinionem aperire minimè ausi fuerant. Cùm sermo varius de erigendo Collegio crebresceret, periculum multis amicis subesse videbatur, ne religiosi Patres instituti S. Francisci de Obseruatia, quorum præcipua Namurci auctoritas, ei negotio remoras adferrent. Commissarius ergo P. Guardiani rogatu cauit in virtute sacræ obedientiæ, & sub pœna carceris, ne suorum quisquam facto verboq; ostenderet aduentum Societatis in eam vrbem sibi gratum non esse. Fassus est etiam nostris P. Guardianus ingenuè nostrorum commendatione longè auctiores accessisse eleëmosynas monasterio, etsi alendo militi ciuitas nunquam magis exhausta fuisse videretur. Namurco Patres Dionantum concesserunt magnis precibus & populi & cleri euocati: quorum primores Collegij inardescunt desiderio. Conciones frequentes duorum mensium spatio, & catecheses habitæ: Sodalitas quædam B. Virgini sacra cum eiusdem cultu, qui ferè iacebat, restituta. Denique cùm Dionantensem cathedram per Aduentum & Quadragesimam præstantissimi quique concionatores & doctores ambiant; non desistunt infimis propè precibus & clerus & populus instare Societatis vt concionatore gaudeant.

Colle-

## *Collegium Traiectense.*

NVMERANTVR Traiecti vnus & viginti, sacerdotes decem, professores sex, quorum duo sunt sacerdotes, adiutores septem. Fructus quem nostri colligunt ex institutionibus per monasteria, scholas ciuitatis, & apud excubitores in portis abundè respondet labori. Confessiones auditæ generales centum & nonaginta, quarum plurimæ magni fuere momenti, & multorum annorum. Adolescens annorum vigintiquique, ex Anabaptistarum familia, à nostris institutus, antequam Baptismi gratiam esset adeptus, continuam patiebatur animi carnificinam: corpus etiam plus æquo graue, molestum ac tardum ad omnes functiones videbatur. salutaribus aspersus aquis iam inde experitur & corporis & animi alacritatem quam solent (vt eius verbis vtar) qui lautiori epulo reficiuntur. Obtenta à variis animorũ consensio, qui in mutuum ruebant exitium. Curatum etiam, vt ij qui in matrimonio inter hæreticos contracto diutissimè vixerant legitimè contraherent, & in eo peramanter Catholicèque viuerent. Vidua florentis ætatis, cùm à diuite proposito ingenti turpitudinis lucro solicitaretur, quidlibet potiùs perpeti maluit, quàm flagitium perpetrare. Quidam capite damnatus, dum neglectam multorum annorum confessionem integram demum restaurasset; ita animatus ad locum supplicio destinatum aduolauit, vt calceos abiiceret, respondereteque obsistentibus ob arduum iter iustitiæ administris, nefas esse, si ipse Christum nudum cruceque oneratum calceatus sequeretur.

## Collegium Brugense.

CONSTAT Collegium hoc sociis duodeuiginti, sacerdotibus vndecim, professoribus sex, quorum quatuor sacerdotum numero adscribuntur, Adiutoribus quinque. Ornata est non parum sacra supellex amicorum donatione. Nouarum ædium antiquis accessio facta, tantum prodest domesticæ libertati, quantum illæ obfuissent si in tabernam diuersoriam versæ nobis non obtigissent. Diuinarum rerum commentationibus exculti fuerunt solito plures. Duo à perfidia ad orthodoxam fidem reuocati; quorum alter à pueritia imbutus se fortunatum deprædicabat ante mortem Catholicorum numero aggregari. Sluſas à tritemium Præfecto sæpius accersimur, cùm ipsius solatio, tum remigum erudiendorum gratia Lætus is ager, sed fructu vberior. Patres ij, qui Catholicum exercitum sequentes clade ad Ostendam edita elapsi fuga saluti consuluerunt, in hoc Collegium se receperunt.

## Collegium Iprense.

CENSENTVR Ipris è nostris octodecim, è sacerdotibus decem, quatuor cum duobus aliis magistris studiosis instituendis dant operam: cæteri sex rei familiaris sunt administri. Angustiæ templi ampliatæ sunt lateralibus parietibus ad plateam vsque deductis, quos excipit murus nouus, patens ac longus, claudendo horto, qui hactenus propemodùm patuerat, apprime oportunus. Duo calices noui sacræ supellectili accesserunt. Latè hic patet catechismi traditio: quo in genere discipulis nostris, magistrorum suorum æmulantibus studia,

ſtudia, permittitur à Paſtore, vt in ruſticano templo paruos & etiam grandiores erudiant. Suſcepta hinc Miſſio Balliolum; Flandriæ vicus eſt populoſus & celebris, quem Caluiniana hæreſis olim infecit ac vaſtauit. ibi noſtri bimeſtre ſolidum hæſerunt, magno certè rei Chriſtianæ incremento & animorum fructu. Exercitiis ſpiritualibus primores quique exculti fuerunt, catecheſis inſtituta frequenti concurſu, & applauſu, & emolumẽto. Carceres & noſocomia magno ægrotorum captiuorumque ſolatio adita: multorum ſubleuata diſſidia: religioſæ denique familiæ eorum concionibus adiutæ.

## *Collegium Cortracenſe.*

CORTRACENSEM vineam excolunt octo & decem; ſacerdotes decem, profeſſores duo, cum quatuor aliis, qui in ſacerdotum claſſem relati ſunt, Coadiutores ſex. Præcipua vtilitas ex ſcholis & doctrina Chriſtiana emanauit. Adoleſcentes duodeni diuerſas Religioſorũ familias inſtruxerunt, magna Antiſtitum voluptate, & multiplici noſtrorum commendatione. Fatentur enim ſeminarium Religionum Societatis modò ſcholis contineri. Doctrina Chriſtiana iam pridem conſtituta optimè (quod difficillimum ſemper viſum hactenus) priſtinam dignitatem conſeruauit. Eam porrò non infructuoſam fuiſſe res vna declarabit. Vt hic maximè mitis eſt populus, minimeque malitioſus; ita promiſcuis iocis, ludicriſque rebus omnibus pueri puellæque miſcebantur. Impetratum hoc anno eſt, id maximè vt credatur infame, vix modò vt videas puellulam in publico cum pueris quacunque occaſione diſcurrere. Pœnitentium numerus, vt ſolet, haud contemnendus. Sa-

cerdos vnus confessiones totius vitæ excepit ad quadraginta. vndecim errore depositio orthodoxam religionem amplexati generali confessione se Deo atque Ecclesiæ reconciliarunt. Horum vnus Anabaptista pertinax fassus est ceruicosam contentionem suam sacerdotis nostri modestia fractam esse. Cùm nefarius prædo venatione longissima fatigatus, virgines duas ad auia tandem fœdandas impulisset; eò duo è nostris nec opinantes delati, iam proximas periculo exemerunt. Quodam in opido effectum concionibus, vt sacris diebus religioni ducãt. si quis mechanicis rebus, quod tum non erat infrequens, manus admoueat. In virginum cœnobio ingens sopita turbatio, animiq́ue sedati. In aliis duobus magna nostra simul virginumq́ue voluptate auditæ confessiones, & intestini dissidij exhausta sentina animis in verum amorem copulatis. Burburgum (Flandriæ id opidum est paruum quidem, sed territorij caput) concionator vnus ex hoc Collegio destinatus, præter fructum quem retulit, desiderium quoque sui ac Societatis ciuibus reliquit.

## *Collegium Gandense.*

SVNT in Collegio Gandensi personæ nouemdecim, sacerdotes decẽ; docent ex his iuuentutem tres cum tribus aliis professoribus, cæteri sunt Coadiutores. Ad superos hinc emigrauit P. Iudocus Hagius Gandensis, vir modestia ac submissione animi singulari, quã in conuersatione verbis req; ipsa prę se ferebat. accedebat iuuãdi proximi zelus cum sui ipsius contemptu. Is cùm fructuosè sacro Aduentus tempore Alostanis fuisset concionatus, iterumq́ue rogatus, vt Quadragesimæ ieiunio institu-

stitutum prosequeretur, in medio cursu abrumpere cogitur, domumq; non sine lacrymis reuectus, multo vberiores Gandensibus, quibus gratissimus erat, excitauit. Decessit ætatis anno quadragesimo, post ingressum in Societatem decimo-octauo. Plures à vanitate mundi abducti, arctiori vinculo Christo se sociauere. Hæretici duodecim à nostro concionatore permoti, errorem deposuerunt, institutaque piaculari confessione extulere Iesuitarum prudentiam, facilitatem & humanitatem in excipiendis iuuandisque pœnitentibus, quos rigidos, acerbos & formidabiles fuerant arbitrati. Ad scholas non mediocris facta accessio. Nunquam maiori frequentia celebratæ comœdiæ, dramata ac declamationes. Coronationem Caroli Quinti, qui vrbem hanc natiuitate sua mirificè nobilitauit, illustri apparatu, primò Serenissimis Principibus, inde populo exhibuimus. Iidem Principes cùm domum nostram inuiserent, musica in templo, in area decem diuersis linguis, in horto vbi varij fontes artificiosè erumpebant, à pastoribus Flora, Pomona, Faunis, Satyris, in scholis ab ipsismet Musis consalutati sunt. Placuisse omnia vel hoc indicio esse potest, quòd præcipui aulici, & ipsa Isabella Hispaniæ Infans nihil se in toto itinere in Hispania, Italia, Germania maiori voluptate vidisse affirmarent. Sed neque hic scholarum fructus stetit. Multi ad diuersa monasteria concessere, vnus Societatem amplexus; sex in schola Rhetoricæ eandem votis omnibus expetunt. Quæ de Sodalitio Parthenio, quod honestissimorum virorum consessu, eoque numeroso constat, & solito splendore perseuerat, dici possunt, quæ de doctrina Christiana, carcerum visitatione, aliisque id genus, taceo; vel quòd à relationibus annorum præcedentium

non discrepent, vel certè cum aliorum Collegiorum obseruationibus conueniant.

## Collegium Insulense.

SVSTENTAT Collegium Insulense de Societate vigintiquatuor; sacerdotes duodecim, magistros præter vnum sacerdotem, alios quinque, rei domesticæ administros septem. Domi foriſque nostrorum nec pœnitendo fructu collocata est opera. Puellæ complures spreta mundi vanitate sese Christi obsequio variis in claustris manciparunt: restitutiones factæ complures, quarum vna ducentorum florenorum pretio æstimabatur. Eleëmosynis emendicatis liberati multi è carceribus. Perpoliti duodecim spiritualibus exercitiis: inter quos sacerdotes aliquot, & vitæ dissolutioris ciues vitam in melius commutarunt. Longè plures exercitarentur, si loci commoditas permitteret. Sodalitas B. Virginis in pristino vigore perdurat insigni numero, ac ciuium splendore: cui aduersariorum maledicentia quo magis nititur tenebras offundere, eo illam ampliùs illustrat. Conciliati fratres quatuor, qui in mutuam necem ruebant, annisque non paucis à sacra communione ob inimicitias abstinuerant, syngraphaque publica iniurias inuicem condonarunt.

## Collegium Vallencenense.

DVOS & viginti alit è nostris Collegium Vallencenense, sacerdotes duodecim, quorum duo cum professoribus aliis quatuor scholas regunt, Coadiutores sex. Decessit Coadiutor vnus Hubertus Lamot Leodiensis, annos natus quadragintaquatuor: vixerat in Societate annis septem, diutur-

diuturno demum lecti vsu, nonnullis corporis partibus dilaceratis, non tam de dolorum sensu, quàm de æternæ vitæ aduentantis mora querebatur, & quo grauiores morbi stimuli, eo etiam leuiores videbantur: quòd desideratæ patriæ certiores nuncij apparerent. Sepultus est in area designata templo, Deoque prima arrha eo loci cecidit. Cùm aliis Dei muneribus, tum inprimis beneficentia B. P. N. Ignatij, ac nouis miraculis hoc Collegium illustratum est. Filiola Prætoris Onanensis prostratæ valetudinis, admotione thecæ cuiusdam, in qua particula ossis B. P. N. concluſa erat, primùm morbo soluta, breui deinceps spatio penitus conualuit. In eodem pago grauida mulier ante partum aliquoties corpus graui lapsu collisserat, fœtumque ex interna corporis repetita læsione extinctum arbitrabatur: eo magis quòd dolores in ipso partu per dies quindecim incredibiles perpessa, nullum interdum prolis motum persentiscceret; vbi thecã reliquiariam è collo suspendit, vix per mediam horam subsidio B. P. Ignatij implorato, filiũ enixa est, qui in egressu communem omnium vocem emisit. Sed cùm exiguo pòst spatio nullum vitæ indicium ostenderet, admotis sacris reliquiis respirauit infans, ac sese mouere cœpit. Ad templum baptismi gratia delatus, tredecim diebus superuixit. Puer secundæ classis Grammaticæ auditor, adhibitis frustra medicorum præscriptionibus stomachi torminibus mitigandis ac placandis; concepta demum magna spe B. P. N. reliquias exclamat atque efflagitat. Licuit illi vesperi eas amplecti atque exosculari; quieuit nocte illa, & manè exiliit è lecto, nulloq; morbi relicto vestigio templum nostrum gratias acturus accessit. Eius frater natu minor, aliquot pòst mensibus in morbum comitialem cùm incidisset,

disset, parentes perculsi præsentiorem diuinam, quàm medicorum opem experti, ad B.P.N. iteratò confugiunt, ac facta prece, applicatisque reliquiis repentè in eorum conspectu, secuta est filij perfecta curatio. Adolescentem alium Poëtices auditorem tertiana aditu scholarum prohibebat. is spe magna incensus cùm sibi numen ac B.P.N. conciliasset, eo die quo recursura febris putabatur, omnino repressa est atque extincta. Hæc ne quis in dubium vocaret, testium asseueratione comprobata & consignata fuerunt cùm publicis ciuitatis, tum priuatis sigillis D. Antistitis, D. Ioannis, Prætoris Onanensis, Capituli ac Decani aulæ Comitis. Concursus pœnitentium euadit in dies maior. auditi sunt de tota vita facilè centum. Solemnibus diebus cùm quingenti præcedenti anno ad sacras epulas accederent, accesserunt præsenti mille, præter eos qui loci angustia excluſi aliò se conferre coacti sunt. Virgines duæ è voluptatum castris se Christi vexillis adiunxerunt. alia voto astricta insistentis proci molestiis eam obiecit constantiam, qua victus turpis amator supplex iniuriarum omnium veniam precaretur. Accessit templo annuus reditus ad alendum perpetuum lumen ante Venerabile Sacramentum assignatus à Principe femina: cuius præterea liberalitate atque aliorum bibliotheca nostra pulcherrimis libris nobilitata, breuissimo tempore creuit, adeò vt meritò locupletibus ac bene instructis bibliothecis annumerari possit.

## *Collegium Montense.*

SVNT in Collegio Montensi vigintiduo de Societate, sacerdotes duodecim, quorum tres profitentur litteras cum tribus aliis præceptoribus,

bus, rei domesticæ administri reliqui. Pœnitentiũ frequentia ingens festis præsertim solemnioribus: iis sacerdotes duodecim vix sufficiunt. Respondet communicantium numerus, quibus (quod aliis Collegiis vsu venit) singulariter aliquis deputandus est, qui continenter accedentibus cælestes dapes exporrigat. Mulieres nonnullæ rei familiaris inopiam pudore prostituto subleuantes, conquisitis eleëmosynis ad meliorem vitę frugem reuocatæ sunt. Adolescentem quendam adegerat egestas ad restim, qua iam collum constrinxerat; sed illicò memor eorum, quæ a nostro sacerdote audierat olim, collum soluit, & facti pœnitens confessario conscientiam vitamque commisit. Aduello reuocati duo. Virgines non paucæ nobiles, partim ex Canonicarum collegio, partim ciuium familiis honestioribus mundo nuncium remiserunt. Nonnullę non verentur in xenodochiis & carceribus ancillarum instar ministrare: quod non modò honestæ, sed & nobiles matronæ earum exemplo æmulantur; eaque certatim faciunt, quæ ceteræ delicatiori stomacho refugere solent atque horrere. Collapsa scholæ catechisticæ disciplina nostrorum hortatu restituta est. Præsunt ciuitatis primores huic operi, & iuuentutem continent præsentes ac moderantes. Exercitiis spiritualibus excitati nonnulli religiosum statum; alij sacerdotium sæcularibus nuptiis prætulerunt.]

## *Collegium Bergense.*

COLLEGIVM Bergense ab ipso sui exordio personas duodecim habuit, ex quibus sacerdotes sex, professores tres, vno adnumerato ex sacerdotibus, Coadiutores quatuor. Nihil æquè senatui curæ fuit admisso iam Collegio, quàm domum scholas-

ſcholaſque aptare noſtris vſibus, donec à fundamentis excitatis ædificiis propria domo, templo ac ſcholis cum tota ſupellectile frui liceat. Felicibus auſpiciis apertæ claſſes octauo Auguſti. Admoniales habitæ duobus in locis adhortationes, quaque hebdomade. Hoſpitale frequentatum, vbi ægri ad patientiam & confeſſionem incitantur. viſus quoque carcer non infrequẽtiùs, vnicus quidem ille, ſed toti ditioni communis: atque inibi habita de rebus ſacris priuata colloquia, catecheſes ac conciones, nonnulli noſtrorum operâ liberi abire permiſſi ſunt. Ea noſtri induſtria vſi ſunt ad inducendum frequentem Sacramentorum vſum, qui vel etiam ſolemnibus feſtis languebat. Cùm octo ſint in vrbe ſcholæ, itum eſt feria ſexta ad vnam alterámve ſcholam in orbem, admonitiſque pueri, tradito iam catechiſmo, vt ad confeſſionem adeſſent ſtato die, petita ad id à parentibus venia. Quo factum eſt, vt non pauci è pueris, ipſi quoque parentes octauo quoque die ad confeſſionem accedant, per pueros officij ſui moniti. Foras plerumque Dominicis feſtiſque diebus excurſum ad pagos varios, magno Paſtorum gaudio, ruſticorumque frequentia ac fructu. In his maxima ex parte data opera catechiſmo. Conceſſum etiam Dunkerkam, portum nobilem Bergiſque vicinum, vbi vt plurimum quouis anni tempore, Hollandi ad ducentos maritimis Dunkerkanorum excurſionibus captiui detinentur: è quibus plerique nomine tenus Catholici doctrina Chriſtiana inſtructi, animatiſque ad fidem ſeruandam ſalubri Pœnitentiæ Sacramento (cuius vix nomen audiuerant) expiati ſunt: hæreſim verò quindecim abiurarunt.

Reſi-

## *Residentia Bruxellensis.*

AD Residentiam Bruxellensem Missio Castrensis pertinet: in vtraque duodetriginta numerantur, sacerdotes septemdecim, Adiutores vndecim. In conflictu illo, qui ad Neoportum initus, & in quo exercitus Catholicus post editam hostium non exiguam stragem fusus fugatusq; est, tres quoque è Patribus nostris desiderati sunt: P. Petrus Buselin Cameracensis, ætatis annum agens triceſimumseptimum, ab aduentu in Societatem decimumquintum. præfuit Missioni annis quatuor magna omnium ædificatione, præsertim Caleti; vbi medio propemodum anno ingenti animi magnitudine peste infectis, ac dysenteria laborantibus opitulatus est. Nihil frequentius vsurpare solebat; quàm desiderare se vitam Christi ac religionis caussa profundere, aut in Indiam, atque ad nationes barbaras proficisci, vt eam, quam à Deo acceperat, eidem animam martyrio consecratam redderet. Scripsit de Martyropædia seu Martyrum institutione libellos tres, quos postremò discedens Superiori Bruxellensi tanquam mnemosynon reliquit. Alter P. Otto Campensis, qui è Germania ad milites Germanos adiuuandos accitus, multos ab hæresi reuocauit, strenuèque rem diuinam ac salutem animarum procurauit. Tertius P. Laurentius Euerardi Buscoducensis annorum trigintatrium, ab inito religioso statu anno decimoquinto, decessit. Flagrabat hic animorum zelo: temporisque id omne arbitrabatur frustra consumptum, quod animis iuuādis non impensum, cùm liceret per Superiores, effluēret. Fructuosè nostri Bruxellis, vbi omnis generis ac conditionis visuntur homines, occupantur:

pantur: vt sacelli angustia aduentantes non capiat; assiduè tamen à primoribus frequentatur, audiendisque pœnitentibus toto anno Dominicis festisque diebus vix confessarij septem sufficiunt. Tres à Caluinismo auulsi, eorum vnus Geneuæ natus, à Beza baptizatus, & in gymnasio Geneuensi instructus catechismum ibidem perlegi solitum, distinctumque in singulas Dominicas, tenebat ad vnguem; sacerdoti nostro vt aurem commodauit, se vinci passus est, repetitisque publicè baptismi ceremoniis ad Ecclesiam rediit, ac etiamnum perseuerat Sacramenta frequentans. Sanctimonialis biennio in sacrilegij luto volutata, erecta est & stabilita: altera ne laberetur, confirmata.

## Residentia Cameracensis.

NOVEM in vniuersum Cameraci versantur, sacerdotes quinque, Coadiutores reliqui. Nostrorum conuersatione ac vsu plurimi nouam viuendi rationem Christiano homine dignam instituerunt. Germanorum mulieres maleficæ ante supplicium extremum auditæ egregium spectanti populo exemplum pietatis reliquerunt. Lapsi à fide erecti septuaginta, vacillantes confirmati, eruditi laborantes ignorantia non pauci. Cum rusticis messis præcipua. A concione & catechesi accidunt confessionis gratia, sacerdotum genibus. Quolibet die sacerdote nostro aduenient confluunt ad ædem sacram, agricultura, aut opificiis, diurnoque lucro potiora rati quæ salutem eorum promouent. Ad vicum illum, cui concio indicta est à Curionibus, conueniunt cæteri pagi viciniores, idque vicissim. Pastores ipsi spiritualibus commentationibus excitati, nostrorum

rum ôperâ, pro confessione vtentes, suis vt idem faciant auctores sunt & duces. Ex Gallia sæpiùs cùm Ecclesiastici tum laici, piandæ conscientiæ gratia veniunt. Nonnulli auditis concionibus, priuatis etiam colloquiis permoti suas pellices abiecere. Sagarum quarundam filiæ in re Catholica planè rudes, & à matribus dæmoni deuotæ nefandaque societate coniunctæ, fidei ac honestatis lumen aspexerunt.

## *Residentia Luxemburgensis.*

LVXEMBVRGI è Societate octo in vniuersum habitant, ex his sacerdotes tres, studiosus vnus, Coadiutores tẽporales quattuor. Præcipuus fructus ex lectione catechistica collectus est, quæ cùm variis locis in vrbe ac foris, tum maximè mendicantibus in plateis, quòd locus nondum paratus esset, instituta fuit. Sacratioribus diebus extra festa Paschalia olim aut nulli, aut pauciſſimi toto opido communicare solebant, nunc vel trecenti numerantur. Superstitiones, iuramenta aliaque vitia non leuia minuuntur in dies. Cùm hîc in nundinis turpes aliquot imagines, & alia quædam hæresim redolentia prostarent venalia; à nostris Senatus admonitus mox imagines, & cetera selegi, & in ignem conijci curauit, ipsosque venditores exilio mulctauit.

## *Residentia Atrebatensis.*

ATREBATVM totius Artheſiæ caput, vt duplicibus mœnibus, ita duplici Magistratu distinguitur. Pars altera quæ Ciuitas dicitur, Episcopo; altera, quam Atrebatum indigitant, Principum paret imperio. Illa insigni Canonicorum collegio

& perantiqua sede Episcopali, hæc prouinciali concilio nobilis. Populus, quod mirere, quamuis animo martiali, sicubi tamen in toto Belgio, litteratorum hominum abundat frequentia. Quorundam amicorum atque adeò primorum rogatu eò missi sunt sub finem anni 99. sacerdotes duo, ac totidem Coadiutores. Omnes, quoad destinata nostris vsibus domus instrueretur, peramanter excepti, vsique hospitio R. Electi Vedastini, & ab Episcopo ad obeunda nostræ Societatis munia perlibenter admissi: quæ non minùs feliciter, quam strenuè auspicati sunt. Diebus sacris habitæ conciones ab vno ad sacras virgines, aut quod maior necessitas postularet, in suburbio: ab altero Atrebati stato loco tanto concursu, vt confertissimam turbam templum bene capax ægrè cùm capiat, ingentemq; hominum copiam excludat; alij scalas, alij templorum fvaluas, aut loca superiora conscendere, alij concionis tempus ad horas quinque præuertentes patienter concionatorem, etiamnum sustinere cogantur. Perseuerat enim in hanc diem eadem frequentia, & audientium auiditas. Indixerat concionator noster concionem in agro suburbano. Is confluxus peregrinorum fuit, qui ab hominum memoria visus est nunquam. Nullus ad tabernam, vt moris est, deflexit potandi gratia. sed summa modestia pars rosaria decurrentes, pars de concione tractantes domum redierunt. Concionum recordatione compressa sæpe in publicis conuiuiis bibendi licentia; extincta dissidia; iuuenculæ non paucæ perosæ vanitates arctioribus se pietatis officiis addixerunt. Inductus frequentior Sacramentorum vsus. Initio Dominicis quibusque diebus quadraginta, nunc quinquaginta supra centum, celebrioribus trecenti & ampliùs confessione apud nos expiati cæ-

lesti

lesti pane reficiuntur. Nullus adhuc propemodum dies effluxit, quo pœnitentibus nostrorum saltem alter aurem non accommodarit. Catechesis hebdomadatim sexies omnino traditur; celebriapparatu, maioriq. numero diebus Veneris ac Dominicis. & feria quidem sexta præter grandiores, partim ciues honestos, partim operarios, qui malunt ad horam opere relicto se puerulis adiungere, quam lucrari; facilè mille ducenti; Dominicis supra bis mille quingentos censentur. Cessant interea spectacula, quorum vsus non infrequens, quod actores ipsi fatentur, quia spectatores versi sunt in Iesuitarum auditores. Visitati carceres, nosocomia, & pagi cum optato animarum lucro.

## *Seminarium Anglorũ Audomarense.*

SVNT in Seminario Anglicano socij octo, sacerdotes sex, Coadiutores duo. Alumni porro seminarij tres circiter supra octoginta numerantur, plerique omnes bonam de se frugem pollicentes, vt in iis instituendis non inutilis opera poni censeatur. Horum nonnullus, vt primogenitus ita paternorum bonorum hæres, reuocatus à parentibus, vt libertate & deliciis in patria frueretur, cùm etiam eum sacerdos hortaretur, vt in eo parentibus acquiesceret, constanter reuerti renuit; dicens se malle fratri iuniori bona omnia quæ sibi iure hæreditario obuentura essent, cedere, quàm hunc locum cœptumque feliciter studiorum cursum deserere. Duo Angli ex occasione in has partes delati nostrorum operâ ad Ecclesiæ gremium redierunt instituta vitæ totius confessione.

## *Missio Hollandica.*

QVIA de rebus in Hollandia gestis hoc anno nihil accepi, reddam ea quæ anni præcedentis sunt, quæq; seriùs reddita, quàm vt cum punctis annuis transmitti potuerint. Ex tribus sacerdotibus, qui Hollandicum agrum excolebant, obiit diem extremum P. Ioannes Bargius Amstelredamensis annos natus quadragintaocto, cùm annis vigintiduobus multa in Societate officia obiisset cum laude. Annis vndecim, quibus præfuit nouitiis, disciplinam religiosam, vocationis nostræ spiritum, ac ordinem nouitiatus plurimùm promouit Feruore iuxtà, ac diligentia certantibus in iuuandis gentilibus suis Hollandis eum edidit fructum, quem cùm non facilè verbis queam assequi, attexam vnius epistolæ fragmentum, quam ad R. P. Prouincialem paulo ante mortem destinauit. Eo reditus, inquit, meus Catholicis fuit gratior, quo discessus eos grauiùs affecerat. Occupationes in Hollandia & Vltraiectina ditione, paucis quoque diebus in Zelandia & Geldria diurnæ quidem fuerunt vtcumque moderatæ, sed assiduæ. Nocturnas in Frisia, easque assiduas diurnis necessariò coniungere oportuit nouem hebdomadarum spatio. Locorum mutatione, periculi metu, vtendum perpetuò per opida sex, pagosque vigintiquatuor. transigebantur noctes hac ratione: Persoluebam sub vesperam Matutinum officium. à sexta deinde hora pœnitentibus aures dabam, aut non tinctos baptismate eluebam ad mediam vsque noctem. Sequebatur concio de rebus fidei, iis præsertim, quibus ab hæreticis aut prauæ vitæ mortalibus secernimur. Oblato deinde Missæ sacrificio, in quo parati diuina

uina mysteria percipiebant, breuis eorum, quæ in concione dicta erant, subiiciebatur repetitio. Demum hora post noctem mediam tertia, cuique integrum erat se domum recipere: manebant qui confiteri cuperent, vel communicare, qui baptismo initiari, aut matrimonia non legitimè inita, redintegrare. Ante lucem nauicula in alium pagum vectus sequenti vicissim die nocteque institutum prosequebar, post somnum nimirum trium subinde horarum, & nonnullam corporis refocillationem. hactenus epistola. Quæ de rebus in Missione Hollandica gestis adferri possunt breuiter subiiciã. Superstitionibus, chartis, characteribus impiis ac notis, quibus etiam pij Catholici fidere ac niti videbantur ad febres pellendas, ita feliciter indictum bellum, vt iis sublatis agni in cera consecrati effigies cultusque successerit. cuius efficacitate vir egregiè Catholicus tertiana, vbi è collo suspẽdisset, omnino liberatus est. Ad Ecclesiæ Catholicæ gremium eiurata hæresi redierunt sexaginta, quorum senex quidã septuagintasex annos natus fœda hac labe quadraginta amplius infectus annis, cum ingentibus lacrymis præcedentis vitæ noxas detegens in gratiam cum Deo ac Ecclesia rediit. nauta quoque sexagenarius, secutus primùm Caluinum, deinde Mennonem, cùm quietem apud vtrumque non inueniret, orthodoxæ se fidei, libros impios igni contradidit. In fide vacillantes stabiliti sunt quamplurimi, euulsaque ea opinio, quæ apud Catholicos inoleuerat præstare concionatorem hæreticum audire, quàm omnino sacerdote carere, ac instar pecudum salutis immemorem viuere. Confitentium excreuit numerus ad mille ducentos nonagintasex, quorum plurimi iis Sacramentorum præsidiis nunquam, alij ab annis viginti, triginta, vel etiam quadra-

ginta vsi non fuerunt. Inter hos senex quidam septuagenarius cum vxore eiusdem fermè ætatis, tantam inde animo lætitiam persensit, vt optaret hoc tam excellenti septus præsidio, quo annis viginti caruerat, instar Simeonis in pace dimitti. Repetentium quod impiè confessi essent exomologeses, vitæ totius auditæ ducentæ quinquaginta septem; quædam annorũ decursorum septuaginta. Qui matrimonia non ritè contracta redintegrarunt, censentur facilè ad sexagintaquinque paria, quorum nonnulli annum septuagesimum, alij etiam octogesimum attigerant. Non defuerunt plures, qui per leucas aliquot grauidas etiam vxores adducerent pedestri itinere, cùm vt sibi Deum conciliarent, tum vt legitimo ritu contraherent. Baptismo lustrati quà adulti, quà paruuli numerantur centum quinquaginta octo, inter hos adolescens Iuris studiosus egregia indole parentibus hæreticis ortus, amicorum hortatu Catholicæ religioni adiecit animum: qua sufficienter imbutus sacris baptismi ceremoniis initiatus est. Aduenerat confessionis gratia energumena quædam; ea benedictum cereum tenente, diabolus eius dentibus, qui tamen ob fremitus præcedentes vacillabant omnes, tales stridores excitauit, qui omnibus horrorem incuterent. postridie iuuenis pane cælesti confirmatus incredibilem animo cepit voluptatem.

PRO-

# PROVINCIA POLONIÆ.

CONSTAT prouincia locis septemdecim, præter aulicam Missionem & Prouincialem cum sociis, qui nullo certo loco contientur. habetque ex nostris homines 466.

## *Domus professa Cracouiæ ad S. Barbaram.*

FVIT hic annus aliquantum grauior, propter assidua penè pestis, seu contagionis pericula, quibus loca primùm circumuicina, deinde hæc ipsa ciuitas regni sedes, per plures menses iactata fuit. Aluit tamen Domus hæc viginti ex nostris, inter quos duodecim erant sacerdotes, octo Coadiutores temporales, & duo nouitij, qui à S. Stephano statis temporibus submitti solent. Vacatum pro more concionibus, confessionibus, & aliis Societatis ministeriis, cum eo fructu, quem diuina bonitas largiri dignata est. Ac in primis ex variis hæreticorum lacunis, ad gremium sanctæ matris Ecclesiæ reducti per nostros trigintaseptemò: è quibus nonnulli fuere, qui singularem erga se Dei prouidentiam experti sunt. Puella erat teneræ ætatis parentibus orbata, quam matrona quædam hæresi contaminata in suam tutelam acceperat. hæc cùm non sine periculo salutis suæ apud heram infidelem degeret, hac tandem ratione periculum omne euasit. Obiicitur oculis illius venustissima Deiparæ Virginis species, per quam beatissima Virgo puellæ locuta est, eāq; nomine proprio compellans mandauit, vt absq; vlla mora ad capessenda fidei orthodoxæ dogmata,

sese præparet. Paruit illico puella, & clàm è domo sese subripiens in ecclesiam nostram se recepit, ibique maculis conscientiæ detersis in fide confirmata est. Concionibus & familiaribus colloquiis multi ad fidem & pietatem Christianam accuratiùs colendam animati sunt. Libri hæretici, quorum vsus pernicioſus esse poterat multis, à suis dominis impetrati, & flammis addicti sunt. Ægrotis, vinctis, capite damnatis, spiritualia subsidia suppeditata. Subuentum etiam nonnullis, qui grauissimis tentationibus oppugnati, extremum salutis periculum adiisse videbantur. Adolescens quidam erat nobili cuidam viro ab obsequiis: hic lecto affixus, cùm morbo quodam graui premeretur, dæmonum etiam varios impetus fortiter sustinuit, quibus eum nunc per lenocinia ad se pertrahere conabantur, nunc in extremum desperationis barathrum trahebant. Pugnabat acriter iuuenis, & contemnens omnia confessarium postulabat: instabant contrà humani generis hostes, & spectris quibusdam inanibus illum distrahebant; ostentabant equum album militari fastu insigniter ornatum, porrigebant in manus frameam auro pictam, omnem fortunę successum spondentes. Sed cùm ille artibus istis veteratoriis non cederet, sed confessarium identidem flagitaret; tandem etiam produxerunt iidem hostes & impostores spectrum vnum sacerdotis & confessarij specie, offerentis suam operam ad excipiendam confessionem illius. At hac quoque fraude deprehensa exhorruit iuuenis, & exspuens in dictam spectri obiecti faciem, signoque crucis se muniens omnem aduersariorum conatum elusit: deinde confessarium tanto ardentiùs expetere cœpit, & tandem etiam vt accerseretur per contubernales suos, conflictus penè totius testes obtinuit.

tinuit. Adest euocatus vnus è nostris, solatur fessum ex pugna tironem, confessionē eius excipit, denique à peccatis absolutum omni simul metu, & tentationum incursu liberat. Subuentum etiam per nostros peste infectis; cùm enim aliquot sacerdotes è nostris ad solatium & subsidium proximorum destinati fuissent, nullis laboribus pepercerunt, vt in tanta necessitate constitutis subuenirent. Vnus etiam, qui Superioris inter illos obtinebat locū, partim labore, partim etiam contagione prostratus succubuit, & cessit morti; daturus, vt speramus, perennis vitæ initium. Fuit hic in Societate annis pluribus Wenceslaus Samotulienſis vir laborum patientissimus, mitis, feruens spiritu, zelosus, deuotioni & pietati deditus: cuius etiam, in extremis positus, egregium specimen reliquit. conuocatis ad se sociis, qui in eadem domo aderant, qua poterat adhuc iamiam morituus, voce, prædicauit bonitatem diuinam, quòd eum ad Societatem vocasset, conseruassetq; in ea ad illum vsque diem; deinde suarum ab omnibus offensionum veniam deprecatus est, denique orationibus se omnium commendans spiritum Domino paulo pòst reddidit. Fuerunt præterea hoc anno nostrorum operâ monasteria aliquot diuersorum Ordinum adiuta, partim per exceptas confessiones generales, partim per alia media Societati vsitata. Nonnulli qui Societati non optimè erant affecti, imò apertè eam oppugnabant, mutato animo ad eam amandam se contulerunt. Vnus erat præcipuè, qui profiteri videbatur se hostem nostrum. is cùm quodam die domi suæ paulò attentiùs secum rem consideraret, seseque colligeret, mittit illicò pro vno ex nostris sacerdotibus: qui cùm ad eum veniſſet, procidit ad pedes illius, nec antè surrexit, quam peccatorum

suorum confessionem peregisset, omnem grati animi solicitudinem pollicitus: quod & præstat egregiè. Fabricæ templi noui non exigua hoc anno accessio facta, ita vt iam ad Australem partem trium sacellorum arcus erecti fuerint. speramus æstate proxima maiores progressus. Neque enim Sereniſſimus Rex de sua liberalitate quippiam remittit: imò verò, vt opus inchoatum celeriùs & faciliùs perficiatur, pensionem certam annuam 4000. florenorum assignauit. Sacristiæ supellex addita hoc anno æstimatur floren. 150.

## *Collegium Bransbergense.*

EXACTO anno 1600. Collegium ex nostris aluit plurimùm triginta vnum, sacerdotes decem, magistros quinque, præter duos sacerdotes, quorum alter Philosophiæ, alter Casuum & prælectionibus Cõtrouersiarum occupatus est. septem ex nostris Philosophicis studiis nauant operam, rebus & occupationibus domesticis reliqui; ex quo tamẽ numero aliqui tũ seminario tam Pontificio, quàm etiam diœcesano, tum etiam conuictoribus moderandis habitatione separati præsunt. Vnus etiam ex his, quorum in rebus domesticis erat opera, Guilielmus Lambertus Anglus, vitam ærumnosam cum meliore commutauit, iam annos natus 74. in Societatè 43. consumpserat, non sine laude fortitudinis & patientiæ in multis magnisque sępe laboribus, tam Romæ (vbi per decem annos in Collegio cocum egerat) viuente adhuc B. P. N. Ignatio, quàm in Vngaria & Polonia, quò inde missus fuerat. pietas etiam & deuotio in eo eluxit non spernenda, tam domi, quàm foris inter externos, apud quos cum dispensatione R. N. P. Generalis frequens manebat, præser-

præsertim in aula Illustrissimi Cardinalis Bathorei, Episcopi Varmiensis bonæ memoriæ. tandem viribus sensim cum ætate grauiter deficientibus, diem extremum, ad quem se sedulò comparabat, piè obiit. Reliqui, vt pro rei communis ratione ad profectum suum diligenter incumberent, effecere non solùm priuata in hoc genere cuiusque cura, ac Superiorum immediatorum vigilantia, sed & R.P.V. singularis hìc ac verè paterna sollicitudo, adhibitique stimuli. In scholis præter multorum expectationem in tanta rerum ac temporum difficultate, atque etiam annonæ grauitate, tam lecta, nobilis & numerosa iuuentus conspicitur, vt nunquam aliàs; adeò quidem vt aliquot superiores scholæ, propter locorum angustiam, vix plures, imò neminem capere possint. Ex his quatuor nostræ Societati nomina dederunt, admissi, vt idem iter bello Liuonico sopito, ingredi possint, auidissimè exoptant. Nonnulli etiam ad aliorum Religiosorum transiuere familias. Magnus in pietate multorum est ardor ac constantia. Argumento sint paucula subiecta exempla, præsertim eorum, qui in congregatione Virginis Annuntiatæ, quæ quidem in varios cœtus distributa est, censentur. Duo alumni Pontificis, dum cognatos suos hæresi infectos visendi gratia in patriam se contulissent, nullo prorsus conatu ab ipsis persuaderi, nullis vexationibus minisve pertrahi potuerunt, quo minùs confirmatis animis præfixo temporis spatio eò redirent, ne minùs firmum animi consilium mutari, aut iam firmatum ad meliora propositum labefactari posset. Maior ipsis in altero & genere & moribus insigni adolescente animus, cuius in fide Catholica à parentibus & cognatis hæreticis mirificè fuit pertentata constantia. Hic iuuenis in seminario Pontificio ad melio-

meliorem ſuorum ſtudiorum habendam rationem, non ob penuriam aliquam, cùm prædiues eſſet, bonis artibus ſedulò vacabat. Vocatur in patriam mox huius iuuenis generoſum animum, vt amata ſtudia deſereret, vt Papiſtarũ, ſicut ipſi falsò vocant, deteſtaretur idola, vt in deligendo vitæ genere non ſuo proprio ſenſu, ſed prudentum virorum & parentum potiùs acquieſceret iudicio ac voluntati, multis fucatis verbis atque blãditiis peruertere conati ſunt. ſed ipſe à ſentẽtia dimoueri nõ potuit; itaq; clàm abiit, in monaſterium ſe abdidit, ſeruitioque diuino penitus mancipauit. Huius fortè commotus exemplo, alter etiam idem inſectatus eſt iter, expiatiſque per confeſſionem anteactæ vitæ peccatis, ad eundem refugij locum recta ſe contulit. Alter eiuſdem domus alumnus in patriam Daniam reuerſus, & à Rege per occaſionem domi rogatus, vbinam litteris operam dediſſet; non ſolùm magna animi libertate quod res erat confeſſus eſt, ſed etiam periculo profectus litterarum per præcipuum Miniſtrum regia auctoritate facto, ita noſtrarum ſcholarum exiſtimationem ſuſtinuit, vt præter inſignem laudem, holoſericam etiam veſtem, regium munus reportarit. Quo facto, nonnulli ex eadem gente permoti ad diuerſa noſtra Collegia, optimis ſtudiis animos imbuendi gratia ſe contulerunt: de quibus ſperari poteſt, quòd vnà cum bonis litteris fidem noſtram Catholicam imbibituri ſint. Alius eius domus alumnus in Norwegiam patriam ſuam rediens, eò non paucos adduxit, vt Catholicæ fidei adhæſerint, inter quos fratrem ſuum virum doctum iuxtà ac Theologum, feliciter deduxit: qui ne tanti beneficij accepti immemor eſſet, & aliis quoque, quod ſibi diuinitùs lumen affulſit, accendere & præferre poſſet,

posset, à communi hominum cœtu discessum cogitans, ad sacros Ordines & sacerdotium animum applicuit. Ad fidem rediit apostata, cui iam haud exiguo temporis spatio, cum hostibus Catholicæ fidei commercium fuerat in præcipua quadam vrbe hæresi infecta. Iste assiduos afflictæ conscientiæ remorsus non ferens ad nos rectà diuertit, & postquã aliquot hebdomadis in seminario Pontificio moratus fuisset, à nostris sedulò ac seriò informatus, vocationis suæ desertæ memor, ad suos, suumq; monasterium feliciùs reuersus est. Concesserat cum suis extra vrbem in domum recreationi assignatam, propter noui ædificij structuram commorandi caussa, Pater, cui præfectura seminarij Pontificij contigit. At verò paulo infelicior fuit commigratio; incidit enim ipse in grauem infirmitatem, se commendauit suorum domesticorum orationibus. quid alumni? vident sui Patris præsens periculum. multi adhuc teneræ ætatis adolescentuli profunda iam nocte cellarium horto vicinum occultè & mussitabundi petunt, nudatis tergis acriter se flagellis cædunt, idque semel & iterum in summo silentio, magna cum alacritate. Recuperat valetudinem Pater, ac suorum feruori iuuenum hoc beneficium acceptum refert. Variis hæresibus nuntium remiserunt ad quinquaginta, inter hos duo, qui non paucos annos aliis vel in errore confirmandis, vel seducendis, in pseudoeuangelij ministerio operam nauarunt. His duobus alius tertius longè felicior, qui non solùm, vt loquitur Apostolus, immolatus est supra sacrificium, & obsequium fidei nostræ, sed seipsum quoque immolandum exhibuit, & Apostolico exemplo omnibus nudatus nudum Christum sequi voluit, religiosamque vitam cum magno animi ardore complexus est.

Nunc

Nunc qui toto anno superioris vitæ scelera Pœnitentiæ Sacramento eluerunt, paneque cælesti animas suas pascendas curarunt, horum numerus ob frequentiam non facilè iniri potest. Totius vitæ maculas detersérunt per confessionem supra centum. Inter hos, quos mutuæ offensæ, & diuturnæ inimicitiæ disiunxerãt, per Pœnitentiæ Sacramentum iterum veteris amicitiæ vinculo connexi sunt: & quos dira discordia à legitimo thoro separauerat, his eodem beneficio, pristinus coniugalis amor cordi esse cœpit. Duo alij iam adultiores nunquam in vita confessi, totius vitæ peccata deposuerunt: quorum alter vnà cum sceleribus admissis etiam Caluinismum, cui à puero adhæserat, detestatus est, & Ecclesiæ Sacramentis munitus. Quidam nullo contracto matrimonio, quatuordecim liberos ex vna sustulerat: qui confessori libenter aures præbuit, eiusque consilio se velle acquiescere firmato animo spopondit. Alij duo in maiori periculo ex desperatione sibi iam laqueum parauerant, qui per confessionem ad saniorem mentem reuocati sunt. Lutheranæ sectæ quidam peregrinus, satis pollens ingenio, & naturæ dotibus, in hospitale infirmus delatus fuit: accedit vnus è nostris, hortatur vt meliora sentiat, sed frustra, aliquoties. Tandem consensit, Catholica participat Sacramenta. quid tandem? ventum est ad extrema, cruciatur homo miris modis, tamquam furibundus distorquet brachia, oblatam crucis effigiem non patitur, repellit, ceream imaginem agni sacratam horret, eius funiculum de collo pendentem rumpit aliquoties, dum aqua benedicta aspergitur, frendet dentibus. Doluit noster, qui aderat, fidei susceptæ certitudinem iteratis vocibus inculcat, si quæ celata haberet crimina, detergenda seriò monet. Aderant mortis certa

certa indicia. instat noster, tentat omnia. victus his moriens intelligibili voce enunciat graue facinus celatum, noster lætior absoluit morientem, neque vltra loquentem audiuit, & vix altera hora elapsa, finem rebus humanis imposuit. In templo nostro quadraginta horis pro assiduis imbribus & tempestate auertēda oratum fuit. quàm tunc auidè, quam impigrè, cùm ad exhortationem bis primo die in nostro templo habitam, tum quoque concionem etiam eodem tempore & loco duplicatam, accurrentes vidisses? quàm multas horas, assidua precatione, & assidua genu flexione conterentes? ad 900. plus minus tunc in nostro templo sacram communionem frequentasse (sicut & alio tempore hoc eodem anno, & pro communibus malis auertendis, mille quingentos,) obseruatum fuit. Neque omnino piissimus Deus seriò clamantium defuit votis, cessauit enim tempestas, ipsa nocte, quæ festum S. Magdalenæ præcedit: & mox secuta est optata, & cui vix visa ista ætate similis serenitas, cum magna populi gratulatione, qui iam paulo antè maturam segetem, veluti in mediis aquis prostratam, magno cum luctu frustra acceperat, & inusitatam grandinem, quæ in vicinis locis aliquot ipsas fruges solo æquauerat, mirificè exhorruerat. Id temporis elucebat pij senatus egregia pietas tabernas claudentis, ebrios punientis, toto orationis temporis, quemadmodum à nostro concionatore monitus fuerat. Mulier per sesquialterum annum, vno pede clauda, cùm nusquam pedes domo efferre posset, & in nostro templo quadraginta horarum publicas preces institutas esse audiuisset, petiit à Domino, per interceſſionem S. Magdalenæ, illam sibi gratiam concedi, vt in ipsius festo, nostrum templum intrare, & peccata sua confi-

fi teri

teri posset. Venit, confitetur, communicat (res sanè mira) è templo sana egreditur. Est Glotorea pagus, Venerabili Sacramento, ex peculiari quadam ratione sacer, quòd ibidem (vt adhuc recens est hominum memoria) inusitato quodam modo repertum sit. Huc quotannis magna populi confluit multitudo, vel voti soluendi, vel venerationis ergo. Excurrerunt eò, quemadmodum & superiori anno etiam nostri. Septuaginta circiter sacram mensam ibidem frequentarunt, plures per Pœnitentiæ Sacramentum suorum scelerum veniam consecuti. Magna videtur facta accessio pietatis & Christianæ modestiæ ex aduentu nostrorum, cùm priusquam nostri de lucro ibi quærendo animum induxissent, omnes boni improborum corruptis moribus plurimùm offenderentur. In Missione Vartemburgensi illud gratum accidit, quòd ibidem ob communem necessitatem quadraginta horarum publica decreta supplicatio id effecerit, vt spe maiori, cum animi promptitudine absoluta fuerit, ideo fortè, quia à multis annis neglecta fuerat. Eadem oratio, eodem tempore habita est quodam ex nostris auctore Vormditi, sed cum maiore fructu: communicarunt circiter 500. multi non auditi ob temporis & confessariorum inopiam; horis tamen tam nocturnis, quàm diurnis templum refertissimum visum fuit. Conciones ab vno è nostris quinque habitæ, in rara hominum frequentia, flagellarunt seipsi ciues in templo sua sponte, à nemine moniti, aliqui etiam per modum crucis per tres horas in terra iacuerunt proni, coram Sacratissimo Sacramento. Cõfessiones ibidẽ auditæ generales octodecim, ante emendationem malè factæ quadragintaocto. Ibidem in festo Beatissimæ Virginis Mariæ, vno ex nostris præsente denuò communicarunt

nicarunt ad 500. Mirabantur multi, & affirmabant similia pietatis exercitia, & ardoris anim indicia antè in isto loco visa fuisse nunquam. Femina hic quædam erat, honesta quidem illa, sed ita à dæmone, vt credebatur, infestata, vt nec templum intrare, nec domi vnquam Domino supplicare posset; semper tetrica, mœrens & afflicta incederet; cùm antè magna pietatis signa semper in locis sacris fundendis precibus edidisset. Accidit vt quendā è nostris ibi videret, opem sibi ab eo ferri per quendam bonæ vitæ sacerdotem petiit. Noster postquam diu auxilium detrectasset, tandem cùm nullum finem petendi faceret illa, vltima Iulij (qua sciebat B.P.N. Ignatium ad cælos abiisse) animum ac spiritum colligens, iussit vt mulier illa coram se genua flecteret, positisque manibus in capite mulieris in hæc verba mulieri est bene precatus: Per intercessionem B.P. N. Ignatij, & per merita eiusdem, dignetur te Dominus ab omni plaga curare, & pristinæ sanitati restituere. Benedictio Dei Patris, & Filij, & Spiritus sancti descendat super te, & maneat semper tecum. amen. Res mira. malo toto illicò depulso, mulier deinceps ab omni eiusmodi infestatione, non sine magna sua consolatione immunis extitit.

## *Collegium Vilnense.*

FVERVNT in Collegio Vilnensi anno elapso quinquagintaseptem, è quibus sacerdotes viginti duo, in his præceptores nouem, non sacerdotes autem prælectores tres, Scholastici Theologiæ ac Philosophiæ auditores septemdecim, rerum domesticarum Adiutores reliqui. Omnes, quæ diuina fuit bonitas, annum hunc transegere

incolumes: nullaque in re magis, quàm in fouendis vel reparandis animis suam posuerunt operam. E scholasticis, qui numerum attingunt 800. plerique præcipuorum Magni Duc. Lithuaniæ Senatorum fuerunt, etiam hæreticorum filij, qui non litterarum magis, quàm pietatis studio & profectu spem faciunt vberrimæ frugis. ac hæreticorum quidem filij auidè ad Ecclesiam veluti in maternos amplexus accurrunt, ab eaque se diuelli nullatenus patiuntur. In templo nostro communicantium & confitentium magnus semper est numerus; at festis maioribus maximus, atque ita conferti sacerdotem ambiunt, vt qui confessus est qua abeat, viam aliam, quàm per summa capita conglobatæ multitudinis rependo, habere non possit. Vrbs enim Vilnensis perampla est, quæ si hæreticos, & Græcæ fidei homines complures excipias, ad quadraginta millia hominum Catholicorum complectitur. quibus omnibus, nec non toti viciniæ crebrò confluenti maxima parte nostræ deseruiunt operæ. Quotquot item ægri, quotquot moribundi morbos animorum curare, aliamque vitam bene ac beatè inchoare cupiunt, omnes non aliorum, quàm nostrorum ope quotidie vtuntur. Resipuere ab hæresi quinquaginta-sex, à schismate vigintiocto; è quorum numero femina grauibus multos annos conscientiæ diuexata stimulis, & molestiarum & vitæ finẽ laqueo facere decreuerat. quod & tentauit. Verùm non est passus præpotens Deus, ex magna bonitate sua, eam & animo & corpore perire. Puerulus enim pereleganti forma visus est restim prehendisse, soluisse, factumque damnasse, ac vt scelerum expiationem per confessionem in Ecclesia Catholica perquireret, præcepisse. Quare præsenti corporis & animæ morte liberata diuinitus,

illicò

illicò ad nostrum sacerdotem accurrit, visum aperuit, hæresim abiurauit, factaque peccatorum confessione, sacro refecta est conuiuio. quibus munita præsidiis, eam consecuta est animi quietem, quam nunquam antea fuerat experta. Alia septem annis grauem passa infirmitatem acceptis Sacramentis conualuit. Quidam recèns conuersus graui morbo correptus, Sacramentis ritu Catholico, operâ sacerdotis nostri instructus horam vltimam, si ita Deo visum esset, expectabat: absente autem sacerdote, & morbo vires sumente maiores, vxor hæretica, cum tota familia acriùs instare, vt Catholicam fidem, quam nuper susceperat, abiiceret. Adest etiam vocatus Minister errorum, & iam animam agenti errores suaui, & ad decipiendum instructa oratione, importunè obmurmurat. Fit ea de re sacerdos noster certior, accurrit, ac ægri animum confirmat: qui Ministro abire iussò in fidei Catholicæ professione, aliquot pòst horas vita functus est. Exercitiis spiritualibus se informandos nostris dederunt quatuordecim; cùm permulti, tum præcipuè tres viri illustres, nostrorum monitis permoti templa in suis bonis ædificare, ac sufficientibus dotare prouentibus decreuerunt, ac reipsa iam præstare cœperunt. Quidquid præterea, vel de coërcendis libidinibus, vel de mitigandis iris, recipiendisque inimicis in gratiam, vel de suo cuique restituendo dici solet, id in vniuersum, ne res minutas consectemur, sæpe effectum est. Exædificatum est xenodochium, in quo cùm alias innumeri, tum hoc anno non minùs centum alebantur; quibus & corporalis & spiritualis vitæ commoda charitas vnius è Societate ministrauit. In magna annonæ caritate, qua aliquot annis præteritis laboratum est, Vilnam omnis ætatis hominum in-

gens vndique confluebat famis leuandæ cauſſa multitudo: quæ res ne contagionem vrbi afferret, & egentium inopia pro Chriſtiana charitate relicta non videretur; tum pro concionibus, tum priuatis adhortationibus, plurimorum ſunt accenſi animi, vt ſecundùm ſuam quiſque facultatem, ad alendos pauperes aliquid in ſingulas conferrent hebdomadas; quo ex ſymbolo illa totius ciuitatis pauperum turba in xenodochio ſuſtentabatur. Nonnulli etiam intra domeſticos parietes pauperes receperunt, eiſque neceſſaria vitæ abundè ſuppeditarunt. Eandem charitatem & curam Fratres Minores experti ſunt, quorum ſumma, ne dicam extrema, neceſſitas, & vitæ ſuſtentandæ difficultas, è piorum liberalitate, ſtipe à noſtris oſtiatim corrogata, fuit ſublenata. Quædam femina nobilis feria quinta ſeptimanæ ſanctæ mendicos non paucos prandio lauto excepit, ac pedes eorum magna animi ſubmiſſione ſecretò lauit. Illuſtriſſimus Epiſcopus Vilnenſis, cùm primùm Vilnam ad ſuam ſedem ingreſſus eſſet, ab vno è noſtris in Collegio oratione exceptus eſt: in ſcholis autem de diui Nicolai in egenos liberalitate, dramate & carminibus, nouam ei dignitatem gratulantibus, ſalutatus & recreatus eſt. Non vulgaris eius in Collegium extitit beneficentia. Nam vbi primùm poſſeſſionem Epiſcopatus adiit, 1300. flor. Collegio donauit. Non deſunt & alij multi benefici, qui ſupellectilem templi non mediocri acceſſione auxerunt. Quidam veſtem ſacram ex auro textili 150. florenor. alius lampadem argenteam 50. floren. vt nomina taceam, donauit. Foras præterea 47. miſſiones & excurſiones factæ ſunt. Ex his fuerunt decem diuturniores, vt quæ quatuor, octo & ampliùs durarunt ſeptimanas: vbi ob magnam ſacerdotum raritatem,

ritatem, populus rerum cæleſtium rudis eſt admodum, nec prẽter nomen Chriſtianũ quidquam de religione, aut doctrina Chriſtiana nouit. In iis locis vbique rudimenta Chriſtianæ religionis, pueris, æquè ac grãdioribus, ſtudioſè tradita ſunt: quæ ita auidè paſſim à ſimplice ruſticanorum turba excipiuntur, vt vbi quemquam noſtrorum adeſſe cognouerint, turmatim ad diuina dogmata audienda, noxaſque aperiendas ac expiandas concurrant: multiſque lacrymis deplorant, ſe infelices, qui non habeant, à quibus doctrinam cæleſtem, & cætera ſalutis adiumenta petant. Edocti itaque Chriſtiana myſteria, peccata quoque ſunt confeſſi 1700. qui antè per multos vitæ ſuæ annos, ne quidem confeſſio quid eſſet ſciuerant. Non commemoro autem hìc innumeros, qui frequenti noſtrorum vſu iam ſingulis annis, eoque frequentius cùm poſſunt Sacramenta frequẽtare didicerunt. Sacro fonte in locis derelictis abluti ſunt infantes plurimi; nec defuerunt etiam adulti, vnus annorum decem, alter octodecim, tertius octo, quartus triginta, qui ad illud vſque tempus ſacris Chriſtianis initiati non fuere. A matrimoniis illicitis plerique abducti. alij ritu Eccleſiæ matrimonia profana, in quibus diutiùs vixerant, probata reddidere, pẽnè centum; vt plurimos præteream, qui vſitato Eccleſiæ more præſentibus noſtris ſacerdotibus matrimonia inierunt: alioqui plurimos reperies, qui per negligentiam aut ignorantiam, aut per magnam diſtantiam Parochi præſentiam in matrimoniis contrahendis non magnopere requirant. Quod autem caput eſt, ſuperſtitiones & idola multis in locis ſunt ſublata, edoctique rudes, Deo vni, qui ſolus eſt omnium dator & auctor, voces preceſque eſſe offerendas. Frequens eſt enim à priſcis vſque gen-

tibus deriuatum in omnibus penè Lithuanicis pagis, ſtatis anni temporibus diis aut potiùs dæmonibus, ſacra fieri, vtpote collectis ex agris frugibus. Quo tempore, frumentis ad flaminem, ſiue ſacrificulum delatis (qui vt ætate ceteris anteit, ita & rerum diuinarum ſcientia præcellere putatur) fit panis & ceruiſia. His patera ingens impletur, ac flamen in medio populi ſtans Deum alloquitur: O Deus, inquit, optime propitius nos hac æſtate reſpexiſti, frugumq; copiam dediſti; quare ades, & fruere, ſequenti poſtmodum æſtate plura habiturus, ſi nos pluribus cumulaueris bonis. Poſtea adducit arietem, quem itidem in conſpectu omnium mactat, Deoque ſuo ob multiplicata pecora offert. Feminæ quoque anus è medio ſui lectæ operâ gallinam, vt ipſis quoque Deus ſit clemens, ſacrificant. Quæ omnia Deo priùs oblata, ipſimet conuiuantes comedunt. Alibi lapides non parui in horreis, in terra defoſſi, ſuperficie plana ſurſum verſus, non terra, ſed ſtramine contecti aſſeruantur, quos Deyues appellant, atque vt cuſtodes frumentorum & pecorum religioſè colunt. Focus ipſe ita ab omnibus obſeruatur religioſè, vt nemo accedere propiùs audeat; quòd ſi quis eum attingat, eum confractum iri credunt. Mactant porcellum lactantè omni parte nigrum, quem coctum pater & mater familias, cum anu ſacrifica comedunt; particulas autem tam ex porcello, quàm ex aliis cibis, ſi qui fortè parati fuerint, cum ter nouem buccellis panis, anus in horreum defert, vbi dictum Deyues ſola, remotis omnibus, placat. Ad quendam ruſticum è morbo decumbentem dæmon, ſpecie deum referens, venit, ſuadens, vt ſi priſtinam recipere vellet ſalutem, pateram ceruiſiæ ſibi quotannis offerret, & ſexta feria ab omni opere abſtineret. Alius galli-

nam

nam ad ripam fluminis sacrificium annuum offerebat, quòd aliquando in eius fluminis transitu graue periculum adiisset: illa oblatione placatum sibi fluuium reddere studebat. Nonnulli, quoties nascitur infans, ad lacum deducunt hœdum, ibi capite & pedibus præcisis, truncum in lacum iniiciunt: quo ritu Deo gratias agunt, quòd partus sit editus feliciter. Vulgò credunt feminam, quæ non placato priùs Deyues, Christiano eum non colentinuberet, macie confectum iri; pecora, si quæ in domum mariti, non facta pro illis oblatione, adduceret, esse interitura. Hos lapides, primùm quidem ægrè, vt demonstrarẽt, adduci potuere, veriti ne quod malum graue in pœnam numinis violati incurrerent. At vbi viderũt impunè a nostris suos deos abiectè tractari, & pedibus conculcari, stultitiamque suam rideri; tum & ipsi accurrere intrepidi, lapides effodere, suamque in tam vilibus diis colendis stultitiam ridere & admirari non cessabant. Porrò die commemorationis fidelium defunctorum, lautius, quàm vnquam, plerique instruunt epulum, tum animas maiorum suorum inuitant, & ex omnibus, quæ lautè sunt in mensa apposita, aliquid sub mensam pro iis abiiciunt. Prandio facto scopis easdẽ, ne domesticis obsint, euerrunt. Alij ad sepulcra cibos deferunt, ne videlicet animæ è terra egressæ, viuos nocturnis diuexent spectris. Alij in terra cibos defodiunt, quò terra placata fideliùs animas detineat. Alij sæpiùs in anno cibis omnis generis mensæ instructæ suppositis, tot cochlearia, cultros, orbes, pocula & alia ad conuiuandum necessaria apponunt, quot animæ maiorum aut consanguineorum, sunt inuitatæ. Vnus autẽ in medio animas orat, vt edant, vt alacriter sese appositis oblectent, néve campis, domibus, hortis ac omnis generis fructibus offi-

ciant. Quamdiu verò adesse, vescique animas existimant, astant omnes circum mensas, in silentio capitibus apertis honorem præferentes. Iam verò semihoræ spatio circiter elapso, pater aut materfamilias, vt sua officia & obsequia grata habeant, precatur. Tum poculum è mensa liquore plenum sumit, è quo cùm nonnihil sub mensam fuderit, proximo præbibit, totumque exinanit, quod reliqui omnes faciunt. Postea tam panis, quàm omnium esculẽtorum modicum sub mensam abiiciunt, ac mensæ accumbunt, & quæ apposita fuere, comedunt. Mensa demùm peracta, rursum panes azymos sub mappa in nouem partes concisos apponunt, acceptoque mappæ fini, versus portam domus panes è mappa iaciunt; quos dum pueri certatim colligunt ceruisia perfunduntur, omnibus faustam precem conclamantibus, vt sic vino illo agri fœcundi reddantur. Atque in his & pluribus similibus aliis ridiculis erroribus, quibus ignaram plebem dæmon tenet, submouendis & extirpandis, nostrorum pagos obeuntium versatur labor. At enim verò Missio Samogitica toti prouinciæ quæ latè patet, fuit admodum fructuosa. Rogatu enim Episcopi duo totam diœcesim obiere: in qua visitatione errores abususque in Sacramentis ministrandis, ac in moribus correcti, aut penitùs sublati sunt. Doctrina Christiana vt in singulis parochiis diebus festis doceatur; imò etiam, vbi templa non sunt, conuocatis in vnum rusticis, institutũ est. quod vt ratum ac diuturnum fiat, ipsi domini nobiles eam in se curam vltro receperunt. Multi Catholici in fide confirmati, & ad Ecclesiæ Catholicæ præcepta, vtputa ieiunia, accuratiùs religiosiusq; seruanda excitati. Ab hæresi ad Ecclesiam in hac Missione reducti decem. Plures de sua perfidia dubij

dubij redditi, iamque in dies plurimi erga Catholicam religionem meliùs affici incipiunt.

## *Collegium Pultouiense.*

NOSTRI in Collegio Pultouiensi anno 1600. commorati sunt vnus & triginta; ex his sacerdotes decem, præceptores tam humaniorũ litterarum, quàm sacrarum lectionum itidem decem, auditores Philosophiæ octo, rerum domesticarum Coadiutores septem. Desideratus est nemo ex domesticis; nam ex iis, qui nuper è Collegio Posnanensi ad Lublinense proficiscebantur, Ludouicus Krzyzanouius in itinere hausta pestilentia diem clausit extremum. Hic iter ingressurus quasi idipsum quod accidit præsagiens, maiore quodam præter ceteros ardore, vt se corpore Dominico præmunire posset, impetrarat. Exercitijs operam dederunt non pauci, præcipuè sacerdotes ac Prælati. in his etiam Reuerẽdssimus Vilnensis, hac ad suã diœcesim iter faciens. Hoc etiam anno Philosophia in nostro Collegio legi cœpta est: quam magno applausu excepit iustus auditorum numerus; iamque sex in locis huius prouinciæ Philosophia docetur. Initio autem huius cursus ex vniuersa Philosophia, theses ab vno è nostris defensæ: quem actum Reuerendissimus noster sua voluit præsentia cohonestare. In gratiam eiusdem (id enim postularat) comœdia de S. Alexio data in magno nobilissimorum auditorum consessu. Gratam sibi eam fuisse declarauit maior in nos beneuolentia, atque adeò beneficentia: quam mox experti sumus duobus florenorum millibus Collegio attributis. Cùm ciuitati pestilentiæ periculum immineret, re cum Reuerendissimo communicata, visum fuit maximè oportunè ad misericordiæ

ricordiæ Matrem confugere. Itaque ipso Præsentationis ipsius die festo indicta est nostro in templo publica supplicatio, certaque spes à concionatore facta liberationis, quam etiam comprobauit euentus. nam huic orationi immunitatem à contagiosa lue acceptam ferũt. Horum qui de congregatione sunt misericordiæ, animi ad pia charitatis officia excitati: nam conducta domus in regione salubri, in quam per hyemem seminuda egenorum turba, ac fame propè enecta cogeretur, quibus etiam cibaria præberẽtur. Missiones item ad varia loca frequenter inductæ, quare suus constitit fructus, magna videlicet animorum ad Pœnitentiæ ac Eucharistiæ Sacramenta commotione consecuta. Plurimorũ item confessiones auditæ, in iis de tota vita vltra centum. Qui à non paucis annis Sacramentorum vsum intermiserant, ad eum inducti. Vacillantes in religione firmati; ab hæreti absoluti duodecim. Apostatæ, vt ad suas familias postliminio redirent, persuasi duo. Restitutiones notabilis pecuniæ factæ aliquot. Alius ab vsurario quæstu retractus, simulque vt interuersa malo fœnore redderet, inductus. A turpi & flagitiosa vita reuocati non pauci. Quædam a veneficandi consuetudine abducta, a præstigiis altera. Quidam, qui viuente vxore alteram superduxerat, multisque annis ei cohabitauerat, ad legitimas nuptias adulterâ relictâ rediit. Reconciliati item coniuges, qui a trigintasex annis nihil secum commune habebant, ne domum quidem Plurium etiam non leuia dissidia sopita. Inter viros quoque illustres, graues simultates sublatæ A nuptiis inconcessis quidam absterriti. Pellices item vt missas facerent, tribus persuasum. Porrò, vt vni cuidam alienam, cui dudum consueuerat, coniugem abstraheret, non se-

mel

melintentatis diuinæ iræ minis laborauerat noſter; verùm ipſe ad ſalutaria monita ſurdus, cùm iter præſtanti quadriga inuectus faceret, repentè de curru incitantibus nimium equis deiicitur, & crus enormiter frangit. qui caſus ei vitæ finem fecit, priùs tamen per confeſſionem omnia ſua crimina expiauit. Vnus etiam à voluntaria morte, quam ſibi veneno afferre volebat, deterritus. De Sodalibus Partheniis illud in vniuerſum dici poteſt, eos ſemper ſui ſimillimos eſſe. nam & epulum pauperibus plus ſexaginta dederunt, lotione pedum præmiſſa, quam alias ſemel atque iterum ſingulis data eleëmoſyna repetiuerunt. Xenodochia ſæpiùs frequentant, vbi & rudiores, quæ fidei ſunt ſumma capita docent, & aliquid ſubſidij in victum ſuppeditant. Bis hoc anno in ſua corpora publicè flagellis deſæuierunt, toties etiam priuatim. Mos etiam eſt non paucis geſtare cilicia, ad abiecta ſe officia demittere; & alia huiuſmodi. Denique ex horum numero quinque Societati nomen dederunt.

## *Collegium Poſnanienſe.*

VIXERVNT in hoc ad ineuntem Auguſtum, quo primùm contagio peſtis ciuitatem apertè infeſtare cœpit, numero 40. ſacerdotes quindecim; ex quibus profeſſores Theologiæ Scholaſticæ duo, Scripturæ ſacræ vnus, Cõtrouerſiarum vnus, Caſuum conſcientiæ vnus, Philoſophiæ vnus, diſciplinæ Mathematicæ vnus, Hebręæ linguæ vnus, auditor Theologiæ vnus; ex reliquis litterarum humaniorum profeſſores quinque, ſtudioſi Theologiæ ſex, Philoſophiæ quinque, Coadiutores nouem. Acceſſit ab initio Aprilis ad exitum Auguſti quotidiana Scripturæ ſacræ, &

rerum

rerum controuersarum de rebus fidei lectio, conciones funebres in maxima nobilium frequentia variis in locis habitæ. Doctrina Christiana in quinque ciuitatis partibus, non sine audientium emolumento (quorum concursus frequens est) post meridiem a nostris diebus festis explicari cœpit. Famosus in Societatem nostram libellus Apologia Polonica; alter contra libros Illustrissimi D. Cardinalis Bellarmini de Purgatorio Latino sermone refutatus. Reuerendissimus noster Episcopus, cùm sacra 40. horarum pro regni negotiis indicta in templo nostro haberentur, pro eo quo fuit in Societatem nostram fauore, non modò præsentia sua, sed etiam solemni Missæ celebratione cohonestauit. Piis sancti P. N. Ignatij exercitationibus animam & vitam excoluerunt, cùm Religiosi, tum sæculares: in quibus alter statum Ecclesiasticum elegit, alter Societatis nostræ institutum, ad cuius tirocinium cum aliis quinque adolescentibus admissus est. Qui grauiter sese dissidebant, ad concordiam reuocati. Parens, qui omnem veniæ aditum filio præcluserat, nostri operâ mitigatus, eum generali peccatorum confessione prius Deo reconciliatum in gratiam recepit. Vlciscendi cupiditas ob damnum illatum, quod vir quidam nobilis ciuis nece sarcire statuerat, officiis & debita damni compensatione restincta. Alter vindictæ cupidus cùm annis plurib⁹ sacro Pœnitentiæ Sacramento neglecto, ad hæresim propenderet, ad eluenda prioris temporis crimina, & offensas remittendas inductus. Totius anteactæ vitæ scelera retexuerunt supra septuaginta. In excursione ad fines Poloniæ & Silesiæ, confessiones exceptæ. Cum Ecclesiæ cuiusdam pagi & cœmeterij cæde violati reconciliatione, ad pristina diuinorum officiorum mu-

nia,

nia, ſpatio quatuor annorũ intermiſſa, per quendam è noſtris tota penè villa vnà cum Domino Deo eſt reconciliata. Nec verò labor noſtrorum extremo vitæ ſpiritu laborantibus defuit. inter cæteros Abbas quidam ad hoc ſalutis remedium in vita difficilior, in morbo vt & conſcientiam à maculis ſcelerum elueret, & domui ſuæ prouideret, noſtrorũ monitis inductus. Pari ratione conſultum vni ex primariis Eccleſiæ proceribus: qui ſimul ac ſuaſionibus noſtrorum obaudiens; æger ſpem diuturnioris vitæ peccatorum confeſſione ſuſtulit, à mente deiectus è vita migrauit. Nobilis quædam femina morbi vehementia lecto affixa, & grauiter annum vnum conflictata, quàm primum peregrinationem ad aram B. Virginis Czeſtochoureenſis vouit, à diuturno morbo releuari cœpit. Non ſegnius laboratum circa illos, qui è tenebris corrupti Euangelij ad lucem Catholicæ veritatis euocati. Nobiles & viri & matronæ, aliique non poſtremæ conditionis viginti ſeptem ſupra centum, hæreſes varias facta peccatorum expiatione eiurauerunt. E quorum numero fuit dux hæreticæ prauitatis, quem vulgò Miniſtrum vocant, qui quadraginta annis in multorum perniciem lolium illud diſſeminauerat. Maximè verò enituit nobilis cuiuſdam adoleſcentis, in hæreſi Lutherana à puero educati indoles, qui cùm nec aſpectum, nec nomen Ieſuitarum ſanus ſuſtinere poſſet, in morbo à medicis derelictus, noſtri vnius ſuaſu & fidem & vitã mutauit. Hic ſeptimeſtris huius anni labor: cuius ſegetem vberiorem virus peſtilentiæ præpediuit, & ſpem metendi peroptimam, occaſionemque diſceſſu noſtrorum penè omnium præſcidit. Verùm ne tunc quidem tutis in locis ab opere ceſſatum. Monaſterium penè totum Canonicorum Regularium, qui D. Auguſtini

ſtini inſtitutum ſequuntur (vt alias ſolidas Societatis noſtræ functiones ſileam) ſpiritualium exercitiorum commentationibus, & totius vitæ confeſſionibus expurgatum ea Reuerendi Abbatis beneuolentia & liberalitate, vt non modò in tantis rerum & temporum anguſtiis & periculis propriam aulam recèns exſtructam ad conſuetas ſtudiorum noſtrorum exercitationes proſequendas percommodam, in vſum exulibus nobis conceſſerit, verùm etiam neceſſariis egeſtati & neceſſitati noſtræ prouiderit. Cæterùm, vt finem re pecuniaria imponam, ad fundandum in pauperum ſubſidia contubernium, acceſſerunt trimeſtri temporis ſpatio floreni 200. è tribus millibus & quingentis florenis in cenſum annuum datis, prouentus Collegij annuus acceſſione cenſus floren. 2040. poſtmodum vendendi eſt adauctus. Vnum adiiciam: cæteris ob luem graſſantem diſperſis, noſtri ad ſarcinas in Collegio relicti, procellas peſtiferæ tempeſtatis ſuſtinuerunt, occupati ſoli in concionibus habendis, & confeſſionibus peſte infectorum excipiendis. Interea quidam ſacerdos Germanorum Crotoſzynum (ciuitas eſt hæretica labe infecta) iuſſu Superioris excurrit. Vbi totum peſtilentiæ tempus non ſine fructu & incolarum commodo exegit; multorum confeſſionibus aures præbuit, & magna frequentia hominum ad conciones ipſius turmatim confluxit.

## *Collegium Iaroſlauienſe.*

ALVIT Iaroſlauienſe Collegium in principio 1600. anni triginta ſex è noſtris. Verùm vbi luctuoſus conflagrationis caſus Collegium & templum tectis nudauit, & totam domum fœdè deuaſtauit, ægrè etiam ſacerdotes octo, ſtudioſos litte-

litterarum humaniorum sex, Coadiutores sex continere valuit: quandoquidem exustio totam ædificiorũ molem ita labefactauit, vt proximam minitari videatur ruinam. Quocirca nonnulli socij ad varia Collegia fuere ablegati. Quamuis autem eiusmodi calamitas mense Maio ineunte euenerit, hactenus tamen pro futura ædificiorum instauratione parum spei affulget. Vnius è nostris sedulitas quingentorum ferè aureorum numerum, nostratium propè mille summam, aliquot factis excursionibus emendicauit: hac pecunia parietes ruinosi, vtcunque scandulis fuere cooperti. Conflagrationem templi Collegij & totius opidi studiosorum dispersio est consecuta, nostrorum item plusquam mediæ partis in Collegij prædium commigratio. Eo in loco quatuor circiter mensium spatio nostri commorati, domesticam disciplinam & scholasticas exercitationes minimè intermiserũt. Sub idem tempus fuit consecutum pestilentis contagionis ingens periculum: opidis & pagis circumiacentibus ea lue passim contaminatis, nec ipsa Iaroslauia planè mansit immunis. In tali rerum perturbatione non defuere nostris de plurimis bene merendi occasiones; partim concionum frequentatione, partim Sacramentorum administratione. Generalium confessionum non facilè certus iniri potest numerus. Plurimi diu malè occultata crimina, salubriter detexerunt. Quidam aspectabilis dæmonis infestationem, cui schedulam proprio sanguine tinctam obtulerat, confessione facta repressam asserebat. A flagitioso viuendi vsu, à fœnerandi consuetudine supra quinquaginta abducti, sex aliis restitutio efficaciter imperata. Quatuor mulieres vagæ ad proprios maritos remissæ. Concubinæ vndecim abstractæ. Odia non pauca

sopita,

sopita, ebrietates, furta, incantationes repressæ in quinquaginta propè personis. Nonnulli impostores, & alienæ pudicitiæ insidiatores, ad saniorem mentem traducti. Rudiores non solùm in rebus ad salutem necessariis edocti, verùm etiam vt ea & alios edocerent, seriò ad id fuerunt excitati. Et vt vno verbo multa complectar, non paucis ipsa conflagratio & rerum iactura fuit salutaris. Repertus quidam, qui raptam ex incendio pecuniam ad sacerdotes detulit, & vt verus ipsius dominus inquireretur, postulauit Hęresi abiurata quatuor, schismate Russico repudiato quindecim, Catholicæ Ecclesiæ gremio sunt aggregati. Inter præcipuos istorum fuit nobilis adolescens nostrarum scholarum studiosus. Quinque eloquentiæ studiosi ad nostræ Societatis tirocinium Cracouiam sunt missi; Sacerdos sextus accessit, & septimus nobilis adolescentis institutor. Nostræ Societatis exercitationibus Fratres duodecim aliò ex hoc Collegio ablegandi perpoliti. Hebdomade Christi perpessioni sacra 200. partim studiosi, partim externi, publicè in templo nostro flagris instructi processere. Excursiones tum vnius, tum alterius è Patribus, non sine fructu concionum & confessionum auditarum fuere susceptæ. ne sæpiùs fierent acris pestilentia impediuit.

## *Collegium Polocense.*

In hoc Collegio personæ non excedebant anni superioris numerum 19. verùm postea auctus est, vbi tumultus belli in Liuonia per Carolum Suecum hostili inuasione est excitatus. Nouitiatus triginta personarum vitandi periculi caussa, & leuādi onere Collegium Riga Polociam traaslatus est. Vnde iam in hoc Collegio sunt sacerdo-

tes

tes nouem, magistri tres, nouitij vigintisex, Coadiutores vndecim, & in vniuersum sumus quadragintanouem. Xenodochia nouitij & publicas custodias crebrò inuisunt, in quibus animos afflictorum piis sermonibus fastidio patiendi leuant, stipeque ostiatim emẽdicata inopiam egentium tueri solent. Quorum opus genti Ruthenæ tanto maiori est admirationi, quanto sagaciùs contemplantur iuuenes ætate florentes abstractos a corporis voluptatibus, & sui libertate totos dare se amore Dei exercitio virtutum in conspectum cadentium. In decursu huius anni in æde sacra noua licet non ex toto perfecta, summa cum omnium lætitia diuina officia sunt inchoata, plurimi sacra Eucharistia refecti. Plurimi ex Ruthenis cùm pereleganti templi apparatu, tum ordinato cultu deuotionis Christianæ excitati, diebus profestis ad conciones audiendas auidè confluunt. Nec illorum votis deest clementissimus Deus, cùm signo etiam miraculoso beneplacitum suum illis testatum esse voluerit: quod emicuit maximè in femina quadam, quæ spatio multorum mensium vsu manus suæ morbo inualescente penitus destituta fuit, adeò vt nec sibi nec liberis, familiæque suæ egestati labore solto consulere potuerit: tandem voto nuncupato inuisendi templum nouiter exstructum die festo Conceptionis Deiparæ Virginis (cuius etiam tutelę patrocinioque est dicatum) mox vbi illud facto ipso persoluit, pristinam sanitatem manus suæ recepit, totoque corpore melius se valere affirmauit. E schismate ad gremium S. Matris Ecclesiæ sunt perducti quinque; ex hæreticis item duo traducti. Contractas totius vitæ maculas eluerunt confessione plures triginta. Duo ab exitio voluntario ex spiritu de-

sperationis, quorum vnus laqueo finire vitam, alter se præcipitem in fluuium decreuerat dare, ad spem melioris vitæ sunt reuocati. Duorum parium coniugum illegitimæ habitationi consultum est. quatuor verò paria ex illicito vsu adhibito ministro Sacramenti, ad honesta connubia sunt perducta.

## *Collegium Lublinense*

QVINQVE supra viginti hoc anno è nostris aluit, quibus in fine anni quatuor accesserunt: sacerdotes nouem, præceptores inferiorum scholarum quinque, Controuersiarum vnus, Casuum vnus; auditores harum duarum lectionum è nostris quinque, Coadiutores temporales octo numerantur. Obdormiuit in Domino vnus è sacerdotibus, magnoque pauperum præcipuè, quorum præcipuè gessit curam, cum eiulatu defunctus. Collegium hoc tum frequētia studiosorum (600. numero superat) tum genere ipso in primis celebre: ad quorum numerum insignis accessio est facta, augeturque auditor in dies. Ad studia humaniora additæ sunt hoc anno Controuersiarum & Casuum lectiones. Complures è discipulis cœnobiis sese deuouere: Societati non minùs septem. Hæretici tredecim mente mutata Ecclesię Catholicæ nomina dederūt; è quibus vnus nobilis, exercitiis spiritualibus antè eruditus. Schismatici ad vnionem Ecclesiæ adducti duo. Virgo item nobilis inter Arrianos viuens, in fide Catholica magna ex parte corrupta, totius vitæ crimina eluit per confessionem. Nobilis femina in hæresi nata & educata, cùm viro Catholico nupta fuisset, ipsum

ipsum peruertit. post annos tandem quadraginta ipsa resipuit, ad Ecclesiam rediit, & confessa est. Catholicorũ, qui plures annos Sacramenta Pœnitentiæ & Eucharistiæ neglexerũt, exceptæ confessiones. Audita etiã cõplurium vitæ totius delicta. Quædam, cùm seipsam interimere voluisset, à desperatione liberata est. Ne agitarent fœnus, & in vsuras expenderẽt, persuasum multis; aliis, vt redderẽt iniustè parta. Hospites & aduenæ præsertim tempore Iudiciorum tribunalitiorum, frequentes ad conciones nostras cõfluxere. Milites non pauci ad bellum ituri Pœnitentiæ Sacramento sese antè præmunierunt. Liberalitas nonnullorum enituit, præcipuè magnifici Domini Thesaurarij, qui 1000. florenos eleëmosynæ nomine Collegio est largitus. Quadraginta horarum pestis auertendæ caussa, in sacello nostro decreta comprecatio. Nouembri mense continenti orantium similiter, & se verberantium non Sodalium modò Partheniorum, sed confraternitatis etiam ordine maximè insignis. Pauperum, qui in xenodochiis decumbunt, necessitati subuentum à nostris. Multi qui extremo supplicio dederunt scelerum pœnas, catholicè & piè inter cohortationes nostrorum vita defuncti. Itum quoque & excursum ad loca vicina, non sine fructu proximorum.

## *Collegium Rigense.*

E MEDIIS bellorum tumultibus & armis à Suecis ex inopinato toti Liuoniæ illatis, abreptas ad P.V. annuas mittimus litteras, tanto breuiores, quanto magis circa res Collegij componendas, & auehẽdas, & circa nouitios ad tutius Collegium expediendos laboratum est. Fuimus ante disper-

sionem Rigæ supra quadraginta; remansimus, grassante bellorum incendio vigintivnus; ex quibus sacerdotes nouem, magistri tres, Coadiutores veterani quatuor, nouitij quinque. Fructus hoc anno ex Liuonum solo omnis generis hæreseos refertissimo in horreum Domini congregatus vbertate superiores longè excellere videtur. Et primùm quidem Missiones duæ per Liuoniam hoc anno toto factæ; altera in diœcesim Episcopi Vendensis, magno omnium terras illas incolentium solatio, & Reuerendissimi gaudio: altera in districtum Lemselensem vsque ad ipsum mare, quæ Lotauis & Libiis maximo fuit emolumento. Posita contumacia suauissimo Ecclesiæ iugo ceruices subiecere multi. Plurimi & quidem illustri loco nati in templo nostro expurgatis animorum sordibus, cælesti epulo refecti; vt interim eos, qui vel totius vitæ noxas eluerunt, vel confessiones malè hactenus institutas, Christiana catechesi formati correxerunt; ad frequentiorem sacræ synaxis vsum animatos, & à flagitiosæ vitæ cœno ad honestatem reductos, sacroq; baptismate ablutos, tam infantes quàm adultos taceam. Matrimonia clandestino consensu inita ad præscriptum Concilij Tridentini correcta. Non pauci pueri adulti, & puellæ ab infestationibus & nocturnis terroribus precibus Ecclesiæ, & sacra agni Dei imagine à collo suspensa liberati; infirmi ex pane & potu benedictis modicum libantes, pristinam recuperarunt salutem. Arbores frondosæ, quibus stultè omnino & superstitiosè, nescio quid numinis inesse suspicabantur agricolæ, in eorum præsentia excisæ penitus & deturbatæ sunt, omnium spectantium stupore, qui mortem repentinam ex eo facto nostris ominabantur. Præter superiorum

periorum annorum consuetudinem, cùm dies sequentes octo, tum præcipuè primus, quem Eucharistiæ augustissimo ritu colimus anniuersarium, illustri supplicatione & pompâ factus est; symphonia celebris adhibita, carmina celebritati accommoda à pueris eleganti vestium ornatu recitata. Hanc pompam Illustrissima Churlandiæ Ducissa iunior cum suo gyneceo cohonestauit: cuius partim liberalitas in comparandis facibus inauratis, quæ accensæ ante thensam, Venerabileque Sacramentum præferebantur, cum aliis ad eundem modum & vsum paratis cereis, qui durante festi octaua, sub summo sacro accendebantur; partim singularis pietas, animique submissio in sacra synaxi cum gyneceo adeunda illuxit. quæ res aliis admirationi, aliis fuit inuitamento. Nec his contenta ipsius liberalitas finibus: aliquot diebus à suo discessu misit ecclesiæ nostræ vestes sacras, & altaris ornamenta daleris 1050. æstimata. Exciuerat etiam tum huius Illustrissimæ aduentus & exemplum, tum diei celebritas non paucos nobiles, multos quoque hæreticos à domesticis parietibus, & locis ciuitati vicinis, spectandi scilicet hanc publicam supplicationem, hactenus non visam: qui præsentes defixi admiratione ea modestia spectantes interfuere, vt maiorem à Catholicis non requisisses. Nec verò pagi caruerunt nostrorum opera & fructu. In iis supplicationes publicæ vnà cum quadraginta horarum precationibus, omnium applausu, & bono multorum exemplo institutæ. Agricolæ, quorum ingens ad eas confluxerat multitudo, ea occasione post patefacta conscientiæ vulnera, ritu Catholico Eucharistiam sumpserunt. Nitauiam (arx ea est Liuoniæ) ad loci Præfectum Catholicum, qui

templum Catholicis restituit, excursum; ægerrimè id tulit Catholici affinis hæreticus. Hic audito nostros templum ingressos, armatus furore & sclopeto concito gradu subsequitur, ante fores templi, vt è nostris primò egressum globo plumbeo traiiciat, præstolatur. Re intellecta Catholicus templo egreditur, temeritatem & furorem hominum coarguit & mitigat. quid multis? qui animo ad nos accurrerat sanguineo, Patris nostri alloquio ita est emollitus, vt & insaniæ suæ veniam, quam facilè impetrauit, peteret, & maleuolentiam beneuolentia compensaret. Senatus amicitiæ gratia, quod nunquam factum hactenus, Collegio 100. florenos donauit, & R.P. Prouinciali has oras inuisenti, grati animi caussa, consueta ciuitati donaria, per nouum syndicum obtulit. Hic etiam vir optimus, cui cum Senatus, tum tota ciuitas fauet plurimum, sui in nos largissima amoris dedit argumenta. Præter vas enim vini, quod Collegio donauit, non negligit nostri instituti tueri famam, & defendere honorem.

## *Collegium Calissiense*

COMPLECTITVR nostros quadragintaquatuor, sacerdotes vndecim, ex quibus duo qui Philosophiam, vnus qui Mathematicam, qui item Casus conscientiæ, quique Controuersias profitentur singuli sunt: præceptores inferiorum scholarum quatuor, auditores Physicæ nouem, Logicæ vndecim, Coadiutores nouem. sacerdos præterea & duo socij seminario diœcesano & contubernio nobilium adolescentum præsunt.

Ex

Ex compluribus, qui Societatem expetierũt, duo scholastici, tertius Coadiutor, ad domum Probationis missi. Quod ad scholas attinet, in quibus ferè præcipua nostrorum in hoc Collegio occupatio est, 500. discipulos numerant, seclusis illis, qui in Parochialibus scholis, ex nostrorum tamen præscripto rudimenta Grammatices docentur. Viget inter hos omnes morum, pietatis religionisque disciplina; sed longè exactius inter eos, qui legibus Sodalitatis B. Virginis sese astrinxerunt. Numerantur hi centum vigintiseptem; suntque ij, qui vel ingeniorum bonitate, vel doctrinæ studio, vel nobilitate, palmam aliis eripiunt. Ex horum numero fuerunt ij, quos Societatis institutum, vel complexos esse, vel expetiisse dictum est. Nec deerant quoque, qui aliorum Religiosorum Ordinibus sese adiungerent. Primi iidem fuerunt, qui ad arcendam contagionis latè serpentis ab hac ciuitate flamma, continuas quadraginta horarum preces communi consilio institutas magno ardore absoluerunt. Hos secutæ reliquæ scholæ, magna & ipsæ pietatis significatione alias quadraginta horas precando continuarunt, exemploque & incitamento Prælatis Ecclesiarum fuerunt, vt hi pro officij sui ratione, reliquo etiam populo, simile Dei placandi studium iniicerent. Quoties autem huiusmodi preces celebrabantur, toties studiosi iuuenes, præsertim autem, qui patrocinium B. Virginis peculiari religione colunt, ita flagris corpora sua diuerberarunt, vt plerique spectantes lacrymas vbertim fundere visi sint, moti tanta sæuientium in se adolescentium pietate. Ab hæresi ad Catholicos, ciurata pestilenti doctrina, vigintisex sunt aggregati, inter quos plerique nobiles erant. vnus item

schismati valedixit Iudæa puella, cùm à suis ad Catholicos profugisset, nostrorum operâ in fidei rudimentis instructa est, & ad baptismum perducta in tuto postea loco est collocata. Confessiones generales auditæ sunt vltra centum. Duorum concubinatus in matrimonium mutatus. Mulier prostituta ad vitam honestam se recepit. Tres, qui confessionem non paucis annis neglexerant, vt per eam ritè peccata sua expiarent, adducti. Restitutiones notabiles duobus potissimùm persuasæ: quarum altera 600. florenorum summam attingebat. Dissidium graue inter viros nobiles, & personam Ecclesiasticam extinctum. Quidam qui grauia peccata multis annis celabant, inducti, vt iis detectis veram animabus medicinam acciperent. Inter eos qui spiritualibus exercitiis se perpolierunt, à quibus potissimum fructus sperandus sit; tres fuerunt sacerdotes, quartus ex familia D. Benedicti Religiosus, quintus vir nobilis. Excursum etiam ad alia loca fuit. Primùm enim duo sacerdotes certis quibusdam temporibus pagum adire soliti, in quo templum B. Virginis magno hominum concursu celebratur, magnumque concionando, & confessiones audiendo fructum faciunt. Deinde Fratres nostri, qui studiis Philosophiæ vacant, diebus Dominicis & festis, pagos proximos adeunt, doctrinamque Christianam pueris rudibus instillant. Nonnulli etiam opidorum vicinorum Parochi, quibusdam anni temporibus, quibus maior hominum concursus ad Sacramentum, nostros ad se inuitarunt, ab eisque strenuè tam in concionibus, quàm in confessionibus adiuti sunt. Denique vir quidam nobilis Caluiniana labe infectus, cùm se non alienum à religione Catholica ostenderet, dummodo

modo veritatem eius discuti à Ministris suæ sectæ, cum sacerdote quopiam nostro audiret, non grauatè obtinuit quod voluit. Missus ad eum noster semel ac iterum cum Ministro concertauit. ibi Minister, suorum iudicio egregiè doctus, cùm multa, & cum sacris Litteris, & cum recto sensu pugnantia diceret; ita falsitatis arguebatur, vt ab ipsomet nobili sæpe interpellatus & reprehensus sit Exitus concertationis demùm is fuit, vt nobilis quidem conuersionis magnam spem dederit: vxor autem eius iam antè ad Catholicam religionem propensa, Ministrum cum sua doctrina valere iusserit. Illustrissimus porrò fundator, vt rebus, quæ cum Dei gloria & animorum fructu à nostris perficiuntur, mirificè delectatur, ita Collegij rem promouere beneficentia sua nunquam cessat: hac enim æstate ad pecuniam, quæ in depositò est ad reditus aliquos Collegio emendos, mille florenos adiecit. Areas duas scholis nouis ædificandis necessarias magno à possessoribus redemit, augentibus pretium intolerabiliter, eò quòd sine dictis areis ædificium progredi non posse viderent. Denique absolutis iam omnibus contubernij à se instituti ædificiis, totum se ad fabricam nouarum scholarum conuertit: quarum vt iam bona initia extant, ita spes est, vt breui fastigium videamus, si Deus incolumem tam liberalem nobis parentem seruauerit.

## Nouitiatus Cracouiensis.

CVM ex anno præcedenti, pestifera lues Cracouiæ durans initio anni huius, adhuc nostros in prædio detineret; eademque rursus, in autumno renouata, eõdem nos iterum commigrare compulisset, magna Dei benignitas circa nos, curaque paterna extitit in custodiendis nostris à contagione hoc vtroque tempore, tam iis qui Cracouiæ in domo manserunt, quàm his qui ad pagum secesserunt. Sumus enim Dei beneficio incolumes vtrobique conseruati, etsi morbis variis nonnulli tentati. Veteranos vndecim numeramus, quatuor sacerdotes, sex domesticarum rerum administros, & vnum scholasticum, qui studiis absolutis tertium probationis annum est ingressus. Nouitij, quos iam triginta octo habemus, scholasticos nimirum triginta & vnum, reliquos Coadiutores, omnes per gratiam Dei bene valent, & procedunt diligenter in spiritu, & mortificationis studio. In his plerique sunt egregiis animi dotibus præditi: vnius verò inter alios singularis ardor extitit, & constantia in vocationis proposito ineundo, atque retinendo. qui claris & nobilibus parentibus natus, patre antè iam vita functo, nihil matris blanditias, nihil tutoris patrui, suorumque consanguineorum pollicitationes minasque moratus, præmonitis illis Cracouiam ad Probationis domum nostram lætus accurrit; mirâque Dei prouidentia conseruatus est, vt cùm in itinere vnum è patruis suis obuium haberet, non fuerit tamen agnitus ab eo, à quo alioquin per vim etiam reductus fuisset. Nam postquam propinqui

pinqui eius resciuerunt ipsum ad Societatem venisse; mox illum subsecutæ sunt litteræ ab eius tutore, & altero eius patruo scriptæ ad Superiorem domus: quibus vterque postulabant omnino ipsum ad suos remitti, eò quòd necdum sufficientem haberet ætatem ad ingressum religionis, & à nostris persuasus insciis propinquis Cracouiam aduos discessisset. Quibus cùm responsum esset, ratióque reddita vocationis eius, illi nihilominus non contenti, ea satisfactione tumultuati sunt palàm, nostrisque etiam minati, vnumque ex eius patruis excitarunt; qui cùm esset Cracouiæ, & per Prælatos, & per Canonicos Cracouienses, aliosque suo amicorumque suorum nomine vrgeret à nostris suum nepotem remitti ad consanguineos: id tandem sua importunitate effecerunt, vt ex communi consilio, nouitius eidem patruo præsentaretur in domum R. D. Nicolai Taranouosky Canonici Cracouiensis, præsente ibidem altero Prælato, Canonico etiam Cracouię, cognato eius. Ibi ergo tunc in horum præsentia patruus egit cum nostro solo, de hoc ipsius vitæ proposito. Cui tum noster abundè declarauit, sibi à nullo prorsus è Societatis hominibus persuasum, sed Dei ipsius instinctu ad hoc institutum vitæ excitatum, voto insuper se sponte sua ad religionis huius ingressum adstrinxisse, multò antequam venisset Cracouiam. De ætate verò sua ex matris ipsius ore præsente etiam patruo suo, audiuisse, agere se iam decimumquartum aut decimumquintum ætatis annum. Ista & cetera multa quæ sunt obiecta, cùm noster Dei auxilio fretus, quod ipsi tunc cæteri nouitij oratione instituta petebant, dextrè satis per tres horas, quibus certamen durauit, diluisset, inque suæ vocationis proposito valdè constans,

constans, quin etiam obfirmatus, patruo visus esset. obiurgatus tandem ab ipso, re prorsus infecta penituſque desperata relictus ibidem est. vnde noster mox rediit domum nostram magno cum gaudio suo, pergitque alacriter in spiritu cum cæteris profidere, nisi quòd iterum à suis turbatione quadam sit appetitus: qui ob eius huc ingressum, Collegio nostro Lublinensi perrexerunt esse molesti. Et quoniam Dei beneficio, nouitiorum nostrorum numerus auctior iam est, ita vt in prædio, vbi adhuc propter pestem commoramur, ædificia anguſtiora non sinerent ipsos munia sua commodè obire; incommodis hisce occursum aliquo modo iam est, Dei benignitate, & Reuerendissimi Domini Bernardi Macieneskij Episcopi Cracouiensis liberalitate: qui singularem animi sui propensionem erga domum hanc declarat; ita vt non solùm haud multo post aduentum suum ad istam Episcopalem sedem in refectorio domus nostræ Cracouiæ vnà cum Reuerendissimo Episcopo Lamenecensi, & Prælatis aliquot sit pransus: sed hoc etiam tempore pestis, in prædio nos inuiserit, habitoque sacro in sacello adhuc veteri præanguſto atque obscuro, prandium nobiscum sumpserit magna cum animi sui voluptate, quam omnibus palam tunc testatus est. Sacerdos vnus è nostris iter faciens, incidit in nobilem quendam extremè ægrotantem in domo cuiusdam hæretici, illiusque confessionem excepit; multùm demirante altero, quòd præter spem contigisset Catholico morituro præsentia sacerdotis, qui ad mortem se præpararet. Schismaticus item vnus, alia occasione, & aliquot hæretici Ecclesiæ reconciliati sunt. Quidam ab annis viginti peccata celans

lans confessus eadem est. Aliqui etiam spiritualibus sunt exercitiis in domo nostra perpoliti.

## *Collegium Niesuiesiense.*

COLLEGIVM Niesuiesiense ædificiorum accessione nostrorum aliquanto maiorem numerum continet. Auctum est enim hoc anno Casuum & Controuersiarum lectionibus: viginti-octo iam numerat, octo sacerdotes, quorum duo suprà memorati lectores, vnusque humaniorum litterarum, duo etiam sacerdotes, cum quinque studiosis humaniorum litterarum. in reliquo numero sunt duo Grammaticæ magistri, quatuor sacrarum Litterarum auditores, cum Fratribus ad domestica negotia obeunda necessariis. Centum excedunt, qui nunquam antè confessi, hoc salutare genus remedij nunc primùm degustarunt. in quo numero potissimùm locus dandus adultis, ac prouectioris ætatis. In matrimoniis inter rudes contractis ritus Ecclesiæ, crebrò vel penuria sacerdotum populorumque ignauia, neglectuque hominum talium, prætermissus, in quadraginta ferè paribus correctus est. Aliquot præterea disiuncta, nullius remedij, præter huius extremi capacia, & ne id deinceps fieret prospectum. Ab hæresi Ecclesiæ Catholicæ quatuordecim reconciliati: in quibus animaduersum est tantam vim fuisse recti dogmatis, scintillarum olim in animos hac labe infectos immissarum, vt quamuis diu contumaces veritati obluctarentur; sensim tamen pietatis incendium alimento quopiam sese offerente excitatum, nunc primùm luculentam flammam in apertum protulerit. Scholastici nostri, qui ex hæreticis schismaticisq; nati sunt parentibus, paternos errores cum Catholica religione

religione commutant, neque à falsitatis sectatoribus, inter quos conuersandum est, sibi eripi patiuntur. Odium impietatis adeò in teneris annis innotescere agnoscimus inde, quòd libros vel minimi erroris suspicione iniecta nostrorum iudicio subiiciant, damnatisque ipsi priores manus iniicere gaudeant. Sodalitium sub B. Virginis nomine collectum non frustrà id nomen vsurpare contendit. Inter horum præclara probitatis pietatisque officia eminet ille mos, verbera sibi infligendi, & solemnibus Christi patientis feriis ab omnibus, & à multis alias non rarò: ad quod cæteris præeunt. Metropolitæ Græcorum Catholico nostræ iuuentutis inter suos gratulatio gratissima accidit, & magnificus Dominus Leo Sapiha Magni Ducatus Lithuaniæ Cancellarius, abiturus in Moscouiam Legatus, faustas itineris precationes poëmate vario cantuque celebratas ita excepit, vt se vehementer recreatum diceret; & reliqui non paruæ auctoritatis viri perhonorificum id sibi fuisse ostenderunt. Nec ab Illustrissimo defuere idcirco crebra in eam iuuentutem beneuolentiæ humanitatisque signa. Cui is quoque inter cætera suæ fundationis, veluti fructus visus est in claros viros redundare.

## *Collegium Derpatense.*

COLLEGIVM hoc nostrum Derpatense aluit hoc anno, quanquam non continenter, vnum supra triginta, sacerdotes nouem, professores tres, qui humaniora studia recoluerunt à tirocinio duodecim, rerum domesticarum Coadiutores septem; sed audito aduentu Caroli Sueci, hostis Catho-

Catholicorum, relictis tribus sacerdotibus, & quatuor Adiutoribus, reliqui ad tutiora loca sunt ablegati. Verba de rebus diuinis pro consuetudine solita, terno semper idiomate facta. Præter antemeridianas Euangelij explicationes à meridie elementa doctrinæ Christianæ ad institutionem rudium Estonum exposita. Exercitationibus sacris exculti præter domesticos omnes duodecim; ex quibus sacerdotes quinque. Vnus porrò ingenuus iuuenis, Rigensis natione, iisdem præmissis, cum vita priore, Lutheranam hæresim abiurauit, & mox statum Ecclesiasticum, non minore odio & obtrectatione suorum, id omni studio impedire conantium, quàm gaudio & admiratione nostrorum arripuit. Cæterùm, miseri auxilium, vincti solatium experti, adeò vt etiam vni aut alteri militum, Centurioni necem intentantium, quod capitale est, vitam nostri impetrarint. In mutuam gratiam nostrorum operâ redierunt quatuor supra triginta. Superioris vitæ noxas generali confessione expiarunt circiter ter mille ducenti quadragintaquinque. Particulares verò confessiones auditæ vltra nouies mille quadringentas trigintasex. Sacrosanctæ mysteria tam domi quàm foris perceperunt quater mille septingenti quadragintavnus. Wybranciorum & delectorum militum Præfectus non modò ipse octodecim annorum culpas exposuit, sed etiam militibus, vt idem confessionis sacræ mysterium obirent, suis auctor fuit. Idem fecerunt nonnulli alij, hoc salutari remedio vel nunquam, vel multos ante annos vsi. Inter quos miles propter homicidij crimen conscientiæ maculas abstergere veritus est, idque viginti amplius annos; qui tandem alterius adductus exem-

exemplo, qui casu eandem noxam incurrerat, liberè confessionis Sacramento animum suum expurgauit. Plurimi perperam expositas multorum annorum noxas ritè redintegrarunt. Sancto ablutionis Sacramento initiati ducenti triginta sex. Matrimonio iuncta paria centum quadraginta septem. E diuersarum falsarum opinionum salo, transtulerunt se in Catholicam cymbam triginta. Excursum in varias partes à nostris sacerdotibus quadragies. Colonorum præterea nostri prædij Rigensis singulorum lustrata domicilia: & operæ fructus constitit. Nam præter aqua salutari ablutos, non paucos adultiores confessionis Sacramento perpurgatos, pabuloque cælesti refectos; plures inani quadam superstitione incolis formidabiles, seu pernicioſæ & exitiabiles arbores proditæ & excisæ. Eiusdem vanæ religionis tribus in locis oppressi & conculcati lapides. Laterum præterea veterum congeries quinæ, exorcismis adhibitis, non minori incolarum admiratione quàm vtilitate conuulsæ & disiectæ. Rogatu piorum militum sacerdos vnus cum Fratre ad castra decem milliaribus ab vrbe sita, directus est. Vbi partim concionibus habendis, partim sacris mysteriis administrandis egregiam Catholicis nauauit operam. Permulti eorum à rapinis religione absterriti. paulo pòst hi simul armis spiritualibus instructi, prima velitatione numen sibi propositum sensere, fusis fugatisque hostibus, mille circiter cesis, vix quinque suorum è numero desideratis. Sub quod tempus domi quadraginta horarum orationes institutæ, adiunctis à Parthenico Sodalitio publicis flagellationibus: quod aliàs item eundem in finem semel ac iterum factitatum est. Nostri porrò singulis

festis

festis & Dominicis diebus in domestico templo precationes easdem continuarunt. Gymnasia nostra non minus studiorum feruore quam studiosorum numero hoc anno magis magisque efflorescere visa sunt. Drama Eucharisticum ac autumnale more solito, non sine applausu spectantium datum. In illo Sanctissima Eucharistia insigni pompa & comitatu, in hoc grauiores studiosorum publicis vix hactenus vilis præmiis ornabantur. Sed hunc felicem studiorum progressum inopinatus circa anni finem Martis impetus, ac hostium circumquaque impunè grassantium metus interturbauit. Quo factum est vt labentibus passim discipulis, grauissimorum ac nobis quam optimè affectorum virorum consilio ac suasu, professores vnà cum gymnasiorum præfecto, qui idem nostros in Rhetoricis instituit; in loca tutiora ad tempus dimissi sint. Existimatio nostrorum quanta hic fuerit, vel hinc cognosci potest, quòd multi primarij de Ecclesia Catholica alias malè sentientes, non modò vsu & consuetudine nostrorum studiosè fruantur; sed etiam vel inuitis ac reclamantibus impuris suis Buccinatoribus, suos filios certatim nostræ disciplinæ submittere cœperint, nostrumque docendi modum, præ suorum institutionibus passim laudarint. Piorum verò & Catholicorum erga nos affectus est rationum nostrarum studiosissimus. Quidam enim præcipuæ auctoritatis templi nostri Mariani sacello exornando centum florenos elargitus est; vt textilia aliaque aris ornandis munera piarum matronarum liberalitate sæpiusculè oblata prętermittam. Cœmeterij pars nouo muro cincta, noua campana grandi piorum ære empta

ad Calend. Februarij in turrim, ipsis etiam vltrò ciuibus hæreticis suam operam commodantibus, & factum probantibus attracta. Horologium in scholarum & Collegij vsum & directionem comparatum. Hi sunt, quos hic annus impeditus protulit fructus, vberiores insequentes anni, vbi exorta belli tempestas propitio numine conquieuerit, R.P.V. adiuti precibus, edituri.

## *Collegium Gedanense inchoatum.*

MANEMVS in hac Residentia quinque, ex quibus sacerdotes quatuor, Coadiutor vnus. Omnes strenuè fructuoseque, & in ciuitate ipsa, & in pagis proximis, in proximorum salutem incumbunt. Conciones solitæ, inter ruinosos, exustos, perangustosque parietes templi habitæ. Et amica modestaque nostrorum conuersatio, ita multorum in hac ciuitate animos ad humanitatem pertraxit, vt iis quibus antè institutum nostrum exosum videbatur, nunc ita arrideat, vt & scholas Societatis nostræ optent multi, & frequenter concionibus intersint, paulatimque arctiore nostrorum consuetudine deuinciantur. Inter quos etiam adolescentes quidam peregregij, qui litteris in gymnasio tum Caluinistarum, tum Lutheranorum nauant operam, de rebus fidei sermones cum nostris conferunt. Ex quibus aliqui pestiferum hæreticorum venenum, materno cum lacte hausti euomuerunt, alij seriam hoc ipsum faciendi cogitationem susceperunt: dumque

que alter alterum trahit, fit vt plures de Catholica religione melius sentiendi induant animum & sententiam. Præter duos pagos nostri vnius operâ & industria ad Catholica castra aggregatos, ab hæresi absoluti numerantur sexagintaquinque. Libelli de rebus orthodoxæ religionis sparsi & distributi multos in sua fide dubios & anxios reddiderunt. Nutantes in Catholica religione, monitis & consiliis nostrorum erecti & corroborati non pauci. ex qua cùm liberiori carnis sequendæ spe allectus quidam se in Caluinisticæ sectæ tenebras deiecisset, in eaque ferè trium mensium spatio cæcus hæsisset; tantis postmodum conscientiæ stimulis exagitatus est, vt ad relictam virtutis lucem redire coactus, manus Ecclesiæ eiurata hæresi, confessione scelerum expiatus, sacroque Eucharistiæ sacramento communitus porrexerit. Adhæc non paruus concionum fructus fuit relatus, ex missionibus, quæ frequentissimæ in Romulelia, viciniisque locis institutæ. Peccatorum confessione expurgati 2474. ex quibus, quantùm poterant replicare memoria, præteriti temporis totius vitæ peccata retexuerunt sexagintaquinque. Præter doctrinam Christianam pueris in excursionibus sex ferè per mensem vnum habitis traditam; dissidentes reconciliati: duæ à turpi quæstu corporis abstractæ ad puriorem viuendi formam, piis documentis institutæ.

## *Collegium Torunense inchoatum.*

AD quatuor sacerdotes, quos domus nostra hactenus aluit, accessit quintus, & duo Fratres: quorum paucorum operariorum opera, domi foriſque non sine aliquo fructu est versata. Conciones de more solito singulis diebus Dominicis & festis in æde Parochiali splendida tres, vnà cum doctrina Christiana habitæ sunt, ea hominum frequentia & commendatione; vt vir quidam nobilis nostro sacerdote audiente, in medio exclamauerit, Iam pridem Torunia misera, iam pridem talis tibi fuit necessaria fidei Catholicæ institutio. Exceptæ sunt confessiones plurimæ, ex quibus non paucæ fuere generales. Ab hæresi ad Ecclesiæ gremium traducti sunt triginta; ex quibus duæ personæ nobiles non sine visionis cuiusdam admiratione accessêre. Vacillantes in fide Catholica non pauci confirmati, hæreticis quibusdam est varius & multiplex iniectus dubitandi scrupulus. Ciuis quidam hæreticus, cùm in nostrum sacerdotem in frequentia suorum conciuium incidisset, ad disputationem eum euocauerat. Subiit Pater disputationem. Verùm ille cùm videret se argumentorum vi premi, turpissimè aufugerat: quem non tantùm noster, verùm etiam conciues hæretici, reuocare conabantur. sed surdo dabantur verba. Cùm è nostris sacerdos aliò ex obedientia mitteretur per Toruniam, & inaudiuisset quid apud nos de solemni hæreticorum disputatione (nouos enim magistros pro sua schola & fide stabiliẽdâ ex Germania euocauerãt)

immu-

immutato aliquātum habitu ingressus est hominum confertam multitudinem. quo cōspecto dabant ei secundum disputationis locum. sustinuit Pater, licet imparatus, disputationem ea facundiæ & doctrinę existimatione, vt studiosi hæretici etiam eum Iesuitam existimantes, domum vsque nostram comitarentur. quin etiam vnum ex suis commilitonibus ad Patrem ablegauerant studiosi, rogantes eum, vt etiam post prandium, in illorum saltem gratiam disputationem exornare vellet. Exercitia spiritualia tribus sunt tradita, inter quos fuit Episcopatus huius administrator. Virgines religiosæ in tribus monasteriis constitutæ, præsentem nostrorum operam cùm in aliis, tum in spiritualibus exercitiis sunt expertæ. In sacratissimo Corporis Domini festo processio habita est hoc anno solito solemnior, non tantùm cum Ecclesiastico apparatu, & concentu musico suaui, verùm etiam habitu quodam scenico, vel Angelico potiùs. Pulchrū erat non solùm Catholicis, verùm etiam hæreticis insolitum, videre tabernaculum, affabrè factum, ab octo hominibus per publicas hæreticæ ciuitatis plateas, & forum maximè circumferri. quod multa hominum etiam nobilium millia comitabantur. Verùm illud non sine singulari Catholicorum consolatione, quòd quamprimùm processio fuit finita, finem pluuia est consecuta copiosa'. Antequam lues pestifera corriperet, instituta fuit oratio quadraginta horarum solemnior etiam antea nunquam; musica lugubris, & altaris apparatus insolitus eam exornabat. Accessio aliqua facta est in supellectili Ecclesiastica, & bibliotheca sanctorum Patrum voluminibus. Nonnulla etiam eleēmosynæ no-

mine domui nostræ sunt oblata. Tempore pestis, quæ post messem temporalem nostram non parum impediuit spiritualem, solita Societatis officia, proximis fuere exhibita. Nam habita est ab vno eodemque sacerdote nostro duplex, ante & post prandium concio. Confessiones quoque pro illa temporis locique ratione sunt exceptæ. Et licet mors ex vicina domo per fenestram ad nostram adspectare videretur, tamen, quæ Dei clementia fuit, ab omni periculo fuit præseruata. Eodem tempore, non sine præsenti vitæ periculo, virginum monasterio magna charitas exhibita. Emptus oportunè hoc anno est pagus pro nostris: in eum tempore pestis nostri sese receperũt. Serenissimus Rex noster Sigismundus, singularem erga Societatem nostram propensionem ostendit; domum Parochialem cum schola nobis inscripsit. templi Parochialis splendidi ius patronatus suum in Societatem nostram transfudit perpetuò. quod ægerrimè tulerunt ciues Torunenses, vetueruntque ne vllus apud nos, ex sua familia, quam habent vt plurimùm Catholicam, confessionem concionemque maximè Germanicam frequentet. insuper conuiciis onerarunt, fabellas mendaces comminiscentes, & nostrorum nomen nescio quibus non nominibus, libris chartisque ad publicas ciuitatis portas affixis famosis, & criminationibus grauibus traducentes, etiam apud Antistites, & huius regni primarium. Expulsionem quoque nostrorum minati sunt; si quo fortassis modo possent, Societatis nostræ ministeria, maximè verò scholas, quas vehementer apertum iri timent, impedire. Sedabitur verò, Deo fauente, hæc tempestas.

Resti-

## *Residentia Varsauiensis.*

AD priorem nostrorum numerum, quos hęc Residentia anno præterito habuit, duo accesserunt: quatuor enim Patres, & duo Fratres Coadiutores nunc habet. Aucto numero operariorum, vt labores, ita & spirituales fructus & eleëmosynarum prouentus aucti. Contagionis tempore, quæ circa finem Augusti hanc ciuitatem inuaserat, & ad finem vsque anni durauit, omnes nostri manserunt, sine vllo per Dei gratiam suo detrimento, licet soli essent. Nam alij sacerdotes vel discesserant, vel se omnino clauserant, qui huic ciuitati non animarum tantùm, sed etiam corporum cura operam suam nauarunt. Excitati homines tum periculo ipso, tum nostrorum concionibus ad tempus accommodatis, ex omnibus ciuitatis partibus, ad nostros Patres, qui solito more in templo, adhibitis tamen remediis, audiendis confessionibus vacarunt, magna frequentia quotidie confluebat. Infectorum peste, qui vel in domibus clausi, vel extra ciuitatem eiecti erant, confessiones cautè tamen exceptæ: iisdem præsertim egentioribus, toto tempore contagionis, alimenta ex eleëmosynis subministrata, vt eo facilius continerentur, ne victum quærendo maiorem ciuitati contagionem adferrent. Pauperum etiam, quorum magnus erat numerus, non prætermissa cura. Iis enim partim in certis locis ciuitatis congregatis, partim postea ob frigora in conductas domunculas receptis, nostrorum operâ victus datus: quæ nostrorum in contemnendis periculis

constantia, & in iuuandis auxilio, tum animis tum corporibus industria & charitas, magnum nobis apud ciues, qui antea alieniori animo esse videbantur, amorem conciliauit : ita vt passim dictitent, nostra opera & industria, pesti ne magis serperet occursum, & ciuitatem esse seruatam. Ex confessionibus hi fructus collecti. Schismatici duo, quorum vnus erat Moscouita, ad vnionem Ecclesiæ reducti. Hæretici tredecim eidem reconciliati, inter quos fuit femina nobilis, aulæ Regiæ ; quæ hæreticis parentibus nata, ac cum viro hæretico à decem annis, in coniugio manens, illo in sua perfidia permanente, constanti animo fidem amplexa est. Alter erat, qui ex Catholico factus Anabaptista, & rebaptizatus magnas in somnis vexationes patiebatur, & quadam vice, dum iam planè suffocaretur, diuinitus admonitus est vt resipiscceret. venit itaque ad vnum ex nostris, & præmissa totius vitæ confessione, hæresim eiurauit. narrauit eidem Patri, se dum illa in hæresi esset Scripturam sacram probè memoria tenuisse, ita vt sacerdotibus minùs eruditis facesseret negotium ; post receptam verò Catholicam religionem, omnem illam phanaticam doctrinam euanuisse. Sacerdotes concubinarij duo adiuti. Feminæ infames, ad meliorem vitæ statum reductæ. Confessiones à multis annis omissæ resumptæ. Coniuges ad mutuam concordiam reducti. Virgo quædam adeò fuit constans in tuenda castitate, vt cùm quidam iuuenis stricto gladio mortem illi minitaretur ni sibi consentiret, responderit se potiùs mori paratam, quam scelus admittere : quòd si vim faceret, clamore omnes in domo excitaturam.

ram. qua illius constantia iuuenis visa confusus discessit.

## *Residentia Leopolienſis.*

LEOPOLI sacerdotes fuerunt initio anni quinque, sub finem septem, reliqui Fratres quinque. horum operâ fructus collecti sunt hi. Confessi sunt accuratè de tota vita homines paulo infrà octingenti, varij ordinis, quorum aliqui ad vltimum penè senium errata sua malè presserant. Hæresim respuerunt triginta plerumque nobiles, & vel inuitis, vel insciis affinibus; schismatici totidem ferè, Ecclesiæ conciliati sunt. Resipuere duo insignes Apostatæ Catholicæ fidei, & præcipuè vnus, qui & aliis octoginta præbuerat se antesignanum, ad eiuranda sacra Christiana, & perfidiam Turcicam amplectendam. Consortia virorum non sine sacrilegio & turpi scelere cum feminis inita vltra quadraginta, vel dissoluta sunt, vel facta legitima. Femina quædam repudiato marito, fœdè prolapsa, adulteris, & præcipuè vni multos annos adhæserat; cumque icta conscientia sceleris, discessionem cogitaret, ab eodem lethalibus plagis affecta est; tandem à nostris eò superuenientibus, & impuri hominis crudelitati subtracta, & generali confessione, qua maximè indigebat, expiata. Alia ob crimen & necem viro allatam, rotæ implicita, cùm totam noctem in illo cruciatu egisset; postridie non sine miraculo solutis funibus, è catasta delapsa, sacerdoti nostro exactè confessa est. Ciuis quidam suburbanus longa ægritudine afflictus, & morti iam vicinior, ab

ineunte

ineunte ætate repetita confessione, quam multis annis intermiserat, morbo illo lethali liberatus est. Vitam infamem, nulla spe emergendi pluribus annis continuatam, & postea relictam, à multis vsuras magni momenti restitutas, turpia lucra tepudiata, capitalia odia restincta, breuiter perstringo, non annotato personarum numero, qui tamen magnus erat. Ad rem familiarem, & pro futuri Collegij subsidio accesserunt, quæ summam excedunt bis mille quingentorum florenorum.

FINIS ANNI SACRI MDC.

